Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Vorst

De Latinitate Falso Suspecta, Deque Latinæ Linguæ Cum Germanica Convenientia, Liber : Cui Alter De Latinitate Merito Suspecta, Adjectus Est

Leipzig: Ex Officina Thomæ Fritschii, MDCCXXII.

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

K. p. 118.

K. p. — 118.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0002
DFG

8

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0003
DFG

DE LATINITATE FALSO SUSPECTA,

DEQUE

LATINÆ LINGUÆ CUM GERMANICA CONVENIENTIA,

LIBER,

CUI ALTER

DE LATINITATE MERITO SUSPECTA,

ADJECTUS EST:

AUCTORE

JOHANNE VORSTIO.



LIPSIAE,

EX OFFICINA THOMÆ FRITSCHII,

AN. M DCC XXII.

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0005

DFG

Ex libris
Ferd. Kæmmerer, Dr.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0006
DFG

Henr. Stephanus in Epistola dedicatoria libro de Latinitate falso suspecta præmissa.

Quæ hic observanda proposui, satis esse queunt ad patefaciendas plurimis varias Latini sermonis opes, quæ ad hunc usque diem illos latuerunt; hæc plerosque immenso propemodum, & vano tamen interdum (quod molestiam illam multo molestiorem reddit) volvendi multos libros labore levare possunt: hæc denique lecta facient (nisi me animus fallit) ut plurimi mutis & elinguibus, in iis, quæ ad Latinitatem pertinent, similes esse desinant, & linguam vano quodam metu antea præpeditam ad varios sermones Latinos solvere incipiant, ideoque a multis initurum me gratiam confido.

Idem in Præfatione, quam eidem de Latinitate falso suspecta libro præmisit.

EOrum, qui, dum religiosi circa Latinæ linguæ usum esse volunt, in ridiculam quandam superstitionem incidunt, duo sunt genera. Alii enim in unius Scriptoris, aut in duorum vel trium, Latinitatem ita juraverunt, ut reliquam omnem ejuraverint: alii vero sunt quidem Latinitati æquiores quam ut tam angustos ei cancellos circumdent, ac potius dilatari pomœria illius, ut his multo major scriptorum numerus capi possit, patiuntur: sed memoriæ suæ, etiamsi bonæ fidei non sit, ita confidunt, ut quoties controversia de vocabulo quopiam oritur, ejus duntaxat arbitrio stare velint: perinde ac si Latinitas terminis memoriæ illorum circumscribenda esset. Hinc fit, ut multas voces falso barbariei suspectas habeant, &, dum cives Romanas esse ignorant, non solum ipsa urbe, sed toto etiam Latio, procul in exilium pellendas censeant. Sed apud Gallos & Italos in suspicionem illa præsertim vocabula & loquendi genera veniunt, quæ magnam cum vernaculis affinitatem habent: multo etiam magis quæ propemodum

modum eadem sunt. Hos certe si quis cum iis comparet, qui contra quicquid ex vernaculæ linguæ affinitate aut aliunde in buccam venerit, pro Latino habent, merito cum Venusino Poëta dicet,

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Quin etiam hoc ejusdem Poëtæ versu (si ob exiguam immutationem esse ejus non desinit) superstitiosos illos compellare possit,

Quam temere in vosmet legem sancitis iniquam.

Qui enim linguæ suæ silentium indicunt, viderique elingues malunt, quam ex iis vocabulis, quæ suspecta, sed immerito, habent, ullum proferre, nonne in se legem iniquam, aut etiam iniquissimam, sancire dicendi sunt?

Rud. Goclenius in Observationibus Latinæ linguæ inter ceteras admonitiones, & loco quidem septimo, & hanc habet:

ET Latinus sermo nonnunquam cum Germanico congruit: quæ conformitas, congruentia & συμφωνία studiose notanda est. Exempla: *Sumere tempus ad aliquam rem, zeit nehmen zu einem dinge. Ne longum faciam, daß ich es nicht lange mache. Ut breve faciam, daß ich es kurtz mache. Ut se initia dederint, wie sich der anfang geben wird. Animus altus, ein hoher muth. Vix sum apud me, ich bin kaum bey mir selbst. Sis bono animo, sey guts muths. Breviter hæc percurremus, wir wollen diß kürzlich durchlauffen.*

CAPUT

CAPUT I.

Vocabula unius linguæ vocabulis linguæ alterius respondere subinde una significatione, nec tamen respondere & altera significatione. Quandoque vero non una tantum, sed & altera significatione respondere; sed non promiscue tamen, & in quibusvis ῥήσεσι, sed in certis. Structuras item vocum sæpe multo aliter in una, quam in altera lingua fieri.

QUi linguis conferendis operam navant, eis observare licet complura vocabula unius linguæ, quæ cum vocabulis alterius linguæ in uno significando congruunt, in alio significando non item. Græca vox ὑγιεινὸν cum Latina voce *sanum* congruit sane significatione quadam. Quem enim Græci ὑγιεινὸν dicunt, eum Latini *sanum* vocant; eum puta cujus omnes partes corporis recte se habent, quique sine impedimento interno functiones suas obire potest. Verum non hominem tantum, sed & medicamentum Græci ὑγιεινὸν vocant; idque per homonymiam, ut Philosophus vocat, ἀφ' ἑνός. Ubi tum vox ὑγιεινὸν non significat id cujus omnes corporis partes recte se habent; sed vero illud quod ex ægro sanum facit. Porro vero ὑγιεινὸν Græci etiam illud vocant quod sanitatem significat: imo vero & illud quod sanitatem conservat. Adeo varias vocis ὑγιεινὸν significationes in lingua sibi vernacula observabit olim Aristoteles, & tum alibi, tum in libro quarto Metaphysicorum, cap. II. eas exposuit.

ſuit. Τὸ ὑγιεινὸν ἅπαν, inquit, πρὸς ὑγίειαν. τὸ μὲν τῷ Φυλάττειν, τὸ δὲ τῷ ποιεῖν, τὸ δὲ τῷ σημεῖον εἶναι τῆς ὑγιείας, τὸ δὲ ὅτι δεκτικὸν αὐτῆς. Totidem fere ſignificationes noſtra quoque vox *geſund* habet; atque ita cum vocabulo Græco non male ei convenit. Dicimus Germani non tantum *ein geſunder Menſch*; verum etiam *eine geſunde ſpeiſe*, *ein geſunder ort*, *eine geſunde lufft*. Vox Latina *ſanus* autem tot modis, credo, non dicitur. Hominem Latini ſanum dicunt. At medicamentum quoque, cibum, aërem, & id genus alia, illos ſana dicere non liquet. Dixerint potius talia *ſalubria*. Tullius alicubi: *Nec amœnum, nec ſalubrem locum cenſeo*. Et alibi: *Gratulor Bajis noſtris, ſiquidem, ut ſcribis, ſalubres repente factæ ſunt*. Videamus etiam de vocula *unus*. Congruit ea cum vocabulo Hebræo אחד & cum Græco εἷς, & cum Germanico *ein*, in ſignificando numeri principio. Quod enim Hebræi dicunt איש אחד, & Græci εἷς ἀνὴρ, & Germani *ein mann*, id Latinis eſt *unus vir*. Quod autem vox Hebræa non tantum *unum* ſed & *primum* ſignificat, atque ita non ſolum cardinalis, ut Grammatici vocant, ſed & ordinalis eſt, in eo vox latina ei non reſpondet. Dicunt Hebræi בשנת אחת לדריוש, cum efferendum eſt quod Latini dicunt, *In anno primo Darii*. Neque Latinis tantum cum Hebræis hic non convenit, ſed & Græcis atque Germanis. Non dicunt Græci, ἐν τῷ ἑνὶ ἔτει Δαρείου; nec Germani, *in einem jahr Darii*, ſed illi quidem, ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει Δαρείου; hi vero *in dem erſten jahr Darii*. Rurſus vocula Hebræa אחד & Germanica *ein*, inter ſe congruunt, cum individuum vagum, ut Logici vocant, eſt deſignandum. Quod enim 1 Sam. I, 1. Hebraice ſcriptum eſt, ויהי איש אחד, id noſtra lingua ſimiliter effertur *Es vvar ein mann*. Et quod 1 Reg. XXII. legitur, ויקרא מלך אל סריס אחד id recte Interpres Germanicus vertit,

vertit, *da rief der Konig einem Kemmerer.* An vero & Græcam vocem ἷς, & Latinam *unus*, hic congruere putabimus? Sane interpretes Græci in altero eorum locorum verterunt, Καὶ ἐκάλεσεν ὁ βασιλεὺς Ισραὴλ ἑυνοῦχον ἕνα. Deinde voculæ Græcæ sic usurpatæ exemplum Henr. Stephanus ex orationibus Aristidis protulit. Sed & vocis Latinæ sic usurpatæ exempla profert Joh. Pricæus in Notis ad cap. IIX. Matthæi: & suspicatur, quod in sacris legitur ἷς γραμματεύς pro γραμματεύς τις *scriba aliquis*, id genus loquendi acceptum esse a Latinis. Deinde ex ipsis Auctoribus Latinis plusçula quoque exempla subjicit. Ut quod Terentius in Andria scripsit: *Forte unam aspicio adolescentulam.* Et quod Plautus in Truculento habet: *Sed tandem loquere, quis is homo est Astaphium, unusne amator?* Item Catulli illud:

Hæc cum legit tam bellus ille & urbanus
Suffenus, unus Caprimulgus aut fossor
Rursus videtur.

Porro ex Quintiliani declamationibus profert: *Non aliter quam si una obiiceretur oculis imago, mente captus sieti.* Et denique ex Zenone Veronensi: *Procuratores ejus oculi aliquo ictu extincti subsidunt, nonne cadaver est unum?* Ut ad vocem vernaculam redeamus, habet ea alium adhuc usum. Quod enim Græcis articulus ὁ, ἡ, τὸ, & Hebræis præfixum ה, id nobis vocula *ein* præstat. Ut in Psalmo, *Ein mensch ist in seinem leben vvie gras.* Atque hic voculæ *ein* neque Latinum *unus*, neque Græcum ἷς, neque Hebræum אחד respondet; sed apud Græcos quidem prædictus articulus; apud Hebræos prædictum præfixum, apud Latinos autem omnino nihil respondet. Quod Galli hodierni voculam *un* vocibus aliis tanquam articulum præmittunt, dicuntque exempli gratia, *une femme, un peu d' argent*, id faciunt non

Latinorum, unde vocem habent, sed Germanorum imitatione; quomodo multos quoque alios idiotismos ex nostra dialecto hauserunt.

Comparemus linguas adhuc amplius; & in constructione quidem nominum cum verbis. Nostro *vviſſen* respondet Latinum *ſcire*: nec tamen, quoties nos nostram vocem, Latini quoque suam usurpant. Non dicunt illi, *gratiam alicui ſcire*, uti nos, *einem danck vviſſen*; sed *gratiam alicui habere*. Hodierni Galli autem iterum nobiscum congruunt, dicuntque *ſavoir gré*. Congruunt item veteres Græci, dicuntque χάριν εἰδέναι τινί: adeo quidem ut phrasis ista elegans, vox εὐχαριστεῖν autem, quæ & ipsa *gratiam habere* significat, minus proba visa fuerit Phrynicho. Verba hujus in Eclogis sunt Εὐχαριστεῖν οὐδεὶς τῶν δοκίμων εἶπεν, ἀλλὰ χάριν εἰδέναι. Dicunt etiam χάριν ἴσημι. Isocrates alicubi: πολλοὶ δ' ὅταν εὖ πάσχωσι, χάριν ἴσασι. *Multi neque cum beneficium acceperunt, gratiam habent.* Utuntur etiam verbo γινώσκειν, dicuntque χάριν γινώσκειν. Sed verbum ἔχειν tamen ipsum hic usurpant, & dicunt χάριν ἔχειν τινί; atque ita cum Latinis rursus congruunt, quippe qui *gratiam habere* dicunt. Germani mei & hodierni Galli, cum Latinis hic omnino nihil congruunt. Neque enim aut illi *danck haben*, aut hi *avoir gré* dicunt; sed illi quidem *danck vviſſen*, hi vero *ſavoir gré*. Et hic quidem discrepantia in usu verbi consistit. Alias vero discrepantia est in nomine. Nostro *glaube* latinum *fides*, & nostro *geben* Latinum *dare* respondet: neque tamen quod nos dicimus *einem glauben geben*, Latini dicunt, *alicui fidem dare*. Dicunt sane hi, *fidem alicui dare*; estque phrasis satis elegans: verum sensus hujus longe alius est quam est nostræ illius. Memini quemdam in thesibus Academicis cum significare vellet, se quibusdam auctoribus non credere,

credere, aut fidem habere, scribere, se auctoribus fidem non dare; quod putaret Latinis *dare fidem* esse idem quod nobis est *glauben geben, glauben beymessen.* Verum halucinatus est planissime; ac dicendum ei fuit, se auctoribus non credere, non fidem habere. Phrasis *fidem dare* nihil aliud significat, quam *promittere, polliceri.* Atque ea notione passim illa est obvia. Tullius de Senect. *M. Attilius ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam conservaret.* Nepos in Hannibale: *Faciam si fidem mihi, quam postulo, dederis*, id est, si id, quod postulo, mihi promiseris. Item in Datame: *Pollicitus est Regi, se eum interfecturum, si ei Rex promitteret, ut, quodcunque vellent, liceret impune facere; fidemque de ea re more Persarum dextra dedisset.* Quæ vero causa est, quod, cum nostro *glaube* Latinum *fides*, & nostro *geben* Latinum *dare* respondeat, non tamen toti phrasi nostræ *glauben geben* respondet Latina *fidem dare?* Causa quidem hæc est, quod vox *fides*, quanquam alias dictæ illi nostræ voci respondeat, hic tamen non respondet. Præterquam quod vox illa idem quod nostrum *glaube* significat, significat etiam ὑπόσχεσιν, *promissionem, pollicitationem.* Et obtinet ista significatio non modo in prædicta phrasi *fidem dare*, sed & in phrasibus *fidem postulare, fidem accipere, fidem tenere, fidem servare, fidem frangere.* Phrases *fidem dare*, & *fidem accipere* sæpe apud Auctores conjunguntur. Cornelius Nepos in vita Datamis cum superiora illa, in quibus & phrasis *fidem dare* apparet, scripsisset, subdit mox, *Hanc ut accepit.* Curtius lib. IV. *In ea se fidem & dare paratum & accipere.* Et lib. VI. *Nec dubitabat Alexander fidem, quo Persæ modo accipiebant, dare.* Salustius bello Jugurth. *Data & accepta fide*, Pari modo Græci πίστιν διδόναι & πίστιν δέχεσθαι conjungunt. Budæus ex Gor-

gia citat, ἔδει δὲ μετὰ τούτου πίστιν δοῦναι καὶ δέξασθαι. Et ex Xenophonte, ἐπὶ τούτοις δίδωμί τε σοὶ καὶ λαμβάνω τὴν δεξιάν. Quoniam data atque accepta dextra datur item atque accipitur fides: δοῦναι καὶ λαμβάνειν δεξίαν hic idem est quod δοῦναι καὶ λαμβάνειν πίστιν. Ceterum vox πίστις quoque idem hic est quod ὑπόσχεσις *promissio*. Et fortassis exemplo vocabuli Græci Latinum *fides* significationem eam recepit. Fit enim sæpissime, ut si unius linguæ vox cum voce alterius linguæ una significatione congruat, congruere deinde incipiat & altera significatione. Sed ut ad comparationem phrasium Latinæ & Germanicæ redeamus, etsi vox *fides* nostræ *glaube* in phrasi *fidem dare* non respondeat, & *fidem dare* minime idem sit quod nostrum *glauben geben:* habent tamen & Latini phrasin, in qua vox *fides* nostræ *glaube* exacte respondet. Dicunt nimirum *fidem alicui habere*, *fidem alicui tribuere*. Et apparet, si nomen *fides* modo non verbum *dare*, sed verbum *habere*, vel *tribuere*, penes se habeat, ipsum illud vocabulum nostro vocabulo, ac totam adeo phrasin nostræ phrasi, ex asse respondere.

In phrasibus *fidem dare* & *glauben geben* non duo verba, sed nomina significatione discrepabant. Videamus etiam phrases, in quibus ipsa verba, quæ significatione alias congruunt, inter se discrepent. Latino verbo *dare* respondet utique Hebræum נתן: nec tamen, quandocunque verbum Hebræum usurpatur, usurpare & latinum Ex gr. quod Hebræi נתון מתנות dicunt, verbo נתון Latinum *dare* planissime respondet, diciturque *munera dare*. Quod autem Hebræi dicunt נתון כהן, verbo נתון Latinum *dare* non respondet. Neque enim Latine dicitur *dare aliquem sacerdotem* pro *constituere aliquem sacerdotem*. Græcum διδόναι quoque verbo Hebræo hic non respondet. Neque enim Græci διδόναι τινὰ ἱερέα,

sed

ſed καθιστάναι τινὰ ἱερέα dicunt. Quod autem Apoſtolus Eph. IV, 11. ſcribit, Εδωκε τὺς μὲν ἀποστόλυς, τὺς δὲ προφήτας, pro κατέστησε τὺς μὲν ἀποστόλυς, τὺς δὲ προφήτας, id non eo eſt factum, quod Apoſtolus crederet, Græcos ita vulgo loqui aut ſcribere. Solet tum ille, tum Scriptores ſacri alii, vocabulis ſignificationes ſubinde novas aſſignare, quoniam vocabula Hebræa, quibus Græca ſignificatione quadam alia reſpondent, tales ſignificationes habent. Cum igitur Hebræum נתן non modo *dare*, ſed & *conſtituere*, ſignificet, Græco διδόναι, quod Hebræo illi ſignificatione dationis reſpondet, ſignificatio quoque altera eſt aſſignata, ſcriptumque ἔδωκεν ἀποστόλυς pro κατέστησεν ἀποστόλυς. Atque hujus generis vocabula in noſtro de Hebraiſmis novi Teſt. Commentario complura congeſſimus.

Porro non tantum vocabula alicujus linguæ, cum vocabulis alterius linguæ ſignificatione aliqua reſpondeant, alia rurſus ab iisdem diſcrepant; verum etiam ipſæ phraſium ſtructuræ ſæpe multo aliter in una lingua quam in altera fiunt. Quod Latini dicunt *obviam venire alicui*, ei phraſis noſtra *einem entgegen kommen* ex aſſe reſpondet. Quod vero Latini dicunt, *obviam aliquem habere*, ei in noſtra lingua, quod quidem ad ſtructuram vocum attinet, nihil reſpondet: & ſi phraſis iſta vertenda ſit Germanice, orationem plane invertere oportet. Exempli gratia, ſi verba Juſtini *Obviam habuit* (Cyrus) *ſervum de ergaſtulo cujusdam Medi*, vertere velis Germanice, faciendum illud ſic erit, ut enunciationis tum ſubjectum tum prædicatum plane aliud oriatur, *Dem Cyro iſt ein Knecht entgegen gekommen, der aus eines Meders vverckhauſe entlauffen vvar.* In phraſi quoque *Eſt mihi pecunia* exprimenda vide mihi quam lingua vernacula non tantum a Latina, ſed & a

Græca atque Hebraica discrepet. Non dicimus nos *Mir ist Geld;* sed vero, *Ich habe Geld.* At Latini non modo dicunt, *Pecuniam habeo*, verum etiam, *Pecunia mihi est.* Deinde & Græci non dicunt tantum, ἀργύριον ἔχω, sed & ἔστι μοι ἀργύριον: Hebræi vero, ceterique orientales, adhuc magis discrepant, quam vel Græci vel Latini. Cum enim Græci ac Latini habeant quod phrasi nostræ non significatione tantum, sed ipsa quoque structura respondeat, dicantque ἔχω ἀργύριον & *habeo pecuniam*, quomodo nos *ich habe Geld:* Hebræi ceterique orientales, tale quid non habent; sed quali vocum structura Germani nunquam, illi perpetuo utuntur, dicuntque יש לי לסף, vel כסף היה לי *est mihi pecunia.* Qua quidem forma Num. XX, 20. scriptum est, לא היה מים לועדה *non est aqua populo.* Et Gen. XLIV, 19. היש לכם אב או אח *an est vobis pater aut frater?* Subinde quoque verbum substantivum omittunt. Ut Ps. CXXXIX, 16. פה להם *os illis* scil. est, *& non loquuntur.* Porro quantum a nostra lingua discrepat hic Hebræa, tantum discrepant & cognatæ linguæ. Quod in capite tertio Matthæi legitur, πατέρα ἔχομεν Αβραὰμ *patrem habemus Abrahamum*, Interpres Syrus non aliter vertere potuit quam sic אבא אית לן אברהם *pater est nobis Abraham.* Et recte Ludovicus Dieu in Grammatica linguarum orientalium, p. 418. scribit, *verbum habendi Syris deesse, ac pro eo illos uti* אית לי *est mihi.* Quod vero idem Dieu eodem loco, eumque secutus Pocockius in p. 59. Notarum in epist. posteriorem Petri & quasdam alias, putat, *verbum* אית *more activorum interdum accusativum regere expressum per* ל id verisimile non est. Nam quod Matthæi XXVI. vers. 11. versio Syriaca habet, לילא בכל זמן אית לכון *me non semper habetis*, vocula prima לי non accusativum, sed potius nominati-

minativum exprimit; &, si verbum de verbo sit efferendum, faciendum illud sic fuerit, *Ego non in omni tempore sum vobis.* Pari modo, quod ex posteriore epist. Johan. citat Pocockius, לברא חנא ולאבא אוחלת si verbum de verbo sit exprimendum, faciendum id fuerit hoc modo, *Huic & pater & filius est illi*, id est, *hic & patrem & filium habet.* Nimirum quomodo Hebræi nominativo, qui verbum activum aut passivum, imo & verbum substantivum antecedit, voculam את, quæ plerumque nota accusativi est, quandoque præmittunt: ita Syri nominativum exprimunt quandoque per ל. Voculæ Hebrææ exempla passim sunt obvia. Salomon Glassius in Grammatica sacra scribit, *nominativum, qui verbis passivis adjungitur, non raro præcedentem particulam* את *habere:* cujus rei complura exempla profert. Verum non ille tantum nominativus, qui præmittitur verbo passivo, additam atque præmissam sibi voculam את habet, verum etiam ille qui verbo activo, aut verbo substantivo, præmittitur. Exemplum 2 Reg. X,15. היש את לבבך ישר *an est cor tuum rectum?* Cujus generis plura vide 1 Sam. XVII, 34. Nehem. IX, 34. Jer. XXXIIX, 16. Quemadmodum igitur in Hebraicis nominativo præmittitur vocula את, quæ vulgo nota accusativi est: ita in Syriacis nominativus quandoque per ל exprimitur, quæ litera vulgo nota est dativi. Est tamen etiam ubi ל sit nota genitivi: sed non solum tamen; sed una cum syllaba די: qua de re dedita opera in libro tertio Dissertationum sacrarum, & hujus quidem capite nono, egimus.

CAPUT II.

Non modo observandum esse quibus significationibus aut usibus vocabula latina, quæ

cum vocabulis vernaculis significatione quadam congruunt, ab iisdem discrepent; verum etiam, annon pluribus quam una significationibus aut usibus vocabula Latina cum vernaculis congruant.

PLurimum sane interest, & magna peritiæ alicujus linguæ pars est, scire ac in numerato habere illa quibus lingua aliqua discrepat ab alia lingua: præcipue vero ab illa, quæ cuique est vernacula. Nisi enim sciantur atque observentur ista, ipsaque lingua utendum sit tamen: fiet ut phrases subinde formentur perperam, & non aliter quidem, quam fieri solet in ea lingua cui multum assuevimus. Exempli causa, qui differentiam phraseos Latinæ *fidem dare* & Germanicæ *glauben geben* non observaverit, ei continget, ut, si phrasis illa Germanica Latine exprimenda sit, intempestive utatur phrasi *fidem dare*, cum posset, atque etiam deberet, uti phrasi *fidem habere*. Ceterum non observandum modo illud est, qua significatione vocabula quæ aliqua significatione inter se congruunt, rursus inter se discrepent, verum etiam cogitandum, annon vocabula quæ una quadam significatione inter se congruunt, congruant & pluribus significationibus. Deinde nec observandum modo hoc est, quibus vocum structuris inter se discrepent linguæ; verum etiam, quibus structuris inter se congruant. Unum horum faciendum est ideo, ne erremus ipsi, neve alias vocabulis significationes aut usus assignemus, quam assignarunt ii quibus lingua fuit vernacula; aut structuras vocum aliter faciamus, quam iidem illi fecerunt: alterum vero, ne errare putemus alios atque eorum inscitiæ tribuamus, quod illi consilio satis recto fecerunt; ac deinde ut secure quoque ipsi

talibus

talibus uti queamus, neque, ubi nihil timendum est, timeamus. Vocabulo nostro *halten* Latinum *tenere* respondet, quod nos quidem dicimus *mit der hand halten*, Latini vero *manu tenere*. Deinde vocabulum nostrum plurimas quoque alias significationes atque usus habet, quibus Latinum ei non respondet. Dicimus non tantum *mit der hand halten*, sed & *eine gasterey halten*, *eine predigt halten*, *einen für einen propheten halten*. Latini autem non dicunt *convivium*, *concionem tenere*, *aliquem pro propheta tenere*. Quod autem Latinorum ἐκβαχβαχωδέντων alii dicunt *tenere per un propheta*, alii *tenir pour un prophete*, verbo *tenere* novam significationem assignarunt; idque imitatione, credo, Germanorum, cum quorum vocabulo *halten* Latinum *tenere* significatione quadam alia congruebat. Illud mirum, quod Syriacum אחד, quod ex Hebraico אחז est ortum, non tantum significatione apprehensionis cum nostro *halten* congruit, sed & significatione existimationis. Matth. XXI. Interpres Syrus vertit איך דלנביא אחירין הוי לה *tanquam prophetam habebant eum*. Ad quam versionem Latinam, quam quidem Immanuel Tremellius fecit, Franciscus Junius ita: *Ad verbum. Tenebant eum: quæ phrasis in Gallica quoque lingua, & in Germanica ac Italica in usu est frequenti. Dicimus enim, On le tenoit pour un prophete. Italice, Era tenuto per un propheta. Germanice, Er vvard gehalten für einen Propheten.* Sed, ut ad vocabulum Latinum redeamus, non observandum modo, quod vocabulum Latinum vernaculo nostro *halten* significationibus atque usibus illis proximis non congruat; verum etiam, quod omnino pluribus quam una illa quæ paulo ante dicta est, significationibus atque usibus rursus congruat: exempli gratia, quod non tantum dicant

manu

manu aliquid tenere, ſed & *modum tenere*, *linguam tenere*, *fidem tenere*, *legem tenere*, *legibus ſe tenere*, *domi ſe tenere*; non aliter ſcilicet quam nos Germani non tantum dicimus, *mit der Hand halten*, ſed & *maße halten*, *das Maul halten*, *glauben halten*, *das geſez halten*, *ſich nach den geſezzen halten*, *ſich zu hauſe halten*. Atque harum locutionum Latinarum exempla ex optimis Latinitatis auctoribus infra nos producturi ſumus. Pari modo de verbo *facere* ſciendum eſt non tantum, quod a noſtro *machen* uſibus quibusdam diſcrepet, verum etiam quod non uno tantum, ſed multis uſibus cum eodem congruat. Exempli gratia, quod, quomodo nos dicimus *einen anfang*, *ein ende machen*, ita Latini dicunt *initium facere*, *finem facere*: & quomodo nos dicimus *friede machen*, ita illi *pacem facere*; itemque verbo compoſito *pacificari*: & quomodo nos dicimus *Geld vvoraus machen*, ita illi *pecuniam ex aliqua re facere*: & quomodo nos dicimus *ſich luſtig machen*, ita illi *hilarem ſe facere*. Atque harum phraſium Latinarum exempla itidem infra ex optimis auctoribus producturi ſumus. Sunt autem hæc, ut dixi, eo obſervanda, ne alios, ſi forte talia uſurpent, reprehendamus, aut inſcitiæ ac ruditatis eos ſuſpectos habeamus; neve bonam partem Latinitatis ignoremus ipſi, ſed ubi uſus fuerit, ſecure eam adhibere queamus. Receptum ſane eſt, ut quamvis lingua Latina nulli amplius genti ſit vernacula, tamen Latine ſcribere ac loqui ſtudeamus, cumque φροντίδας noſtras cognoſcendas dare aliis volumus, ſubinde lingua Latina id faciamus. Quare par omnino fuerit, ut ad genium linguæ Latinæ diligenter attendamus, atque operam demus, ut qua lingua uti placet, ea quam fieri poteſt rectiſſime utamur: quam item recte aut ſecus utantur

tur alii, judicare queamus. At fieri hoc nequit, nisi, quid linguæ Latinæ genius ferat aut non ferat, sciamus & quasi in numerato habeamus, id est, nisi sciamus non tantum, quibus significationibus atque usibus vocabula Latina a nostris discrepent, verum etiam, quibus significationibus atque usibus eadem vocabula cum nostris congruant. Quæ cum ita sint, apparet, de his talibus omnino curam aliquam suscipiendam esse ei qui bene Latine scire velit videri. Et patrum quidem memoria vir clarissimus Henricus Stephanus, cum animadverteret bonam Latinitatis partem, quæ rectissime se haberet, Gallis suis suspectam esse, quod non crederent vocabula latina tot significationibus atque usibus congruere cum detortis inde vocabulis Gallicis, quod significationes atque usus in ipsis illis vocabulis Gallicis observarent, libellum sibi conscribendum putavit, quo populares suos moneret, quosdam vocabulorum usus, qui vulgo suspecti essent, recte satis se habere, neque timendum super iis, sed secure eos frequentandos esse. Atque hujus viri clarissimi exemplum secutus ego observare atque colligere cœpi vocabula Latina, certasque vocabulorum significationes ac usus, qui vel ipsi mihi suspecti aliquando fuerunt, vel aliis suspecti adhuc esse possint; non quidem singularum nationum hominibus, sed Germanis meis. Sunt sane quæ non tam Germanis, quam aliarum nationum hominibus suspecta esse possunt. Sunt de quibus seorsum dubitent Galli. Sunt quæ suspecta seorsum esse possint Italis. Nec desunt quæ non proba videri possint alicui ceterarum nationum. De quibusdam vero non unius modo, sed omnino plurium nationum homines dubitare possint: exempli causa vel Itali cum Gallis, vel Galli cum Germanis, vel

Germani

Germani cum Anglis, aut Danis; prout nimirum linguarum quæ hodie obtinent duæ aut plures inter se congruunt, & discrepare ab his videri possit lingua Latina. Quæ igitur Latina suspecta esse possunt nationibus aliis, ea ipsis earum nationum hominibus observanda relinquo: Hic vero tantum commemorabo, quæ suspecta esse possunt Germanis: quomodo & Henricus Stephanus in prædicto libello suo fere ea tantum recensuit quæ suspecta esse poterant Gallis. Antequam vero rem aggrediar, monendum videtur, minime me illud agere, ut licentiam quandam inducam in linguam Latinam, atque omnia hic tuta esse, nec ab idiotismis linguæ Germanicæ amplius cavendum esse nostris hominibus persuadeam; sed ut commonefaciam modo eosdem, ne omnia tuta timeant, sed quæ vere Latina sunt, iis secure atque libere utantur. Exempli gratia, si docuero recte dici, *modum tenere*, *linguam tenere*, *fidem tenere*, *legem tenere*, *legibus se tenere*, *domi se tenere*, non continuo illud volo, recte item dici *convivium tenere*, *concionem tenere*, *pro propheta aliquem tenere*. Fit sane sæpissime, ut nostri homines, cum verba Latina conantur, idiotismos linguæ vernaculæ usurpent, & linguam Latinam congruere putent cum vernacula, ubi ea minime congruit. Verum talium minime sane ego patrocinium susceperim, aut de Latinitate sua eos securos esse jusserim. Quin imo, qui de Latinitate falso suspecta nunc scribo, idem scripturus quoque fortasse sum, si quidem Deus vitam concesserit, de Latinitate merito suspecta, & vel plane inepta vel saltem minus probata. Sed in præsentia hoc agamus.

CAPUT

CAPUT III.

De nominum quorundam ſubſtantivorum uſibus, qui ſuſpecti eſſe poſſint.

PRincipio non pauca vocabula ſunt illius partis orationis, quam Grammatici nomen vocant, quorum uſus quidam ſuſpecti eſſe poſſint. Et quia nomina vel ſubſtantiva ſunt, vel adjectiva, primo de ſubſtantivis videamus. Dicimus nos vulgo *in der Sonne ſitzen*, *in der Sonne gehen*, ſi quis ſedeat aut ambulet in eo loco ad quem radii ſolares deferuntur: atque ita noſtro vocabulo *Sonne* non ipſam corporis ſolaris ſubſtantiam, ſed proficiſcentes inde radios, vel locum potius ad quem radii ſolares deferuntur, deſignamus. An igitur Latine ſimiliter dicere liceat, *in ſole ſedere*, *in ſole ambulare*; ut adeo vox Latina quoque non ipſam ſolis ſubſtantiam, ſed a ſole proficiſcentes radios, vel potius locum ad quem radii ſolares deferuntur, ſignificet, dubium eſſe poſſit. Verum certum omnino eſt, ipſos quoque Latinos ita loqui, & vocabulum Latinum vocabulo noſtro non una tantum, ſed & altera ſignificatione reſpondere. Tullii verba quædam in ſecundo de Oratore hæc ſunt: *Ut cum in ſole ambulem, etiamſi aliam ob cauſam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer: ſic cum iſtos libros ſtudioſus legerim, ſentio orationem meam illorum cantu quaſi colorari.* Idem uſus vocabuli intelligi quoque poteſt ex his: *Unam mehercule tecum apricationem in illo Lucretino tuo ſole malim quam iſtiusmodi regna.* Leguntur hæc in epiſt. XI. libri VIII. ad Atticum. *Sol Lucretinus* Attici nihil aliud eſt, quam locus & prædium quoddam Attici, ad quod radii ſolares deferrentur: *& apricari in ſole Attici Lucretino* nihil aliud quam apricari

apricari in illo Attici prædio. Libro IV. de fin. bon. & mal. idem Tullius ait: *In sole lucernam adhibere nihil interest.* Ubi *in sole* itidem nihil aliud est, quam *in radiis solis* vel *in loco ad quem radii solis deferuntur.* Alibi dicit *in solem procedere*, *in solem producere.* Dicunt etiam *caligare in sole* pro *caligare in radiis solis* vel *in loco ad quem radii isti perveniunt.* Item, *exuri in sole*, pro *exuri in loco ad quem radii solares deferuntur.* Celsus lib. I. de re med. cap. 3. *Si quis vero exustus in sole est, huic in balneum protinus eundum est.* Denique quod nos dicimus *aus der Sonne gehen*, id Latine dicere possis, *a sole abire* vel *discedere.* Sane Tullius dixit *a sole abesse.* Libro quinto Tusc. quæst. *Diogenes liberius, ut Cynicus, Alexandro roganti, ut diceret, si quid sibi opus esset, Nunc quidem paululum, inquit, a sole absis, officiebat enim apricanti.*

Porro vero de vocabulo *cursus* videamus. Hujus quoque usus aliquis suspectus esse possit: videlicet si dicatur *cursus vitæ*, quomodo nos dicimus *lebenslauf.* Sed loquitur ita ipse rursus Tullius. Ut lib. I. Offic. *Facile totius vitæ cursum videt.* Idem: *Spatium etiam deliberandi habuerunt, quem potissimum vitæ cursum sequi vellent.* Idem Tullius pro *cursus vitæ* dicit etiam *cursus vivendi.* Lib. I. Offic. *Ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit, quod optimum esset, judicare.* Dicitur etiam *cursus rerum.* Epistolarum ad fam. lib. IV. epistola II. *Neque solum ea respicis, quæ geruntur, quæque jam gesta sunt, sed etiam qui cursus rerum, qui exitus futurus sit.* Theologus quidam recentior scripsit etiam sic; *Atque ita fert cursus mundi;* scilicet ut boni adversa, mali vero prospera fortuna utantur. Quod an superioribus illis geminum haberi possit, non liquet. Porro

ut

ut nos dicimus *der Sonnen lauf*, *der Sterne lauf:* ita Latini *cursus solis*, *cursus stellarum*. Tullius de nat. D. *Stellæ cursus certos & constantes habent*. Et de somn. Scip. *Orbis extremus*, *in quo infixi sunt illi qui volvuntur stellarum cursus sempiterni*. Navibus quoque Latinos cursum tribuere notum est. Tullius de Offic. *Naves in cursu frumento onustas vidi*. Deinde ipsi homines qui navibus feruntur *in cursu esse*, *cursum tenere*, *cursum dirigere aliquo* dicuntur. Cornelius Nepos Miltiade: *Miltiades morandi tempus non habens cursum direxit quo tendebant*. Cæsar lib. III. de B. Civ. *Si vel ad littora Apolloniatium cursum dirigerent*. Cicero de nat. D. *Dionysius cum secundissimum cursum teneret*. Virgilius libr. I. Æn. *Est locus*, *Hesperiam Graji cognomine dicunt*, *Huc cursus fuit*. Et lib. III. *Ni teneant cursus*.

De vocabulo *finis* Henricus Stephanus monendos putavit Gallos suos, quod quomodo Galli dicunt *à fin* & *à celle fin*, ita Latini dicant *eo fine* vel *ea fini:* & quomodo Galli dicunt *à quelle fin*, ita Latini dicant *ad quem finem*. Verba ejus in libello de Latinitate falso suspecta sunt: *Quis pro eo quod dicimus à fin vel à celle fin*, *dici itidem posse eo fine vel ea fini existimet? At possumus sane: ita ut hæc Gallica je luy obei à celle fin que d'emmemi je le rende ami*, *possis ita interpretari*, *Illi obedio ea fini*, *ut ex inimico reddam amicum*. Mox deinde ex capite III. libri VII. Noct. Att. Gellii producit hæc: *At hoc plane stultitiæ plenum est*, *eo consilio atque ea fini facere nolle aliquid*, *uti nunquam id facias quod velis*. Subdit etiam, quomodo Galli dicunt *à quelle fin*, ita ipsum Ciceronem dicere *ad quem finem*. Quæ vero est causa quod Stephanus hoc ita monendum putavit? Credidit ille dubium

esse posse Gallis suis, an vocabulum *finis* cum orto inde Gallico *fin* non modo alia significatione, sed & causæ propter quam aliquid fiat, congruat. Vox Latina significat primo istud quod Græci πέρας & ὅρον vocant; ipsi Latini autem terminum quoque & extremitatem dicere possunt. Atque ea significatione orta inde vox Gallica *fin* cum ipsa Latina congruit utique. Sed Galli voce sua etiam notione causæ propter quam fit aliquid, utuntur, dicuntque *à celle fin*, *à quelle fin*, cum significare volunt, quam ob causam aliquid factum sit. Non minus igitur ipsa quoque Latina vox, unde Gallica illa orta est, causam istiusmodi significare potest; dicitque similiter, *ad quem finem*, *ad eum finem*, & alio casu, ac sine præpositione, *quo fine*, *eo fine*, aut *ea fini*. Neque tantum in istis phrasibus, sed & sæpe alias ea notione vox usurpatur. Ut quod Cicero ait: *Domus finis est usus*, id est, propter quod domus fit, causa propter quam domus fit, est usus. Item: *Finis bonorum quo referuntur, & cujus causa facienda sunt omnia.* Quomodo autem de phrasibus *ad quem finem*, *& eo fine*, Stephanus monendos putavit Gallos suos: ita de iisdem ego monendos puto Germanos meos. Dicimus & nos *zu welchem ende*, *zu dem ende*. Quomodo igitur Gallis, ita nobis quoque scrupulus oriri possit, an pari modo Latine dicatur *ad quem finem*, *ad eum finem*. Qui scrupulus ut eximatur, ad auctoritatem bonorum auctorum, Ciceronis & id genus aliorum, recurrendum fuerit. Rursus tamen sciendum, phrases *quem ad finem*, *ad eum finem*, notione quoque alia usurpari; ut nimirum idem significent quod *quamdiu*, *tamdiu*, vel *quousque*, *eousque*. Quæ quidem duplex significatio phrasewn ex duplici, de qua dicebam, vocabuli *finis* notione originem

originem trahit. Vox *finis* significat tum extremitatem, terminum; tum causam, propter quam aliquid fit. Non mirum ergo, si phrasis quoque *ad quem finem* significet tum idem quod *ad quem terminum*, *quamdiu*, *quousque*; tum idem quod *propter quam causam*. Sed significationis illius prioris etiam exempla proferamus. Cæsar lib. II. de B. Gall. *Neque nostri longius quam quem ad finem porrecta ac loca aperta pertinebat, cedentes insequi auderent.* Hic *quem ad finem* idem est quod *quousque*, *ad quem terminum loci.* Sed non de termino loci tantum, sed & de termino temporis usurpatur. Cicero Orat. I. in Catil. *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu nos etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit audacia?* Apparent hic tria ἰσοδύναμα, *quousque*, *quamdiu*, & *quem ad finem*: & facile intelligitur, *quem ad finem* idem esse quod *quamdiu*, *quem ad terminum temporis.* Porro quomodo *quem ad finem* idem est quod *quamdiu*, ita *ad eum finem* idem est quod *tamdiu*, *eousque.* Cornelius Nepos in Epaminonda: *Exercebatur plurimum currendo & luctando, ad eum finem, quoad stans complecti posset atque contendere.* Hic *ad eum finem quoad* scriptum est pro *tamdiu*, *donec.* Cicero addit voculam *usque*, dicitque *usque ad eum finem, dum.* Actione I. in Verrem. *Manfit in conditione atque pacto, usque ad eum finem dum judices rejecti essent.* Item lib. I. de nat. D. *Quid dicam quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisque iis quæ procreaverunt, usque ad eum finem dum possint seipsa defendere.*

Porro & de vocabulo *casus* videamus. De hoc quoque Henr. Stephanus monendos putavit Gallos suos; videl. quod, quomodo Galli dicant *en ce cas*,

ita Latini *hoc casu* vel *hoc in casu*. *Esse tamen Latinum*, inquit, *negari non potest, quin aliqua sermoni Jurisconsultorum injuria fiat.* Sed ex libris tamen Jurisconsultorum nihil profert, quo istum vocabuli usum probum ostendat. Tantum ex cap. V. libri VII. Columellæ locum profert; quem tamen huc non pertinere scribit. *Videbar mihi*, inquit, *apud Columellam quoque usum illum* (phraseos *in hoc casu*) *invenisse, sed ad locum illum veniens comperi, eum proprie esse usum, i. e. propriam illi nomini significationem tribuendo.* Ipsa autem verba Columellæ hæc sunt: *Si ægrotat universum pecus, ut & ante præcipimus, & nunc, quod remur esse maxime salutare, iterum asseveramus, in hoc casu quod est remedium præsentissimum, papula mutemus, & æquationes totius regionis, & alium quæramus statum cœli.* Quod de significatione vocabuli *casus* propria quæ in verbis Columellæ sit, dicit, intelligere videtur eam significationem qua vocabulum significat calamitatem, fortunam adversam. At nec ista vocabuli significatio est propria. Potius significatio vocabuli propria fuerit, illa quæ in his Ciceronis, quæ sunt in Orat. pro Cæcina, apparet; *Via lubrica qua insistere aut ingredi sine casu aliquo aut prolapsione vix possis.* Item in his Cornelii Nepotis quæ de Epaminonda scripsit: *Neque prius absceſſerunt, quam fortissime ipsum Epaminondam pugnantem sparo eminus percussum concidere viderunt. Hujus casu aliquantum retardati sunt Bœotii.* Sed de illo vocabuli usu videamus de quo initio dicebamus; quod videlicet dici possit *in hoc casu*, quomodo Galli *en ce cas*. Nam & Germanis meis eadem suspecta esse possit, & formata videri ad nostram phrasin *in solchem fall*. Sane in institutionibus juris, quæ Latinitatem non pessimam habent, aliquoties

aliquoties istum vocabuli usum observasse memini. Libro II. tit. 27. leguntur hæc: *Si quis voluerit heres esse: aut vivo testatore, aut post mortem ejus antequam hæreditatem adiret, decesserit: aut conditione sub qua heres institutus est defectus sit: in his casibus paterfamilias intestatus moritur.* Et tit. 14. *Est tamen casus, in quo* (casu) *nec cum libertate utiliter servus a domina heres instituitur.* Nec dubium est, quin in Digestis quoque talia reperiantur.

Quod vox *status* idem sit quod *conditio*, notum quidem est: sed sæpe tamen incidit scrupulus, si quem audiamus sic loqui, *Quo in statu est res tua?* Vix enim credimus, Latinos vocem suam *status* & hic usurpare, ubi rerum conditio est denotanda; ut adeo nostræ voci *stand* non alias modo, sed & hic respondeat. Dicimus enim nos, *in welchem stande sind deine Sachen?* Deinde ipsum quoque verbum *stehen* in hanc sententiam usurpamus, dicimusque, *wie stehet es um deine Sachen?* Qua quidem forma Latinum *stare* nostro *stehen* non respondet. Sed alterius illius exempla sunt afferenda. Cæsar lib. VI. de B. Gall. *Eo tum statu res erat.* Livius lib. XXII. *In quo statu est res tua.* Deinde non tantum rem hominis, sed & ipsum hominem in aliquo statu esse dicunt. Cicero in epist. ad Att. *Quo in statu sim, vides.* Et in Paradoxis: *ut in eo statu essem, quem neque fortunæ temeritas, neque inimicorum labefactaret injuria.* Dicunt etiam, *deteriore statu esse, meliore statu esse.* Item, *pervenire ad aliquem statum, manere in aliquo statu, amittere aliquem statum, restitui in antiquum statum, statum vitæ alicujus commutari.* Quæ ῥήσεις passim in scriptis Tullii & aliorum occurrunt. Notetur denique, quod etiam dicunt, *remp. aliquo statu stare.* Cicero in Officiis: *Atque utinam resp. stetisset,*

quo ſteterat ſtatu. Ita ipſum verbum, unde nomen eſt derivatum, cum hoc ipſo conjungitur. Eſtque hoc affine ei quod nos noſtrum verbum *ſtehen* ad talem ſenſum exprimendum adhibemus; quanquam paulo aliter conſtruamus, neque ipſum derivatum nomen *ſtand* tunc ei jungamus.

Vox *tempus* ſæpe non quodcunque tempus, ſed juſtum & commodum, imo quo oportet aliquid fieri, ſignificat: & quomodo nos dicimus, *Es iſt zeit ſolches zu thun*, ita Latini dicunt, *tempus eſt hoc facere.* Virgilius Ecl. III. *Ipſe, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.* Plautus Mil. glorioſo: *Nunc nos tempus eſt malas pejores fieri.* Juſtinus lib. XI. *Tempus eſt vices excipere melius acturos.* Cicero lib. IV. Quæſt. Acad. *Nauta ſignificat navigandi nobis tempus eſſe.* Et lib. IV. ep. 5. ad Att. *Jam tempus eſt me ipſum a me amari, quando ab aliis nullo modo poſſum.* Cornelius Nepos Datame: *Tempus eſt majores exercitus parari.* Item Ageſilao: *Cum tempus eſſet viſum copias extrahere ex hibernaculis.* Et Pelopida: *Cum tempus eſt viſum rei gerendæ.*

Vox *menſa* non recte uſurpata videri poſſit, ſi dicatur *ſuper menſam* pro *ſuper cœnam* vel *inter cœnam*; quomodo nos dicimus *über tiſch.* Tunc enim vox *menſa* pro ipſa cœna & pro ipſo cœnandi actu ponitur. Scripſit tamen ita Curtius in libro ſeptimo: *Beſſus circumferri merum largius jubet, debellaturus ſuper menſam Alexandrum.* Ipſius quoque voculæ *ſuper* uſus hic ſuſpectus eſſe poſſit, ac dubitari, an dici liceat *ſuper cœnam.* Sed & hunc voculæ *ſuper* uſum non malum eſſe, tum ex loco Curtii, quem modo produximus, tum ex illis, quæ infra dicturi ſumus, intelligi poteſt.

Vocis *nihil* quoque uſus in quibusdam ῥήσεσι

ſuſpectus

ſuſpectus eſſe poſſit. Quare & de hoc monendum nonnihil fuerit. Cum exprimendum eſt rem non ita ſe habere, dicimus nos, *Es iſt nichts.* Et pari modo etiam Latini, *Nihil eſt.* Cicero lib. XII. ep. 20. *De Accio Dionyſio nihil puto eſſe: quoniam nihil mihi dixit Stratorius.* Sed ſunt & alii hujus phraſeos uſus, qui cum noſtræ uſu congruunt. Terentius Heaut. *nihil eſt quod moreris diutius*, pro *non eſt opus.* Idem ibidem: *At quod ſperem de argento, aut poſſe poſtulem me fallere, nihil eſt*, pro *fruſtra eſt, nulla ſpes eſt.* Plautus Captivis: *Nihil eſt ignotum ad illum mittere: operam luſeris.* Porro ut nos dicimus *nichts gutes:* ita Latini *nihil boni.* Livius lib. III. *Nihil boni divinat animus.* Ubi *nihil boni* ponitur pro *aliquid mali.* Dicunt item *nihil novi*, ut nos *nichts neues.* Terentius Phorm. III. 1. *Nihil fecit novi.* Idem quoque dicit *minus nihilo*, ut nos *weniger als nichts.* Phormionis A. III. ſc. 3. *Unde ego nunc tam ſubito huic argentum inveniam miſer, cui minus nihilo eſt.* Notetur item quod in Phormione dicit *nihil dictu facilius*, ubi ſignificandum eſt, facile eſſe dictu, at non facile, ſed difficile factu. Verba Terentii ſunt: *Non ratio, verum argentum deerat. D. Sumeret alicunde. G. Alicunde? nihil dictu facilius.* Noſtri dicunt, *Es läſt ſich wohl ſagen.*

CAPUT IV.

De nominum quorundam adjectivorum uſibus qui ſuſpecti eſſe poſſint.

INter nomina adjectiva quorum uſus quidam ſuſpecti eſſe poſſint, eſt vocabulum *bonus.* Dubitent nimirum quidam, an ſatis Latine dicatur *bonum animum habere*, quomodo nos dicimus *einen*

guten muth haben. Noſtra vocula *gut* ſignificat hic *curis vacuum*, *defæcatum*, *non anxium*, *non ſollicitum.* Quæritur ergo, an non modo aliis, ſed & ipſo hoc uſu vox Latina congruat cum noſtra: ut *animus bonus* idem ſit quod animus curis vacuus, defæcatus? Et certum eſt βῆσιν hac notione in bonis auctoribus paſſim obviam eſſe. Sane *bonus animus* auctoribus eſt quoque idem quod *animus benevolus*, *animus integer.* Cornelius Nepos Ageſilao: *Ut ſi bono animo feciſſent*, *laudavit conſilium.* Cæſar libr. I. de B. Gall. *Nondum bono animo in populum videbantur.* Verum alter ille vocabuli uſus non minus frequens eſt. Plautus Pſeud. III. 2. *Habe modo bonum animum. BA. Quæſo qui poſſim, doce, animum bonum habere qui te ad me adducam domum.* Sic & Act. IV. Sc. 1. & alibi. Livius lib. VII. *Ceteris bonum animum habere juſſis.* Dicunt etiam *bono animo eſſe*, *& bono animo uti.* Plautus Capt. II. 1. *in re mala animo ſi bono utare*, *adjuvat.* Eadem vocabuli notio eſt, cum dicunt *animum bonum facere*, uti nos *einen guten muth machen.* Plinius l. VII. ep. 30. *Licet tu mihi bonum animum facias.* Græcorum quoque vocabulum ἀγαθὸς cum noſtro, itemque cum Latino, non modo aliis ſignificationibus, ſed & ipſa hac congruit, dicuntque Græci, Ἐχε θυμὸν ἀγαθόν. Lucianus alicubi: Θαῤῥεῖν χρὴ καὶ θυμὸν ἔχειν ἀγαθόν. Quin & Hebræorum vocula טוב non multum diſcrepat. Hebræis enim לב טוב idem ſit quod *cor hilare*, *animus hilaris.* Porro de vocabulo *bonus* notetur, quod quandoque idem eſt quod *magnus*; atque ita cum noſtra vocula rurſus congruat. Dicimus nos *ein gut theil*, *ein guter vorrath.* Et pari modo Latini *bona pars*, *bona copia.* Horatius lib. I. Sat. I.

At bona pars hominum decepta cupidine falſa
Nil ſatis eſt inquit.

Idem

Idem lib. I. Ep. XIIX.

Sit bona librorum & proviſæ frugis in annum Copia.

Cicero lib. II. de Orat. *Bona pars ſermonis in hunc diem eſt dilata.* Ovidius in Faſtis: *Pars bona montis erat.* Florus vocem *magna* per ἐπεξήγησιν addit, dicitque *Bona magnaque pars.* Sed ſunt adhuc alii iſtius vocabuli uſus de quibus hic itidem monendum videtur. Sæpe nos noſtra vocula fere per pleonaſmum utimur, dicimusque *Ein guter freund, gute hoffnung, guter friede.* Et pari modo Latini, *bonus amicus, bona ſpes, bona pax.* Sane qui vere amicus alicui eſt, is neceſſario & bonus ei eſt. Et tamen non dicunt tantum *amico uti aliquo,* ſed & *bono amico uti aliquo.* Curtius lib. VII. *Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti.* Cornelius Nep. in Themiſtocle: *Si tuam amicitiam ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus eſt.* Phraſin *bonam ſpem habere* paſſim habet Tullius. Ut lib. I. epiſt. 2. ad Quint. *Magnum fac animum habeas, & ſpem bonam.* Et lib. II. ep. 5. ad fam. *Bonam ſpem habes de republica.* Ut nos dicimus *guter friede* & *in gutem frieden leben:* ita Plautum dicere *bona pax,* in ſuo de Latinitate falſo ſuſpecta libro teſtatur Stephanus: qui idem ſuos quoque Gallos monendos putavit, ne ſi dicatur, *bona pax,* id minus probum putent. Horatius numero quoque plurali *paces bonæ* dixit. Ut lib. II. ep. 1. *Hoc paces habuere bonæ, ventique ſecundi;* quod videlicet tanta varietas artium eſt in Græcia. Notetur porro, quod, ut nos dicimus, *ein guter Poët, ein guter ſchuſter,* atque ita noſtro vocabulo artis excellentiam denotamus, ita Latini dicant *bonus poëta, bonus ſutor.* Prius horum Cicero, poſterius Horatius habet. Pari ratione *bonum*

furem dixit Catullus, qui artis furandi bene peritus est. Quod verba lenia, nec aspera, Latini vocent *bona verba*, ut nos eadem vocamus *gute worte*, id quoque notum esse potest. Et locuti sic sunt Plautus ac Terentius.

Porro & de vocabulo contrariæ notionis, id est de vocabulo *malus*, videamus. Et primo quidem ut lenia verba vocant *bona verba:* ita verba aspera vocant *mala verba.* Cujus exempla in Plauto & Ovidio exstare Henr. Stephanus testatur: qui quidem & Gallos suos ea de re monendos putavit. Deinde ut dicitur *bonus poëta*, *bonus sutor*, *bonus medicus:* ita dici potest *malus poëta*, *malus sutor*, *malus medicus*, pro eo qui artis suæ non satis peritus est. Illud quoque notandum, quod quomodo nos nostram vocem de maledico usurpamus, dicimusque *ein böses Maul*, ita Latini suam vocem *malus*, usurpent. Sic *malum carmen* Horatio aliisque dici quod est maledicum, Henr. Stephanus observavit. Alia notione tamen *malum carmen* dicitur illud quod non doctum, nec arti satis congruum est: ut e contrario *bonum carmen* dicitur quod doctum est & eidem arti congruum.

Vox *magnus* quoque inter alia est quorum usus quidam suspecti esse possint. Exempli gratia dubitet quispiam, an recte dicatur *magnus amator*, quomodo nos dicimus *ein grosser liebhaber.* Verum de hoc quoque plane securi esse possumus. Dixit Plautus in Menæchmis, *Magnus amator mulierum.* Et Terentius Eunuchi Act. IV. sc. III. *amatores mulierum maximi.* Ad eundem modum Horatius dixit *magnus adjutor.* Versiculi ejus lib. I. sat. 9. sunt:

Nemo dexterius fortuna est usus, haberes
Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas.

Cicero quoque ad eum modum dixit *magnus opinator.*

nator. Libro IV. quæst. Acad. verba hujus sunt: *Nec tamen ego is sum qui nihil unquam falsi approbem, qui nunquam assentiar, nihil opiner: sed quærimus de sapiente. Ego vero ipse & magnus quidam sum opinator (non enim sum sapiens) & meas cogitationes sic dirigo, &c.* Porro notetur hic φάσις *magna mira*, quæ nostro *groß vvunder* respondet. Habet eam aliquot locis Plautus; ut Henricus Stephanus observavit, & suos quoque Gallos monendos putavit, quod, quomodo Galli dicunt *grandes merveilles*, ita Latini dicant *magna mira.* In universum Latini non minus suam vocem *magnus* frequentant, quam nos nostram *groß.* Dicunt illi *magnus risus, magna amicitia, magna pecunia, magnæ divitiæ, magna spes, magnus timor*, & id genus alia. Horatius lib. I. sat. IIX. *Cum magno risuque jocoque videres.* Cornelius Nepos Alcibiade: *Magnam amicitiam sibi cum quibusdam regibus Thraciæ pepererat.* Idem: *Postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt.* Cæsar. lib. I. de B. Gall. *Magnam se habere spem, & beneficio suo & autoritate adductum Arioviſtum finem injuriis facturum.*

De voce *nudus* quoque monendum hic fuerit. Nam & hujus quidam usus qui satis recte se habent, suspecti esse possint. Exempli gratia dubitet quispiam, Latine dici possit *nudum cœlum* vel *nudus æther*, quomodo nos dicimus *der bloſſe himmel: & cubare sub nudo æthere*, ut nos *unter dem bloſſen himmel liegen.* Sed ferri omnino hanc φάσιν posse apparet ex eo quod Virgilius lib. II. Æneidos ait:

--- --- Nudoque sub ætheris axe
Ingens ara fuit.

Si pleonasmum poëticum *axe* negligas, dicasque *nudo sub æthere*, habes quod nostræ φάσει ex asse respondeat. Dicitur autem *nudus æther, aut nudum cœlum,*

cœlum, cum inter cœlum & illud quod in terra versatur, nihil tecti intercedit. Sane quæcunque in terra sunt, ea omnia sunt etiam sub cœlo. Unde & S. Lucas, cum posset dicere, πᾶν ἔθνος τῶν ἐπὶ τῆς γῆς, scripsit Act. II, 5. πᾶν ἔθνος τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν. Et pari modo S. Paulus Col. I. πᾶσα κτίσις ἡ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, pro πᾶσα κτίσις ἡ ἐπὶ τῆς γῆς. Verum non omnia sub nudo cœlo sunt, id est, ut inter ipsa & cœlum nihil quo tegantur, intercedat. Horatius pro *sub nudo cœlo* dixit *sub Jove frigido*. *Manet sub Jove frigido Venator*, inquit Ode I. libri primi. Ex quo apparet, quid sit quod Latini vulgo dicunt *sub divo*. Nimirum tantundem illud est ac *sub Jove*: & *dius* & *divus* idem quod *Jovis*. Hunc enim nominativum antiquum esse ex Varrone & Prisciano sciri potest. Porro *sub dio* vel *sub divo* & *sub Jove*, nihil aliud est quam *sub aëre*, *sub æthere*, *sub cœlo*. Quod primo apparet ex eo quod Horatius vocem *frigido* addit, dicitque *sub Jove frigido*. Deinde quod veteres Grammatici non aliter interpretantur. Festus voce *Dium*: *Dium*, *quod sub cœlo est extra tectum*, *ab Jove dicebatur*. *Et Dialis flamen & Dius heroum aliquis ab Jove genus ducens*. Sed liquidius adhuc Varro lib. IV. de ling. Lat. *Antiquis enim quod nunc & hi Dei*, *cœlum & terra*, *Juppiter & Juno*, *quod*, *ut ait Ennius*, *isthic est is Juppiter*, *quem dico*, *quem Græci vocant aëra*: *qui ventus est & nubes*, *himber postea*, *atque ex himbre frigus*: *ventus post fit*, *aër denuo*. Et paulo post: *Hoc idem magis ostendit antiquum Jovis nomen*. *Nam olim Diovis & Diespiter dictus*, *hoc est*, *aër & Dies pater*, *a quo Dei dicti*, *qui inde*: *& dies*, *& dius*, *& divus*. *Unde sub dio*, *& Dius fidius*. *Itaque inde ejus perforatum tectum*, *ut videatur Divum*, *id est*, *cœlum*. *Quidam negant sub tecto per hunc dejerare oportere*, *&c.* Sed ad vocem

vocem *nudus* redeamus. De hac notetur porro, quod gladium quoque seu ensem nudum dicunt, si is sit extra vaginam; quomodo nos eundem *einen bloßen degen* vocamus. Ovidius alicubi, *nudo ense concurrere*. Virgilius lib. XI. Æneidos:

Tradit equum comiti paribusque assistit in armis,
Ense pedes nudo, puraque interrita parma.

Sed nec illud est negligendum, quod quomodo nos dicimus *der bloße name*, ita Latini dicant, *nudum nomen*. Justinus, auctor sane non contemnendus, quique ut plurimum verbis Troji Pompeji se multo antiquioris utitur, lib. XXXIX. c. 3. *Cleopatra non tam a viro repudiata, quam a matre divortio viri dimissa Cyziceno in Syria nubit: eique ne nudum uxoris nomen afferret, exercitum Cypri solicitatum, velut dotalem ad maritum deducit.* Plinius lib. V. ep. 8. *Sunt homines natura curiosi, & quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui sermunculis etiam fabellisque ducantur.* In his *nudus* idem est quod *solus*.

De vocabulo *plenus* hic notandum, quod, quomodo nos dicimus *mit vollem segel*, ita Latini dicant *pleno velo*; si scilicet totum velum ventus impleat, ac tum illud, tum ipsam navem propellat. Virgilius lib. I. Æn. *Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.* Cicero pro domo sua: *Cum ipse archipirata cum grege prædonum plenissimis velis navigares.* Notetur item phrasis *pleno ore laudare.* Cicero lib. I. de Off. *Itaque in probris maxime in promtu est, si quid tale dici potest, Vos etenim juvenes &c. contraque in laudibus, quæ magno animo & fortiter excellenterque gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleno ore laudamus.* Ac de hoc proximo Henricus quoque Stephanus monendos putavit Gallos suos, quippe qui similiter dicunt *louer à plene bouche.* Sæpe etiam, cum vehementia quædam affectuum est exprimenda,

da, Latini suo *plenus* utuntur. Dicunt nimirum, *iræ plenus*, *lætitiæ plenus*, *gaudii plenus*, *amoris plenus*, *metus plenus*, *spei plenus*; quomodo nos *voll zornes*, *voll freuden*. Quod itidem hic notandum, ne aliquando suspectum sit. Exempla in Cicerone, Livio, Horatio, aliisque passim sunt obvia. Dicunt etiam *somni plenus*, quomodo nos *voll schlafs*. Cicero VII. in Verr. *Lucebat jam fere: procedit in medium vini, somni, stupri plenus*. Quod denique dicat *luna plena*, quomodo nos *der volle mond*, id nihil dubii habere potest.

Vocem *tutus* non de hominibus tantum, sed & de locis in quibus homines tuti esse possunt, usurpant: dicuntque *via tuta*, *mare tutum*. Cornelius Nepos Themistocle: *Maritimos prædones consectando mare tutum reddidit*. Idem in Chabria dicit, *pervenire in tutum*: & in Conone, *esse in tuto*, sed & compositum faciunt, dicuntque *intutus*, quomodo nos *unsicher*. Plinius lib. XXXVII. nat. hist. *Intutum est scribere stylo, ut vetustissimi prodiderunt*. Livius habet *intutæ viæ*, ut nos *unsichere vvege*. Dicit item, *intuta castra*, *intuta urbs*. Ut lib. V. *Castra Gallorum intuta neglectaque ab omni parte nacti cum ingenti clamore invadunt*. Sed hic tamen vox *intuta* nostræ voci non respondet. Nam *castra intuta* sunt quibus non satis præsidii impositum est, quod castra ipsa tueatur. Sic & ipsum simplex *tutus* non tantum nostro *sicher* respondet, sed vi originis idem etiam est quod nostrum *vvohl besezzet*. Cornelius Nepos Agesilao: *Adjunctis de suis comitibus locum tutum reliquit*. Nostri dicerent, *er hat den ort vvohl besezt gelassen*. Ipsum verbum *tueri* de præsidio & defensione locorum sæpe usurpatur. Cornelius Nepos Miltiade: *Si amicis suis oppida tuendæ tradidisset*. Idem in Conone: *Classis qua mare tueri posset*.

posset. Ergo *tueri oppidum* est quod Livius dicit *oppidum militibus insidere*. Et *oppidum tutum relinquere* idem est quod *oppidum militibus infessum relinquere*. Estque ita vox *tutum* participium. At quod Cornelius dicebat, *Maritimos prædones confectando mare tutum reddidit*, in eo vox *tutum* est nomen, & significat *illud in quo nihil periculi sit timendum*: respondetque nostro *sicher*. Nostra vox sine dubio a Latino *securus* originem trahit. Sed reddidimus etiam ambiguam; ut significet tum *eum qui nihil timet*, tum *eum cui nihil timendum est*. At ipsa Latina vox significat tantum *eum qui nihil timet*. Cui vero nihil timendum est, eum Latini *tutum*, quasi satis defensum, ut nihil ei timendum sit, vocant. Estque nomen ex participio factum. Deinde & locum in quo nihil timendum alicui est, & in quo tutus aliquis esse potest, *tutum* vocant. Estque hic vocabuli homonymia quædam: per quam tamen itidem non participium, sed nomen est: ut cum dicitur *portus tutus*, *mare tutum*. Sed non desiit tamen vox & participium esse. Quod apparet ex phrasi Cornelii Nepotis, *Adjunctis de suis comitibus locum tutum*, id est, militibus insessum atque defensum, *reliquit*. Idem apparet ex eo quod Virgilius lib. I. Æn. dicit, *Auxilio tutos dimittam*.

Vox *extrema* falso suspecta fuerit, si suspecta sit in phrasi *extrema necessitas*: cui congruenter nos dicimus *die euserste noth*. Salustius lib. I. Historiarum scripserat: *Neque quisquam extremam necessitatem, nihil ausus, nisi muliebri ingenio, expectat*. Tacitus dicit, *vitam in extremum adducere, & usque in extrema obstinatus*. Ovidius quoque *durare in extremum*; quomodo nos *bis aufs euserste aushalten*.

De vocula *unus* quoque hic monendum. Sæpe illa non principium numeri, quod unitatem dicimus,

mus, denotat: sed usurpatur pro *aliquis*, *quidam*. Cicero lib. IX. ep. 12. ad Att. *Me una hæc res torquet, quod non omnibus in rebus labentem, vel potius ruentem Pompejum, tanquam unus manipularis secutus sim.* Terentius in Andria: *Forte unam aspicio adolescentulam.* Ubi Donatus: *Tolle* UNAM, *& ita fiet, ut sensui nihil desit. Sed consuetudo mirantis non erit expressa.* UNAM *ergo τῷ ἰδιωτισμῷ dixit. Vel* UNAM *pro* QUANDAM. Plautus Truculento: *Sed est hic unus servus violentissimus.* Idem: *Sed tandem loquere, Quis is homo est, Astaphium, unusne amator?* Rursus in Mercatore: *Is peregre unius redimit ancillam hospitis.* Catullus:

Hæc cum legit tam bellus ille & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus aut fossor
Rursus videtur.

Ovidius lib. III. de Ponto, eleg. V.

Utque sui solitus, sedissem forsitan unus
De centum judex in tua verba viris.

Seneca Epist. XXXIX. *Concupisces & ipse ex illis unus esse.* Et ep. X. *Iste homo non est unus de populo.* Quintilianus in Declamationibus: *Non aliter quam si una objiceretur oculis imago, mente captus steti.* Cicero rursus lib. VII. ep. 16. *Quanquam quicum loquor? Cum uno fortissimo viro: qui posteaquam forum attigisti, nihil fecisti nisi plenissimum amplissimæ dignitatis.* In his omnibus *unus* est pro *quidam*, *aliquis*. Et apparet quam frequens iste vocabuli usus sit, ac minime illum pro Germanismo habendum esse.

CAPUT V.

De usibus quorundam pronominum falso suspectis.

INter pronomina, quæ Grammatici vocant, quorum usus quidam suspecti esse possint, est primo vocula

vocula *Quid*. Exempli gratia, quod nos dicimus, *was wäreſtu, wenn ich dir nicht geholffen hätte*, id dubitent quidam an Latine efferri ſic liceat, *Quid tu eſſes, niſi ego te juviſſem*. Verum locutus ad hunc modum eſt ipſe Cicero. Verba ejus in Orat. XIII. in Anton. hæc ſunt: *Tu vero qui te ab eodem Cæſare ornatum negare non potes, quid eſſes, ſi tibi ille non tam multum tribuiſſet?* Ubi *quid eſſes* dicitur pro *quam dignitatem haberes, quos honores conſecutus eſſes*. Pronomen interrogativum generis neutrius uſurpatur hic de homine; ita quidem, ut hujus ſtatum & conditionem exprimat. Sed non in bonam tantum, ſed & in malam partem uſurpatur. Martialis lib. II. ep. 7. *Vis dicam quid ſis? magnus es ardelio*. De voculis *quod* & *hoc* quoque obſervare licet, quod iis itidem ſtatus & conditio hominum denotetur. Exempli gratia, quod nos dicimus, *Was du geweſen biſt, das biſt du noch*, id Latine dicere poſſis ſic, *Quod fuiſti, id adhuc es*. Plinius Panegyrico in Traj. *Ut vero ad te fortunæ tuæ nuntius venit, malebas quidem hoc eſſe quod fueras: ſed non erat liberum*. Notum quoque eſt vetus ſophisma quod S. Auguſtinus lib. II. de Doctr. Chriſt. proponit: *Quod ego ſum, tu non es. Ego autem homo ſum. Tu igitur non es homo*. Dicere igitur omnino ſic licet, *Quod ego ſum, tu non es:* nec quod ad Latinitatem quidem attinet, quicquam hic deſiderari poteſt. Imo nec de veritate enunciationis dubitandum, ſiquidem illa utatur is qui dignitate & honoribus ab altero differat. At non ſequitur inde, quia alter homo ſit, te hominem non eſſe, quippe manifeſte plures quam tres termini in ſyllogiſmo iſto apparent.

Porro notetur uſus pronominum *is* & *qui*, qui pleonaſmi aliquid habet, atque itidem ſuſpectus

esse possit. Dicimus nos, *ich bin nicht derjenige der dir begehret schaden zuzufügen.* Et pari modo Latini, *Ego non sum is qui tibi damnum dare velim.* Cicero lib. I. Quæst. Acad. *Zeno nullo modo is erat, qui ut Theophrastus, nervos virtutis incideret.* Et lib. IV. *Nec tamen ego is sum qui nihil unquam falsi approbem, qui unquam assentiar, qui nihil opiner.* Rursus lib. V. epist. 21. *Ego is sum, quemadmodum tu facillime potes existimare, qui nihil unquam mea potius quam meorum civium causa fecerim.* Item lib. XV. ep. 4. *Tu es enim is qui me tuis sententiis sæpe ornasti.* Seneca lib. VII. de beneficiis, cap. 24. *Quantum erat quod Socrates accipiebat? At multum erat fuisse, a quo Socrates acciperet.* Ita enim recte ex Mss. emendavit Vir clarissimus Joh. Fred. Gronovius; cum antea lectum esset, *Multum erat commeruisse, a quo Socrates acciperet.* Rursus lib. VII. Quæst. nat. cap. 2. *fuerunt enim qui dicerent, nos esse quos rerum natura nescientes ferat.* Alter Seneca Medea: *Non esse me qui sceptra violenter geram.*

Pronominis compositi *aliquid* usus quoque subinde suspectus esse potest. Et primo quidem dubitet quispiam, an, quomodo nos dicimus, *das ist zwar etwas, aber es ist nicht genug*, ita Latine dici possit, *Est quidem hoc aliquid, sed non sufficit tamen.* Ut igitur hic quoque scrupulus eximatur, recurrendum ad Catonem majorem Tullii, in quo sic scriptum reperitur: *Est illud quidem, Læli, aliquid; sed nequaquam in isto sunt omnia.* Item ad lib. III. ep. 15. ad Att. ubi sic legas: *Quod te cum Culleone scribis de privilegio locutum, est aliquid: sed multo est melius abrogari.* Porro ut nos dicimus, *Die etwas urtheilen können, die etwas begehren zu lernen*, ita Latine dici potest, *Qui aliquid judicare possunt, Qui aliquid discere cupiunt.* Ad hunc modum enim Tullius in Oratio-

Oratione pro Arch. *Omnes qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt.* Item: *Eum non solum colebant, qui aliquid percipere aut audire studebant, verum etiam sequi forte simulabant.* Notetur & illud, quod, quomodo nos dicimus *es hilfft etwas*, ita Latini dicant *aliquid adjuvat.* Cicero lib. XII. ep. 15. ad Att. *Solitudo aliquid adjuvat: sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses.* Idem: *Quod ad te scripsit, id vellem ut ipse adesset. Certe aliquid, quoniam me tam valde amat, adjuvaret.*

De Pronomine *suus* quoque hic monendum. Est sane hoc reciprocum. Sed rursus tamen subinde tale non est; sed usurpatur pro *ipsius, ejus.* Nimirum quomodo nostra vox *sein* duplex officium habet, & tum reciprocum, tum relativum est: ita & Latina vox *suus.* Exempla ex optimis auctoribus mox subjiciam. Cornelius Nepos Cimone: *Incidit in eandem invidiam, quam pater suus, ceterique Athenienſium principes.* Hic *pater suus* scriptum pro *pater ipsius, pater ejus.* Idem Lysandro: *Non virtute sui exercitus, sed immodestia factum est adversariorum*, pro *Non virtute exercitus ipsius.* Rursus Hannibale: *Quo cum multitudine adversariorum sui superarentur: ipse quo cornu rem gessit, fuit superior.* Hic *sui superarentur* dictum pro *exercitus ipsius superaretur.* Ipse quoque Cicero talia subinde usurpavit. Exempli gratia in Philipp. quarta: *Quod autem erat præsidium salutis libertatisque vestræ, C. Cæsaris fortissimorumque sui patris militum exercitus non fuisset?* Hic *fortissimi sui patris milites* est pro *fortiss. patris ejus milites.* Idem pro Rabirio: *Nec illius animi aciem præstringit splendor sui nominis*, pro *splendor nominis ipsius*, scil. Cæsaris. In libris de finibus de Epaminonda: *Quæsivit salvus ne esset clypeus. Cum*

salvum esse flentes sui respondissent, rogavit. Hic *cum sui respondissent* scriptum pro *cum milites ipsius respondissent.* Multa id genus alia ex Cicerone collegit & in Commentariis Græcæ Linguæ proposuit Guil. Budæus. Qui idem ex lib. XXVII. nat. hist. Plinii protulit & hæc: *Curatum ea* (conserva) *scio omnibus fere ossibus confractis prolapsum, ex alta arbore putatorem, circumdata universo corpori, aquam suam aspergentibus, quoties inaresceret, raroque nec nisi deficiente herba mutationis causa resolventibus, convaluisse vix credibili celeritate.* Hic quoque manifeste *aquam suam aspergentibus* scriptum pro *aquam ejus aspergentibus.* Robbigius quoque in Codice Critico multa id genus congesit. Ut quod Plautus in Prologo Menæchmorum scripsit:

Mercator quidam fuit Syracusis senex,
Ei sunt nati filii duo gemini,
Ita forma simili pueri, ut mater sua
Non internosse posset, quæ mammam dabat.

Hic *mater sua* est pro *mater ipsorum.* Ovidius Epist. Penelopes ad Ulyssem: *Respice Laërten, ut jam sua lumina condas,* pro *ut lumina ipsius condas.* Tacitus lib. V. Hist. *Judæi mente sola, unumque numen intelligunt. Profanos qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant: summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt.* Ubi *urbibus suis* pro *urbibus illorum.*

CAPUT VI.

De usibus verbi substantivi esse, *falso suspectis.*

INter verba quæ Grammatici vocant, quorum usus quidam suspecti esse possunt, primo considerandum venit verbum *esse.* Deque hoc notetur primo,

primo, quod quomodo nos dicimus, *Wenn er nicht geweſen wäre, ſo wäre ich umkommen*, ita Latini dicant, *Niſi ille fuiſſet, periiſſem ego.* Ad hunc modum enim Cornelius Nepos in Ageſilao: *Talem ſe Imperatorem præbuit, ut eo tempore omnibus apparuerit, niſi ille fuiſſet, Spartam futuram non fuiſſe.* Et in Conone: *Neque vero non fuit apertum, ſi ille non fuiſſet, Ageſilaum Aſiam Tauro tenus regi fuiſſe erepturum.* Cicero Philip. IV. *Quod autem erat præſidium ſalutis libertatisque veſtræ, ſi C. Cæſaris fortiſſimorumque ſui patris militum exercitus non fuiſſet?* Juſtinus lib. XX. c. 4. *Crotonienſes mutaſſent vitam luxuria, niſi Pythagoras Philoſophus fuiſſet.* In his omnibus verbum *eſſe* non nuda copula prædicati cum ſubjecto eſt; ſed ponitur fere pro *exiſtere:* ſic tamen ut operam & virtutem alicujus ſimul exprimat. Livius quoque ita uſus eſt in lib. II. *Pons ſublicius iter pene hoſtibus dedit, ni unus vir fuiſſet, Horatius Cocles.* Et lib. XXIV. *Habuiſſet tanto impetu cœpta res fortunam, niſi unus homo Syracuſis ea tempeſtate fuiſſet.* Ceterum pro *niſi ille fuiſſet* dicunt etiam *absque illo fuiſſet.* Plautus: *Absque te fuiſſet, hodie nunquam ad ſolem occaſum viverem.* Terentius Phormione: *Absque eo eſſet, recte ego mihi vidiſſem.* Item Hecyra: *Quam fortunatus ceteris ſum rebus, absque una hac foret.* Sed in his proximis verbum ſubſtantivum longe aliter uſurpatur quam in prioribus; neque hic nominativum ante ſe habet, ſed ponitur abſolute.

Porro notetur, quod, quomodo nos dicimus *Als es ſchon an dem war*, ita Latini dicant, *cum jam in eo eſſet.* Cornelius Nepos Miltiade: *Cum jam in eo eſſet ut oppido potiretur, procul in continenti locus neſcio quo caſu nocturno tempore incenſus eſt.* Et Pauſania: *Cum jam in eo eſſet ut comprehenderetur, e*

vultu cujusdam ephori, qui eum monere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Livinus lib. II. *Cum vineis refectis, aliaque mole belli jam in eo esset, ut in muros evaderet miles, deditio facta est.*

In concessionibus dicimus, *es sey also, gesezt daß es so sey.* Et similiter Latini *esto.* Virgilius IV. Æn.

Esto: ægram nulli quondam flexere mariti,
Non Libyæ, non ante Tyro despectus Iarbas,
Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?

Idem lib. VII.

Non dabitur regnis (esto) prohibere Latinis:
At trahere atque moras tantis licet addere rebus.

Terentius Heaut. III. 3. *At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum, pater. C. Esto: at certe concedas aliquo ab eorum ore aliquantisper.* Cicero V. Verr. *Esto: cetera negare non potes.*

Uti nos dicimus *Was ist dir?* ita Latini *Quid tibi est?* Terentius Heaut. II. 3. *Amabo, quid tibi est?* Sic & Plautus Aulularia, *Quid tibi est?* Deinde ut nos dicimus, *Mihr ist wohl, mir ist übel:* ita Latini, *bene mihi est, male mihi est.* Cicero lib. XVI. ep. 2. *Spero ex tuis literis, tibi melius esse.* Item ep. 1. *Volebam ad te Marionem remittere, quem, cum meliuscule tibi esset, ad me mitteres.* Plin. lib. V. ep. 15. *Bene est mihi, quia tibi bene est.*

Dicunt etiam simpliciter *Quid est?* cum scire cupiunt, quid hoc vel illud sibi velit; quomodo nos dicimus, *Was ist da?* Cornelius Nepos Hannibale: *Puer cum celeriter, quid esset, renunciasset, omnesque exitus occupatos ostendisset: sentit id non fortuito factum, sed se peti* Mandaverat isti puero Hannibal, ut omnes ædificii fores circumiret, ac propere sibi renunciaret, num undique eodem modo a legatis Romanorum obsideretur. Tumque

puer

puer renunciavit, quid esset. Terentius Phorm. Act. V. sc. 3. *Eamus ad ipsam una omnes nos: aut scire, aut nescire hoc volo. CH. Ah. D. Quid est? CH. Itane parum mihi fidem esse apud te?*

Cum confirmandum quippiam est dicimus, *Es wird so seyn, es wird sich also verhalten:* atque ita verbo utimur temporis futuri. Ad eum modum Terentius Phorm. Act. V. sc. 3. *CH. Cognatam comperi esse nobis. DE. Quid? deliras? CH. Sic erit. non temere dico: redi mecum in memoriam.*

Porro dicimus etiam *Wenn ich in deiner stelle wäre.* Neque aliter Latini, *Si in tuo sim loco, si in tuo essem loco.* Ita Plautum atque alios scripsisse Henrico Stephano accredimus, qui in libro de Latinitate falso suspecta ea de re testatur; ac præterea ex Bacchidibus profert, *si in isto sim loco,* pro *Si in tuo sim loco.* Ceterum quod cum Plauto dicere licet *Si in isto sim loco,* pro eo dicere possis cum Terentio, *Si istic sim.* Terentius enim, ut notum est, habet, *Tu, si hic sis, aliter sentias,* pro eo quod dicere potuisset, *Tu, si in hoc loco sis, aliter sentias,* vel *Tu, si in meo loco, aliter sentias.* Ex quo etiam intelligitur, pro eo quod dicitur, *si in tuo loco sim;* itemque, *Si in isto loco sim,* posse etiam dici, *Si istic sim.* Verbis Ciceronis possis etiam sic *Si ego sim qui tu es.* Ad hunc modum enim Cicero lib. VII. ep. 23. *Fac, quæso, qui ego sum, esse te: estne aut tui pudoris aut nostri, primum rogare die, deinde plus annua postulare?*

Nostro verbo *seyn* formamus multas phrases quibus actiones vel passiones significamus. Dicimus exempli gratia, *auf der reise seyn, auf der jagt seyn,* cum ipsam peregrinationem, ipsum studium venandi significare volumus. Dicimus *in ehren seyn,* cum significandum est, aliquem honorari seu honore affici. Ad eundem modum Latini quoque

multas phrases formant dicuntque *esse in itinere, esse in venationibus, esse in honore.* Sed primo eas phrases videamus, quæ significant actionem. Cæsar ep. ad Cic. quæ est quinta in lib. XI. ad Att. *Cum Furnium nostrum tantum vidissem, neque loqui neque audire me commode potuisset properantem, atque essem in itinere.* Porro *in venationibus esse* pro *venari* dixit Cæsar lib. IV. de B. Gall. *Esse in vita* pro *vivere,* Cicero in Catone M. Verba ejus sunt: *Cum ex eo quæreretur, cur tamdiu vellet esse in vita: Nihil habeo, inquit, quod incusem senectutem.* Item *esse in timore, esse in cursu, esse in spe, esse in opinione, esse in desiderio* dicunt pro *metuere, timere, fugere, currere, sperare, opinari, desiderare;* quomodo nos *in furcht seyn, im lauff seyn, in der meynung seyn.* Plautus Pseud. A. IV. s. 3. *In metu sum maximo.* Cicero Orat. I. in Cat. *Patria tota in metu est propter te unum.* Corn. Nepos Miltiade: *Maluit eum innoxium plecti quam se diutius esse in timore.* Idem Themistocle: *Ut ei nunciaret suis verbis, adversarios ejus in fuga esse.* Cicero lib. I. de Orat. *Quanquam vos quidem jampridem estis in cursu.* Quod quidem per tropum ibi dicitur: sed nihil vetat tamen, quo minus & proprie sic dicatur. Idem Cicero lib. XIV. ep. 3. *Sed tamen quamdiu vos eritis in spe, non deficiam.* Et in lib. de amicit. *Diutius in hoc desiderio esse non possum.* Ad eundem modum *in luctu esse* pro *lugere* dixit Justinus lib. XXXIX. c. 1. *Cum omnis Syria in luctu propter amissum exercitum esset. In ministerio esse* pro *ministrare* dixit Plinius, quomodo nos, *bey iemand im dienst seyn.* Lib. X. ep. 16. *Apulejus scripsit mihi, quendam nomine Callidromum captum a Susago in Mœsia, & a Decebalo muneri missum Pacoro Parthiæ regi, pluribus annis in ministerio ejus fuisse. Esse in simultate* dixit Cornelius Nepos

in

in Attico. *In amore esse* pro *amare* Terentius in Adelphis Act. IV. s. 2. Sed addit vocem *totus*, dicitque, *Totus in amore est*. *In opere esse* pro *operari* habet Seneca lib. de Tranquill. an. cap. 3. *In colloquio esse* pro *colloqui* habet Cornelius Nepos Datame: *Cum aliquandiu*, inquit, *in colloquio fuissent*. *In voluntate esse* pro *velle* dixit Cicero Orat. pro Ligario. Verba ejus sunt: *M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuisse, in qua seipsum confitetur fuisse*. Idem dixit etiam *in ea sententia esse* pro *ita sentire*. Libro IX. ep. 12. ad Att. *Matius quidem & illum in ea sententia esse confidebat*. Seneca & alii dixerunt *in errore esse* pro *errare*. Libro VI. de Benef. c. ult. *In magnis erroribus sunt qui ingentis animi credunt proferre, donare*. Quandoque vocem aliquam adjiciunt. Ut Terentius Heaut. V. 2. dixit. *in spe situm esse* pro *sperare*, & ut Cicero habet, *in spe esse*. *Adolescens*, inquit, *quam minima in spe situs erit, tam facillime patris pacem in leges conficiet suas*. *In cogitatione defixum esse* & *in cogitationibus versari* habent Cicero & Justinus: Cicero lib. III. de Oratore: *Cum enim in cogitatione defixum esse sensisset, statim recessisse*. Justinus lib. XXXIIX. c. 1. *Dum in his cogitationibus versatur*. Sic & Cicero dixit *in mœrore versari*, *in mœrore jacere* pro *in mœrore esse*: Græci quoque passim his similia habent. Dicunt illi, ἐν ἀνίαις εἶναι *in angore esse*, ἐν φόβῳ εἶναι *in timore esse*, ἐν ὀργῇ εἶναι *in ira esse*, ἐν φροντίδι εἶναι *in cura esse*, id est curare, ἐν ἐπιθυμίᾳ εἶναι *in cupiditate esse*, ἐν γεωργίᾳ εἶναι *in agricultura esse*, ἐν ὀδύνῃ εἶναι *in dolore esse*, ἐν ἀγνοίᾳ εἶναι *in ignorantia esse*, ἐν ἔχθρᾳ εἶναι *in inimicitiis*, *in simultate esse*, ἐν δυνάμει εἶναι *in potestate esse*, id est, posse: & sexcenta id genus alia. Sed videamus etiam, quod istiusmodi phrasibus subinde & passio significetur. Quomodo nos dicimus *in ehren seyn* pro

geehret werden: ita Latini *in honore esse* pro *honorari.* Terentius Eun. A. II. s. 2. *Ille ubi miser famelicus videt me esse in tanto honore.* Suetonius de illust. Gram. *Grammatica olim Romæ ne in usu quidem, nedum in honore ullo erat.* In quibus verbis etiam phrasis *in usu esse* apparet; quæ itidem significationem passivam habet. Sic plane & nos dicimus *im gebrauch seyn* pro *gebraucht werden. In laude esse* pro *laudari* dixit Corn. Nepos in Iphicrate. *In summa laude,* inquit, *fuerunt Iphicratenses milites.* In Thrasybulo dicit, *magna gloria esse,* & voculam *in* subaudiendam relinquit. Contra dicunt etiam *in summa infamia esse:* & similiter Græci, ἐν ἀτιμίᾳ εἶναι. Phrases *esse in spe, esse in desiderio,* paulo ante vidimus significatione activa. Sed eædem usurpantur quoque passive. Cicero Orat. X. in Ant. *Brutus erat in desiderio civitatis, in ore, in sermone omnium.* Ubi *in desiderio esse civitatis* nihil aliud est quam *desiderari a civitate.* Idem Cicero lib. IIX. ep. 15. ad Att. *Dum in spe pax fuit,* id est, dum pax sperabatur. Et lib. I. ep. 10. *Teucris illa* (Antonius) *lentum negotium: sed tamen est in spe,* id est, tamen de eo speratur. Cæsar quoque dicit *magna in spe atque expectatione esse.*

Notentur porro & illæ locutiones, quæ verbum *Est* fere παρέλκον habent. Dicimus nos *Ist es, daß er es thun will.* Pari modo Latini, *Si est, ut ille facere hoc velit.* Terentius Phormione: *Si est culpam ut Antipho in se admiserit.* Ubi Donatus notat: *Honesta locutio, Si est ut admiserit, pro si admiserit.* Nimirum παρέλκον voculæ *Est* illi hac ratione notare voluit. Idem Adelphis III. 5. *Si est, facturus ut sit officium, faciat.* Et Hecyra III. 5. *Si est ut velit reducere uxorem, licet.* Et IV. 1. *Si est, ut dicat velle se, redde: sin est autem, ut nolit, recte consului meæ.*

Rursus

Rursus IV. 4. *Sin est ut aliter tua sit sententia, accipias puerum.* Item: *Manere affinitatem hanc inter nos volo, si ullo modo est ut possis.* Lucretius lib. II. *Quare non est ut credere possis, Esse infinitis distantia semina formis.* Horatius lib. I. ep. 12. *Non est ut copia major ab Jove donari possit.* Et lib. III. Od. I. *Est ut viro vir latius ordinet Arbusta sulcis.* Persius sat. II.

De Jove quid sentis? Estne ut præponere cures
Hunc cuiquam? --- ---

Varro lib. II. de re rust. c. 1. *Si, inquam, numerus non est ut sit ad amussim: deme, si vis, duas res de mulis, admissuram & parturam.*

Sed nec illud est negligendum quod Latini dicunt *esse apud se*, quomodo nos *bey sich selbst seyn.* Exemplum est in illo Terentii Heaut. V. 1. *Præ iracundia non sum apud me.* Et Andr. II. 4. *Proinde tu face apud te ut sies.* Cognatum est, quod, quomodo nos dicimus *wider zu sich selbst kommen*, ita Latini dicunt *ad se redire.* Terentius Adelph. V. 3. *Tandem reprime iracundiam, & ad te redi.* Idem Andr. III. 5. *Sed paululum sine ad me ut redeam: jam aliquid dispiciam.* Hic *redire ad se* idem est quod cogitare quid factu opus sit. Græci quoque dicunt ἐν ἑαυτῷ εἶναι; quod Henr. Steph. ex Luciano affert. Et S. Lucas XV. 17. scribit, Εἰς ἑαυτὸν ἐλθὼν εἶπε, *Cum ad se rediret, dixit.*

Porro ut nos dicimus *in gefahr seyn, in grosser gefahr seyn:* ita Latini, *in periculo esse, in magno periculo esse.* Corn. Nepos Themist. *Idem multo plura bona feci, postquam in tuto ipse, & ille in periculo esse cœpit.* Ubi etiam apparet phrasis *in tuto esse:* quæ gemina est ei quod nos dicimus; *im sicheren seyn.* Livius lib. V. *Arx Romæ in ingenti periculo fuit.* Salustius B. Jugurth. *in summo periculo esse.* Dicunt etiam

etiam *in discrimine esse*. Cornelius Nepos Dat' XIV. 4. *Illum hoc majore fore in discrimine, quod quibus rex maximo obediat, eos habeat inimicissimos.* Sæpe autem vocula *in* omittitur, diciturque *magno periculo esse, pari periculo esse:* ubi tamen eadem vocula est subaudienda. Nepos Hamilc. II. 1. *Ut nunquam pari periculo fuerit Carthago, nisi cum deleta est.* Item Hannib. IX. 2. *Vidit vir omnium callidissimus magno se fore periculo.*

Dicimus nos *Was ist in dem briefe*, cum scire cupimus, quid in epistola scriptum sit. Dubitet autem quispiam, an Latine quoque dici possit, *Quid est in illa epistola?* pro *Quid scriptum est in illa epist.* sciendum igitur, ipsos quoque Latinos sic locutos esse. Cicero epp. ad Att. *Literæ quibus in extremis erat.* Idem ep. 13. lib. VII. ad fam. *Ab eodemque accepi Aviani literas: in quibus hoc erat liberalissimum nomina se facturum cum venisset, qua ego vellem die.* Nepos Paus. IV. 2. *Erant in eadem epistola, quæ ad ea pertinebant quæ inter regem Pausaniamque convenerant.*

Quomodo nos dicimus *Es ist ein jahr daß solches geschehen:* ita Latini, *Annus est cum id factum est*, pro *annus præteriit ab eo tempore quod id factum est.* Cicero IIX. Philipp. *Annus est ut repulsam tulit.* Idem pro Rosc. Com. *Sunt duo menses jam, dices.* Et pro Quint. *Horæ duæ fuerunt. Quintius ad vadimonium non venit, quid ago?* Rursus pro Cluent. *Anni sunt octo, cum ista causa in ista meditatione versatur.* Sed dicunt etiam *Anni sunt octo quod.* Plautus Trinum. II. 4.

Minus quindecim dies sunt, quod pro his ædibus
Minas quadraginta accepisti a Calliele.

Plinius lib. IV. ep. 27. *Tertius dies quod audivi recitantem*

tantem Sentium Augurinum cum summa mea voluptate, imo etiam admiratione.

Notetur etiam Phrasis *victoria est in manibus.* quippe & illa fere congruit cum nostra quadam; nisi quod nos verbo *haben* hic utimur, dicimusque *in hænden haben.* Livius lib. V. *Dictator cum jam in manibus videret victoriam.* Sic & lib. VI. & aliis. In septimo dicit quoque *Occasio in manibus est.* Cui congruit fere quod dicimus, *die gelegenheit in hænden haben.* Alia notione dicitur, *vindemiam in manibus esse.* Plinius lib. IX. ep. 16. *Nobis venari nec vacat, nec licet: non vacat, quia vindemiæ in manibus.* Alia rursus notione liber *in manibus esse* dicitur; nimirum quia editus est & ab omnibus legitur. Et scribit ita Cicero in Lælio & alibi. Frequentant quoque phrasin *in manibus habere:* qua de infra agendum erit. Ceterum dicunt etiam *esse in manu alicujus:* estque hoc idem quod *esse in potestate alicujus.* Habent & phrasin *esse ad manum:* quæ respondet fere nostræ *bei der hand seyn.* Livius lib. III. *Quod coctum ad manum erat cibi.* Et lib. IX. *Adde quod Romanis ad manum domi supplementum esset.* De Phrasi cognata *habere manum* agendum infra erit.

Illud quoque non negligendum, quod dicunt *Estote rogati*, ut nos *seyd gebeten.* Ovidius lib. IV. Metamorph. fab. IV.

His tamen amborum verbis estote rogati,
O multum miserique mei, illiusque parentes,
Ut quos certus amor, quos hora novissima junxit,
Componi tumulo non invideatis eodem.

Macrobius lib. V. Saturnal. cap. 2. *Oratus sis, Eustathi, ut hæc quoque communicata nobiscum velis quantum memoria repente incitata suffecerit.*

CAPUT

CAPUT VII.

De usibus verbi habere *falso suspectis.*

PORro de verbo *habere* videamus, cujus itidem plurimi usus sunt qui suspecti esse possint. Et primo quidem, quomodo nos dicimus *einen lieb haben*, pro *einen lieben:* ita Latini *aliquem charum habere.* Ubi quod mirum videri possit nostris, non est vox *charus*, (hanc enim nostro *lieb* respondere satis observatum est) sed quod voci isti vox *habere* jungitur diciturque *habere charum.* Exempla passim sunt obvia. Si tamen vis, hic quoque nonnulla congeram. Cicero pro Cornelio: *Ut eos, qui principes fuerunt conservandæ salutis aut dignitatis meæ, diligitis & charos habetis.* Hic verbum *diligere* & phrasis *charum habere* conjunctæ apparent. Idem lib. I. de Offic. *Natura impellit, ut hominum cœtus studeat parare ea quæ suppeditent ad cultum & ad victum: nec sibi sed conjugi, liberis, ceterisque quos charos habeat.* Alibi dicit, *Parentes chariſſimos habere debemus.* Terentius Andr. Act. I. Sc. 5. *Quam ego animo egregie charam pro uxore habuerim.* Cæsar lib. VII. de B. Gall. *Summæ se iniquitatis condemnari debere, nisi eorum vitam sua salute habeat chariorem.* Cornel. Nepos Attico: *Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed etiam ei quem chariſſimum habebat, præsidio fuit.* Et in Alcib. *Princeps poneretur, haberetur que chariſſimus.*

Dicunt etiam *habere febrim*, quomodo nos *das fieber haben.* Martialis libr. V. ep. 9. *Non habui febrim, Symmache, nunc habeo.* Cicero lib. VII. ep. 26. *Cum decimum jam diem graviter ex inteſtino laborarem, neque iis qui mea opera uti volebant probarem me non valere, quia febrim non haberem: fugi in Tusculanum.* Pari ratione igitur dici potest,

cepha-

cephalalgiam habere, *podagram habere*. Contra qui febrim aut alium morbum non habet, is *febri* aut alio *morbo carere* dicitur: quod & ipsum novum nec satis probum videri possit; non quidem ob Germanismum, sed ob aliam causam. Vulgo *carere* dicimur his quæ habere velimus. Quam significationem præcipue usitatam Tullius in primo quæst. Tusc. declarat his verbis: *Triste enim est nomen ipsum carendi*, *quia subjicitur hæc vis*, *habuit*, *non habet*, *desiderat*, *requirit*, *indiget*. Et paulo post: *Carere igitur hoc significat egere eo quod habere velis*. Quanquam autem febris non est res talis, quam habere velimus: tamen satis recte dicitur *febri carere*. Quod ipse quoque Tullius in prædicto illo loco addit, atque ita quandam exceptionem facit: *Carere igitur hoc significat egere eo quod habere velis*, *ineſt enim velle in carendo: nisi cum sic tanquam in febri dicitur*, *alia quadam notione verbi. Dicitur enim alio modo etiam carere*, *cum aliquid non habeas*, *& non habere te sentias*, *etiam si id facile patiare. Carere autem malo non dicitur*, *non enim esset dolendum*, *dicitur illud bono carere quod est malum*. Ceterum phrasin *febri carere* ipse quoque Tullius usurpavit in lib. XVI. ep. 13. *Et si mihi nunciavit*, inquit, (Ægypta) *te plane febri carere & belle habere*. In quadam ad Atticum epistola dixit etiam *quartana carere*. Ceterum idem ille Tullius qui scripsit, *carere significare egere eo quod habere velis*, scripsit etiam, *mortem malo carere*, I. Tusc. quæstionum: *perturbatione animi carere*, I. de Officiis: *dolore carere*, in Lælio: *crimine carere*, in Orat. pro Ligario. Terentius vero in Hecyra scripsit *culpa carere*: Ovidius in elegia quadam *labe carere*: Horatius libr. I. epistol. 1. *stultitia carere*. Lucretius in lib. II. *malis carere*.

Ut

Ut adeo nihil mirum nunc sit quod dicunt *febri carere*. Porro cum alii dicant, hominem febri carere, Plautus phrasin invertit, dicitque *febrim carere homine*. Initio enim Curculionis sic habet: *Caruitne febris te heri aut nudius tertius?* Quam locutionem Scaliger. in lib. VI. de re poëtica *nimis antiquam esse* scribit. Henr. item Stephanus in lib. de Latinitate falso suspecta ad *priscam Latinitatem* pertinere putat. Ego vero joci causa & ad risum movendum, quomodo multa alia, ita & illud dictum putem, quod dixit, *Caruitne febris te*, pro *Caruistine tu febri*. Ceterum dicunt etiam *febrim accedere*, si ea quempiam, ut Plautus in Persa loquitur, ineat; & rursus *febrim decedere*. Cicero lib. VII. ep. 2 ad Att. *Alteram quartanam Pamphilius tuus mihi dixit decessisse, & alteram leviorem accedere*. Et in alia quadam ad Att. *Modo audivi, quartanam a te decessisse*. Corn. Nepos Attico: *Subito febris decessit*. Quod nostri dicunt, *Das fieber hat ihn verlassen*. Cum quo congruit quod Græci dicunt, ὁ πυρετὸς ἀφῆκεν αὐτόν. Quod autem S. Lucas scribit, ἡ λέπρα ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ, id congruit cum phrasi Latina *febris decedit*. Denique si quis morbo laborare inceperit, dicitur is *morbum nactus esse*. Corn. Nepos Attico: *Cum tanta prosperitate usque esset valetudinis, ut annos XXX. medicina non indiguisset, nactus est morbum*. Suetonius in Tito dixit, *Febrim nactus*. Et Terentius Phorm. III. *Ex nuptiis tuis si nil nanciscor mali*.

Porro ut nos dicimus *für augen haben*, ita Latini *ante oculos habere*. Qua de re & Henr. Stephanus monendos putavit Gallos suos, dicentes illos, *Iray cela devant les yeux*. Seneca epist. XII. *Molestum est mortem ante oculos habere*. Sic plane & nos, *den tod für augen haben*. Livius lib. V. *Ante oculos habeo urbem*.

Sunt

Sunt quoque multi alii vocis *habere* usus qui suspecti esse possunt: ut *habere finem*, *habere lubidinem*, *habere spem*, *habere voluntatem*. Quare & istarum ῥήσεων exempla afferamus. Cicero de somn. Scip. *Quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est.* Sic plane & nos, *Wem die bewegung ein ende hat.* Ovidius lib. III. de A. am. *Lusus habet finem.* Phrasin *Habet periculum* usurpat Columella lib. XII. c. 21. *Lubidinem habere in aliqua re*, ut nos dicimus *lust worzu haben*, dixit Salustius in B. Catil. *Magis in decoris armis*, inquit, *& militaribus equis, quam in scortis atque conviviis, lubidinem habebant.* Phrasin *habere voluntatem aliquid faciendi & ad aliquid faciendum* habet Cicero in Orat. pro Fontejo, & lib. I. de Oratore. *Quantam voluntatem*, inquit, *habeat ad hunc opprimendum.* Et, *Habere voluntatem nocendi in iracundia.* Phrasis *spem habere* est itidem tritissima. Cæsar lib. I. de B. Gall. *Magnam se habere spem, Ariovistum finem injuriis facturum.* Cicero in epp. *Sive habes aliquam spem de rep. sive desperas.* Idem lib. I. epist. 2. ad Quint. fr. *Magnum fac animum habeas & spem bonam.* Dicunt etiam *habere aliquid in spe, & aliquam rem esse in spe.* Cicero in epp. ad Att. *Quod quidem nulla habeo in spe.* Idem: *Dum in spe pax fuit.*

Illud quoque non negligendum quod dicunt *tempus habere & non tempus habere*, quomodo nos, *Ich habe zeit, ich habe nicht zeit.* Cicero lib. I. ep. 9. *Distinebar, ut vix hic tantulæ epistolæ tempus habuerim.* Cornelius Nepos Miltiade: *Morandi tempus non habens cursum direxit quo tenebat.* Dicunt etiam *Non est tempus ad eam rem.* Terentius Eun. Act. IV. sc. 1. *Ad eam rem tempus non erat.* Quod nos dicimus *die weise haben, den gebrauch haben,*

Latini pari ratione dicunt *consuetudinem habere*. Cicero I. in Ant. *Si consuetudinem quam in rep. semper habui, tenuero.* Dicunt etiam, *consuetudo mea est*, uti nos, *es ist meine weise*. Ad hunc modum enim Horatius lib. I. ep. 9. dicit, *Sicut meus est mos*. Cato l. XV. ep. Cic. ep. 5. dicit, *contra consuetudinem meam. Hæc ego*, inquit, *idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi.*

Porro notetur phrasis *eloquentiam habere*. Dicimus nos, *er hat beredsamkeit genug*. Nec aliter Latini dicunt *satis eloquentiæ habet*. Cornelius Nepos Cimone: *Habebat satis eloquentiæ, summam liberalitatem, magnam prudentiam cum juris civilis, tum rei militaris*. Hic plures ῥήσεις ejusdem generis concurrunt, *habere eloquentiam, habere liberalitatem, habere prudentiam*. Dicimus & nos, *er hat groſſen verſtand*. Deinde ut Cornelius dicit, *satis eloquentiæ*, ita & Saluſtius in B. Catil. *satis eloquentiæ, ſapientiæ parum*. De quo & Gellius lib. I. c. 15. *Saluſtianum illud, ſatis eloquentiæ, ſapientiæ parum*. Et Sidonius Apoll. lib. IX. ep. 9. *A regula Saluſtini tramitis detortus exorbitat qui Catilinam culpat habuiſſe ſatis eloquentiæ, parum ſapientiæ*. Ad quem locum Sidonii quod notat Savaro, Saluſtiana imitatione Æmilium Probum dixiſſe, *Habebat ſatis eloquentiæ*, & de libri auctore fallitur, & de re ipſa. Cum enim Cornelius Nepos libri de excellentibus Imperatoribus Græciæ ſit auctor, isque Saluſtio σύγχρονος fuerit, illum imitatum eſſe hunc non eſt vero ſimile.

Ut nos dicimus *ein werck unter hænden haben*: ſic Latini *opus inter manus habere*. Plinius lib. V. ep. 5. *Occurſant animo mea mortalitas, mea ſcripta. Nec dubito, te quoque eadem cogitatione terreri pro iſtis quæ inter manus habes*. Dicunt etiam, *habere opus*

opus in manibus. Cicero ad Att. lib. IV. ep. 83. *Est mihi utendum quibusdam rebus ex iis libris ad eos quos in manibus habeo.* Idem V. Tusc. *Philosophi, quamcunque rem habent in manibus, in eam quæ conveniunt, congerunt omnia.* Hic *in manibus habere* intelligendum de ipsa libri alicujus compositione. Sed est quoque idem quod *legere, evolvere.* Cicero ad Att. lib. VII. ep. 8. *Habebamus in manibus Antonii concionem.* Significat etiam *fovere, amplexari.* Cicero lib. I. ep. 9. ad fam. *Inimicum meum sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant.* Dicunt etiam *infantem* vel *puerum in manibus habere:* quod nos dicimus, *auf den armen haben.* Eam phrasin memini legere in Justino. Dixerunt etiam *victoriam in manibus habere*, ut nos *den sieg in hænden haben.* Sane Livius lib. V. scribit: *Dictator cum jam in manibus videret victoriam esse.* Deinde dicunt *ex manibus dimittere*, quomodo nos *aus den hænden lassen.* Cæsar. libr. VI. de B. Gall. *Ne speratam prædam ex manibus dimitterent.* Ceterum quod nos dicimus *bey der hand haben, zur hand haben*, ei quoque gemina habent Latini. Cornelius Nepos Eumene: *Itaque habebat eum ad manum scribæ loco.* Cicero III. de Oratore: *Quem servum sibi ille habuit ad manum.*

An vero & *opus habere* recte dicetur, quomodo nos dicimus *nöthig haben?* Trita, satisque nota phrasis est *necesse habere*, cum infinitivo. Ut quod Justinus lib. XL. dicit: *Neque bello alium lacessere, neque lacessitus inferre alicui bellum necesse habuit.* An vero dicatur etiam *opus habere*, & quidem *opus habere aliqua re* pro *opus esse alicui aliqua re*, de eo dubitant quidam. Decimator in Lexico ait, *opus habere vix reperiri.* Et ex scriptoribus quidem ævi

Ciceroniani exempla proferri vix poterunt. At Augustinum reperio non dubitavisse scribere: *Non solum auditore vel lectore, sed etiam expositore opus habeant.* Vide librum IV. de Doct. Christ. c. 21. Sed & antiquiorem eo Columellam eadem ῥήσει usum Caspar Scioppius observavit.

Quomodo nos dicimus *Dieses wird einen guten ausgang haben:* ita Latine dicere possis. *Hoc bonum habebit exitum.* Ad hunc modum enim Cicero lib. II. ep. 16. scribit: *Hæc omnia meliores habebunt exitus.* Cæsar lib. III. de B. C. *Magnarum initia rerum, quæ occupatione magistratuum & temporum sollicitam Italiam habebant, celerem & facilem exitum habuerunt.* Item: *Temere progressus turpem habuit exitum.* Porro quomodo nos dicimus *einen zugang zu einem haben:* ita Latini, *aditum habere ad aliquem.* Cicero ad Att. lib. IV. ep. 8. *Fabium, si quem aditum habes, odorere, & istum convivam tuum deguste.* Idem lib. XIII. ep. 59. ad fam. *Ut quam facillimos ad te aditus habeat.* Columella lib. VII. cap. 12. dicit, *accessum ad aliquem habere.* Cæsar, *receptum habere.* Ut lib. I. de B. C. *Habere se quoque ad Cæsaris gratiam atque amicitiam receptum.* Ut nos dicimus *den willen haben einen umzubringen:* ita Latini *voluntatem habere interficiendi aliquem*, vel *ad interficiendum aliquem.* Cicero pro Font. *Quantam voluntatem habeat ad hunc opprimendum.* In qua locutione & illud congruit cum nostra, quod dicitur *voluntas ad opprimendum* pro *voluntas opprimendi*, quomodo nos nostram voculam *zu* interponimus, dicimusque *der wille einen ümzubringen.* Qua de convenientia infra nobis iterum dicendum erit.

Dubium porro esse possit, an dicere liceat, *Quid*

Quid habes dicere, *nihil habeo dicere*, quomodo nos dicimus *was haſt du zu ſagen*, *ich habe nichts zu ſagen*. Qualia cum Gallis quoque ſuis ſuſpecta eſſe poſſe Henricus Stephanus putaret, monendum & ipſe hac de re in ſuo de Latinitate falſo ſuſpecta libro exiſtimavit. Sed exempla producamus, tum quæ Stephanus produxit, tum & alia quædam. Tullius in Partit. *Quid habes dicere?* Et pro Corn. Balbo: *Quid habes igitur dicere de Gaditano fœdere ejusmodi?* Item lib. II. de Div. *De noſtris ſomniis quid habemus dicere?* Rurſus lib. III. de nat. D. *Hæc fere dicere habui de natura Deorum.* Tale eſt illud Naſonis lib. I. Triſt. eleg. 1.

Plura quidem mandare tibi, ſi quæris, habebam:
Sed vereor tardæ cauſa fuiſſe moræ.

Cicero rurſus lib. II. ep. 22. ad Att. *De Rep. nihil habeo ad te ſcribere.* At in Lælio dixit: *Hæc habui de Rep. quæ dicerem.* Rurſus lib. I. ep. 5. ad fam. *De cauſa regia tantum habeo polliceri, me tibi abſenti tuisque præſentibus cumulate ſatisfacturum.* Suetonius in Aug. c. 58. *Compos factus votorum meorum, Patres conſcripti, quid aliud habeo Deos immortales precari, quam ut hunc conſenſum veſtrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat.* Vellejus Paterc. lib. II. *Id ſolum voce publica dixiſſe habeo.* Horatius: *An melius quis habet ſuadere?* Rurſus Cicero Catone maj. *Neque eos ſolum convenire habeo quos vidi, ſed etiam quos audivi & legi.* Et denique ex lib. de Orat. *Audire habeo quid hic ſentiat.* Sed verbum *habeo* in talibus non plane idem ſignificare videtur. In quibusdam genuina ac propria ſignificatio *habendi* obtinet. Ut quod Cicero ait, *Hæc fere dicere habui de natura Deorum.* Quod appareret ex altero illo ejusdem Ciceronis, *Hæc habui de Rep. quæ dicerem.* Nam ſive diceret, *Hæc dicere habui de Rep.*

sive diceret, *Hæc habui de Rep. quæ dicerem* prorsus perinde esse videtur. Quod Horatius dicit *An melius quis habet suadere*, in eo τὸ *habet* idem est quod potest. Sic & quod Cicero ait, *tantum habeo polliceri*, idem est ac si dixisset, *Tantum possum polliceri.* Græci quoque suum ἔχω sic usurpant. Ut Luc. XII. 4. *Ne timeatis hos qui corpus occidunt*, καὶ κατὰ ταῦτα μὴ ἐχόντων περισσότερόν τι ποιῆσαι & *postea non habent aliquid præterea facere.* Hic μὴ ἔχοντες ποιῆσαι *non habentes facere* sunt μὴ δυνάμενοι, μὴ ἰσχύοντες ποιῆσαι *qui non possunt facere.* Synesius epist. LXVII. γράμματα μὲν, ἤτησα γὰρ, οὐκ εἶχον ἐποδεικνῦναι. *Litteras igitur (postulavi enim) non habebant ostendere*, id est, non poterant ostendere. Quod Joh. XVI. 12. legitur, πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν *multa habeo vobis dicere*, idem esse videtur ac dixisset *Multa habeo quæ vobis dicam*; quomodo quod Tullius dicebat, *Hæc habui dicere*, nihil aliud erat quam si dixisset *Hæc habui quæ dicerem.* Sic & quod Luc. VII. 40. legitur, ἔχω σοί τι εἰπεῖν *habeo tibi aliquid dicere*, idem est, ac si Latine dicatur, *habeo quid tibi dicam.* Laurentius Valla superiora illa Latina *habeo polliceri*, *convenire habeo*, *audire habeo*, dicta putat pro *pollicendum mihi est*, *audiendum mihi est*, *conveniendum mihi est*: qua in re falsus omnino est. Quod vero expositionem suam putat confirmari forma loquendi, quæ est apud Fabium, *Ut impetrandum a vobis habeam odii mei favorem*, id quoque nihili est. Quod forma ista loquendi usus est Fabius, ex eo colligendum non est, quod alterius illius eadem vis sit quæ est hujus. *Habeo hoc impetrandum* dicitur pro *necesse habeo hoc impetrare.* At vero *tantum habeo polliceri* non est dictum pro *tantum necesse habeo polliceri*; sed ut dixi pro *tantum possum polliceri* vel *tantum habeo quod pollicear*, aut *polliceri possim.*

possim. Ceterum forma loquendi qua usus est Fabius, & ipsa non est infrequens. Plinius lib. X. hist. nat. c. 55. *Julia Augusta, prima sua juventa, Tiberio Cæsare ex Nerone gravida, cum parere virilem sexum admodum cuperet, hoc usa est puellari augurio: ovum in sinu fovendo, atque cum deponendum haberet, nutrici per sinum tradendo, ne intermitteretur tepor.* Hic *ovum deponendum habere* idem est quod *necesse habere ovum deponere.* Quod minime efferre Latine sic possis, ut Valla videtur velle, *habeo ovum deponere.* Alter Plinius in Panegyrico: *Ita egisti tribunum, ut esse statim dux posses, nihilque discendum haberes tempori docendi.* Item: *Nec habent adnumeranda tibi pro rep. vulnera, quibus statim laudator & testis contigisti.* Seneca lib. VII. de Benef. *Habeo mittendos legatos.* Suetonius in Jul. Cæsare: *Ut consolandos eos magis imperator quam puniendos habuerit.* Statius in præf. lib. III. Sylv. *Tibi non habeo probandam diu libellorum istorum temeritatem.* Tacitus Ann. IV. *Posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet.* Frontinus lib. III. de Strateg. c. 11. *Litteras sibi supervenisse civium suorum, propter quas redeundum haberet.* Apparet, quam frequentata sit proxima illa loquendi forma: pertinetque & ipsa ad hunc censum. Nam ut nos dicimus, *er hat nichts mehr zu lernen:* ita Plinius dicebat, *nihil discendum haberes.*

Quid porro videntur istæ ῥήσεις, *habeo dictum, habeo effectum?* An ullo modo eas tolerandas putabimus? Congruunt illæ cum nostris illis, *ich habe gesagt, ich habe angerichtet.* At Latini alias dicunt, *dixi, effeci.* Fuit, cum nostra quoque lingua tempus præteritum citra verbum *haben* formaret. In præfatione legum Alvredi Saxonum

Regis: *Drichten wæs ſprecende dæs wort to Moyſe, an thus quæd. Ic eom Drichten din God. Ic de utgelædde of Ægyptoland.* Ubi quod in ſacris legitur, *Ego te eduxi ex Ægypto*, ſic redditum videmus, *Ic de utgelædde of Ægytoland*; citra verbum *haben* aut *haven* puta. Tantum verbo *utlædde* aliquid augmenti eſt additum, dictumque *Ic utgelædde.* Pari modo in eadem præfatione legitur, *On ſyx dagas Criſt geworht heofonas and eordan, and hine gereſt on done ſeofodan dage.* Ubi idem *gewohrt* & *gereſt* ſunt verba temporis præteriti, & reſpondent Latinis *fecit* & *quievit.* Veteres quoque Gothi, qui & ipſi lingua Germanicæ vicina uſi ſunt, verba temporis præteriti ſine verbo quodam auxiliari formarunt. Cl. Franciſcus Junius in Obſervationibus in Paraphraſin Francicam Cantici canticorum teſtatur, quod Luc. III. 7. legitur, *quis oſtendit vobis fugere a ventura ira*, id in codice argenteo Gothice ſic redditum, *qhas gataiknida izwis thliuhan faura thamma anawirthin hatiza.* Item quod Marc. XIV. 15. legitur, *Relinquentes eum fugerunt omnes*, id redditum eſſe ſic, *afletandans ina gathlauhun allai.* Gothis *thliuhan* idem fuit quod nunc nobis *fliehen.* Inde cum augmento eſt *gathlauhun fugerunt.* Pari modo ex *taiknan oſtendere* fecerunt verbum perfecti temporis *gataiknida.* Veteres Franci tamen verbum temporis præteriti per verbum auxiliare *haven* formarunt. Cujus rei multa veſtigia ſunt in prædicta illa paraphraſi Cantici canticorum, cujus auctor eſt Willeramus. Habet ea inter alia hæc quoque, *Ich havo thas wola verſteen, probe hoc intellexi: ich havo mine fuoze gethuagan, lavi pedes meos: ich havo mich gemuazegat wereltlichero ſorgan, expedivi me a curis terrenis.* Latini quoque ἐκβαρβαρωθέντες ad formanda

verba

verba perfecti temporis verba auxiliaria adhibere jam olim cœperunt. Et quod veteres Latini una voce *dixi* expreſſerunt, id Itali dicunt *Jo hò detto*, & Galli *J'ay dit*. Sed quid de ſuperioribus illis quæ vere Latina ſunt, eſt ſentiendum? Licebitne quod una voce *dixi* dicitur, efferre etiam duabus vocibus *habeo dictum:* &, quod una voce *effeci* dicitur, efferre duabus vocibus *habeo effectum:* ut ita ἴσως Latina plane gemina ſit Germanicæ, *ich habe geſagt, ich habe ausgericht*. Sane quod paulo ante ex oratione Ciceronis protulimus, idem Plautus quoque in Perſa, Act. II. Sc. 2. habet. Ait ibi Pægnium, *Satis jam dictum habeo*. Quod nihil ſane eſt aliud quam ſi dixiſſet, *Satis jam dixi*. Pari modo Cæſar dicit *effectum habere*. Verba ejus lib. VII. de B. Gall. ſunt: *Nam quæ ab reliquis Gallis civitates diſſentirent, has ſua diligentia adjuncturum, cujus conſenſu ne orbis quidem terrarum poſſit obſiſtere: idque ſe prope jam effectum habere*. Hic *ſe prope jam effectum habere* nihil fere aliud eſt quam *ſe prope* jam *effeciſſe*. Ex Martiale geminum citatur, *rem factam habere*. Nec diſſimile eſt quod habet Livius lib. XXXV. *Expoſitis quæ pacta jam cum Marcello haberent, oblata ſpe ſalutis perpulere eos*. Henr. Stephanus geminum quoque putat quod ex Curculione Plauti profert, *Ego habeo tibi res ſolutas*. Quæ verba eodem modo citat Auctor Fori Romani, quod dicitur. Vide in eo verbum *habere*. Verbum Plauti iſte locus ſine dubio perperam ab illis lectus eſt, & legendus potius ſic: *Ego abeo: tibi res ſoluta eſt recte*. Eſt autem in Actus IV. Scena III. Taubmannum mirum eſt, cum in ipſo textu locum recte expreſſiſſet, tamen in notis quas ad Actum II. ſc. 2. Perſæ adjecit, ſcripſiſſe, *Ego habeo tibi res ſolutas*. Aliud quod ſuperioribus illis rectius congruat, eſt

in epist. IX. lib. III. Ciceronis ad Quintum Fratrem: *Quod me hortaris ut absolvam, habeo absolutum.* Plinius quoque lib. IIX. ep. 20. *Permulta in urbe nostra, juxtaque urbem non oculis modo, sed ne auribus quidem novimus; quæ si tulisset Achaia, Ægyptus, Asia, aliave quælibet miraculorum ferax commendatrixque terra, audita, perlecta, lustrataque haberemus.* Hic quoque manifeste *audita, perlecta, lustrataque haberemus*, scriptum pro *audivissemus, perlegissemus, lustravissemus.* Cicero Act. V. in Verrem: *Cum illud edictum repente uberrimum & quæstuosissimum nascitur, ut ante Kal. Sextileis omnes decumas ad aquam deportatas haberent.* Cornel. Nepos Eum. c. 11. *Veniebant ad Eumenem multi, qui ejus formam cognoscere studebant, qualis esset, quem tamdiu, tamque valde timuissent, cujus in pernicie spem habuissent positam victoriæ.* Hic *spem habuissent positam* est pro *spem posuissent.* Etsi vero sic satis frequens est, ut vicem verborum temporis præteriti præstet verbum *habeo* cum participio temporis præteriti: non tamen promiscue utendum his fuerit, sed respiciendum semper ad usum bonorum Auctorum. Est autem ubi eadem loquendi forma non tempus præteritum, sed præsens notat. Cicero lib. XV. ep. 13. ad fam. *Omnium mearum reliquarum rerum, maximeque existimationis meæ, procurationem susceptam velim habeas.* Cato de re rust. c. 5. *Boves maxima diligentia curatos habeto*, scil. villicus. Plautus in Comœdia quadam dixerat, *Epeum fumificum qui legioni nostræ habet coctum cibum.* Vide Varronem lib. VI. de ling. Lat. p. 72. edit. Scal. Pari modo Mercatore, II. 3. *Nihil opus nobis ancilla, nisi quæ texat, quæ molat, lignum cædat, pensum faciat, ædes verrat, quæque habeat cotidianum familiæ coctum cibum.* Idem Plautus in Persa: *Omnes*

res

res relictas habeo præ quod tu velis. Cornelia mater Gracchorum in epistola: *In eo tempore non pudet te eorum Deum preces expetere quos vivos atque præsentes relictos atque desertos habueris.* Terentius Hecyr. V. 1. *Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem, sanctius quam jusjurandum, id pollicerer tibi, Laches, me segregatum habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.* Plautus rursus Bacchid. III. 6. *Ille quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali facere & in me conciliare copias omnes meas.* Idem Pseud. II. 2. *Illa omnia missa habeo, quæ ante agere occepi.* Et Epid. IV. 1. *Multiplex ærumna me exercitam habet.* In his omnibus eadem illa forma, quæ antea periphrasis erat verborum temporis præteriti, periphrasis est verborum temporis præsentis. Plautus in Mercatore, cum multa verba temporis præsentis præmisisset, dixissetque, *Quæ texat, quæ molat, lignum cædat, pensum faciat, ædes verrat,* subdit tandem, *Quæ habeat quotidianum familiæ coctum cibum.* Ex quo apparet, illud *habeat coctum cibum* nihil aliud esse quam *cibum coquat.* Deinde facile intelligitur, quod Terentius ait, *me segregatum habuisse a me Pamphilum,* id nihil aliud esse quam *me segregasse a me Pamphilum,* id est, nihil commercii cum Pamphilo me habuisse. Porro, si *segregatum habuisse,* idem est quod *segregasse,* oportet *segregatum habere* idem esse quod *segregare.* Pari modo, quia *relictos habueris* in superioribus idem est quod *reliqueris,* oportet *relictum habeo* idem esse quod *relinquo.* Et quia *accuratum habuit* idem est quod *accuravit,* oportet *accuratum habeo* idem esse quod *accuro.* Sed quid habendum de phrasibus *cognitum, perspectum, exploratum, statutum, constitutum, deliberatum habere.* Multum Auctores talia usurpant. Cicero lib. IV. ep. 2. ad fam.

sam. *Si jam habes statutum, quid tibi agendum putes.* Alibi: *Sic habes statutum ac deliberatum cum animo.* Et in lib. IV. quæst. Acad. *Comprehensam animo sententiam habere.* Corn. Nepos Att. XIIX. *Antiquitatem adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit quo magistratus ornavit.* Et paulo ante: *Principum philosophorum ita percepta habuit præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem, uteretur.* An igitur *comprehensam animo sententiam habere*, est idem quod *sententiam animo comprehendisse*; an vero est idem quod *sententiam animo comprehendere?* Et *antiquitatem cognitam habere* an idem est quod *antiquitatem cognovisse*; an vero, *antiquitatem cognoscere?* Qui dicit, *Hic antiquitatem cognitam habet*, neque vult, antiquitatem eum nunc demum cognoscere; nec rursus, antiquitatem eum cognovisse; quamvis hoc quoque subinnuat: sed vult, antiquitatem eum scire atque tenere. Pari modo, qui dicit, *Hic percepta habet præcepta philosophiæ*, neque vult, præcepta philosophiæ eum nunc demum percipere; nec rursus, præcepta philosophiæ eum percepisse; quamvis omnino hoc subinnuat; sed vult, præcepta philosophiæ eum scire atque tenere. Aliud omnino est antiquitatem antehac cognovisse; & aliud, eandem scire atque tenere. Pari modo aliud est præcepta philosophiæ antehac percepisse; & aliud, eadem præcepta nunc scire atque tenere. Non prius vult qui dicit, *Hic antiquitatem cognitam habet, Hic præcepta philosophiæ percepta habet*; sed posterius. Ut igitur harum locutionum vis rectius intelligatur, observari velim, quod eadem illa verborum forma de qua modo diximus, in auctoribus appareat, ubi non similis ejus vis sit. Exempli gratia Curtius lib. IV. ait: *Duces vestros*

regum

regum instar, vinctos habet. Et Justinus lib. IX. c. 7. *Olympias certe fugienti percussori equos quoque præparatos habuit.* Cæsar lib. I. de B. G. *Orgetorix quamplurimas civitates suo sibi beneficio habere obstrictas volebat.* Seneca lib. VII. nat. quæst. c. 2. *Necessarium est, veteres ortus cemetarum habere collectos.* In his *vinctos habet* non est, ut in superioribus, pro *vinxit*, aut pro *vincit*, nec *præparatos habet* est pro *præparavit*, aut *præparat:* nec *obstrictas habere* est pro *obstrinxisse* aut *obstringere:* nec denique *collectos habere* est pro *collegisse* aut *colligere.* Istis quidem participiis *vinctos*, *præparatos*, *obstrictas*, *collectos*, tempus præteritum denotatur: sed tota phrasis tamen *vinctos habet* non est pro *vinxit*; parique modo sentiendum de ceteris. Verbum *habere* hic seorsum suam vim habet, & quasi possessionem significat. *Ut vinctos habere* idem sit quod *tanquam vinctos in potestate habere:* & *obstrictas habere* idem quod *obstrictas in potestate & sibi deditas habere:* & *equos præparatos habere* idem quod *equos habere atque alere qui ad negotium quoddam efficiendum sint parati.* Nostri dicunt *bereit halten, gefangen halten, auf seiner seite und ihm zu willen haben.* Pari modo igitur quæ antea congessimus *antiquitatem cognitam habere*, *præcepta philosophiæ percepta habere*, *sententiam animo comprehensam habere*, aliquid amplius significant, quam nuda verba temporis præteriti *cognovisse*, *percepisse*, *comprehendisse*, significare queunt; videlicet quod ita cognoveris, perceperis, comprehenderis, ut in animo atque in memoria adhuc habeas, & quasi possideas. Ut adeo *cognitum*, *perceptum*, *comprehensum habere* idem sit, ut dixi, quod nosse, scire, tenere.

CAPUT

CAPUT IIX.

De usibus quibusdam verbi tenere *falso suspectis.*

INter verba, quorum usus subinde suspectus nobis est, est quoque verbum *tenere*. Et primo quidem cum juncta habet nomina, *ordo*, *modus*, *medium*. Dicimus vulgo *maße halten*. Quod Latini dicunt *modum adhibere*. Sed dicunt etiam *modum tenere*, Tullius lib. I. Offic. *Sin sit quispiam qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse modum ejus fruendæ*. Plinius lib. II. epist. 11. *Vereor tamen, ne modum excedat, quem benignitas ejus non solet tenere*. Idem ep. XII. *Veniam ad cœnam; sed jam nunc paciscor, sit expedita, sit parca: Socraticis tantum sermonibus abundet: in his quoque teneat modum*. Curtius lib. VI. *Verba innocenti reperire facile est: modum verborum misero tenere difficile*. Dicunt etiam *medium tenere:* &, quia mediocritas, ut Nonius voce *Mediocritas* docet, nihil aliud quam medium est, *mediocritatem tenere*. Tullius lib. III. de Orat. *Tum graves sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus*. Phrasin *tenere ordinem* idem Tullius habet in Philippica quinta, & alibi.

Quod nos dicimus *Was man zusaget, das muß man halten*, id si quis Latine efferat, *Quod promiseris, id tenendum est*, multi putent perperam fieri. Verum sciendum, ipsum Ciceronem sic locutum esse. Verba ejus in lib. III. de Off. sunt: *Quod autem affirmate quasi Deo teste promiseris, id tenendum est*. Et quia dicere ita licet, intelligitur, dici quoque posse *promissum tenere*. Namque *id quod promiseris* nihil aliud est quam *promissum*. Atque eam phrasin quod suis quoque Gallis suspectam esse posse H. Stephanus suspicaretur, monuit & ille, recte dici

promis-

promissum tenere; neque oportere hoc suspectum esse, licet Galli dicant hodie *tenir promesse.* Idem quoque monuit recte dici *fidem tenere*, quomodo Galli dicunt *tenir la foy.* Qua de re monendi quoque sunt Germani mei. Dubitent enim & ipsi, an recte dicatur *fidem tenere*, uti dicimus *glauben halten.* Cicero Philipp. XII. *Non tenuit omnino colloquium illud fidem: a vi tamen periculoque abfuit.* Vox *fides* significat hic *promissionem, pollicitationem.* Quæ vocis significatio & in phrasibus *fidem dare, fidem accipere, fidem servare*, & id genus aliis, observatur. *Fidem dare* non est idem quod *fidem habere, ac credere;* sed idem quod *promittere, polliceri.* Ut autem significationem istam obtinere phrasis possit, alteram ejus partem, id est, nomen *fides*, ipsam promissionem significare oportet. Nostra quoque vox *glaube* in phrasi *glauben halten* promissionem significet oportet. Ut adeo in phrasibus *fidem tenere* & *glauben halten* tum bina verba, tum quoque bina nomina, planissime inter se congruant. Quod autem Latini *fidem dare* & nos *glauben geben* dicimus, in iis nomina *fides* & *glaube* non congruunt. Nam in latina phrasi vox *fides*, ut dixi, ipsam promissionem significat: in nostra autem vox *glaube*, ipsum credendi actum. Phrasi *fidem tenere* abutitur & Augustinus in epistola LXX, verum alio significatu, quam in verbis Ciceronis, quæ produximus, phrasin usurpatam vidimus. Verba ejus sunt: *Ut in ipsis bellis, si adhuc in eis te versari opus est, fidem teneas, pacem quæras.* Hic *fidem tenere* non est *fidem servare, promissum facere;* sed fidem Christianam retinere. Quomodo & intelligendum videtur quod in posteriore epistola ad Timotheum scribit S. Paulus, τὴν πίστιν τετήρηκα *fidem servavi.* Ut Germanice vertendum potius sit *Ich habe*

den

den glauben behalten, quam *Ich habe glauben gehalten.*

Porro quod nos dicimus *wache halten*, *schildwache halten*, id an putandum est latine dici posse *excubias tenere?* Dicunt alias Latini, *vigilias agere*, *excubias agere.* Sed & alterum illud repudiandum non est. Utitur eo Valerius Maximus, auctor qui sub Tiberio Nerone vixit. Verba ejus in lib. I. c. I. sunt: *Creditum est Varronem consulem apud Cannas cum Carthaginensibus tam infeliciter dimicasse ob iram Junonis: quod cum ludos Circenses ædilis faceret, in Jovis Opt. Max. templo eximia facie puerum histrionem ad excubias tenendas posuisset.* Observandum hic & illud, quod verbo *ponere* usus est, dixitque *ad excubias tenendas aliquem ponere* pro *constituere.* Sed de hujus verbi usibus qui suspecti esse possunt, dispiciemus infra. Invenitur quoque phrasis *vigilias servare.* Seneca cap. III. libri de tranquillit. an. *Neque enim ille solus militat, qui in acie stat, & cornu dextrum lævumque defendit: sed & qui portas tuetur, & statione minus periculosa, non otiosa tamen, fungitur, vigiliasque servat.*

Quid porro videtur phrasis *linguam tenere?* Non quidem dicimus nos *die zunge halten*, sed dicimus tamen *das maul halten:* indeque ipsa quoque phrasis latina suspecta esse posit. Sed certum omnino est, Latinos dicere *linguam tenere.* Ovidius lib. II. Trist.

Non fuit opprobrium celebrasse Lycorida Gallo:
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

Et lib. II. Fastorum:

--- --- Sed illi dixerat Almo,
Nata, tene linguam: nec tamen illa tenet.

Magis adhuc cum phrasi Latina congruit phrasis Gallica. Nam, cum nos dicamus non *die zunge halten,*

halten, sed *das maul halten*, illi plane dicunt *tenir sa langue*. Quod igitur Gallis suis ob hanc ipsorum phrasin, suspectam esse posse phrasin latinam Henricus Stephanus suspicaretur, idem ipsos quoque Gallos monendos putavit, phrasin *tenere linguam* recte habere. Sed dicunt Galli *tenir sa langue*, adduntque adeo pronomen suum. An igitur Latine quoque dici potest *tenere linguam suam?* Henricus quidem Stephanus scribit, *vereri se, ne, si addito pronomine dicat quispiam* tenere linguam suam, *minus is latine loquatur*. Et recte sane. Dicunt Latini *tenere linguam*; sed non dicunt *tenere linguam suam*. Tantum interest singulas linguarum voculas observare. In versione Geneseos cum Augustinus legisset sic, *Extendit manum suam*, visum hoc est illi a genio linguæ latinæ plane abhorrere. Verba ejus in libro I. locutionum sunt: *Locutio est quam propterea Hebræam puto, quia & Punicæ linguæ familiarissima est, in qua multa invenimus Hebræis verbis consonantia. Nam utique sufficeret, & extendit manum, etsi non adderetur suam.* Ait ille sufficere si latine dicatur, *Et extendit manum*, nec addatur suam: quod autem *suam* additum est in versione, locutionem Hebræam putare se, quia & linguæ Punicæ, in qua multa linguæ Hebrææ consonantia sint, familiarissima sit. Et sane ita est, ut Augustinus censuit, pronomen in talibus linguam latinam haud ferre: quod autem additum illud est in versione, id factum est more Hebræorum. Quod Latini in talibus pronomen non addant, id inspiciendis bonorum auctorum scriptis liquet. Curtius lib. IV. *Credite nunc omnes extendere ad vos manus, implorare patrios Deos, operam vestram, misericordiam, fidem, exposcere.* Non dicit, *extendere manus suas*; sed *extendere manus*. Plinius lib. III.

ep. 27. *Ille non tollere oculos, non remittere ſtylum, ſed obſirmare animum.* Deinde quod Hebræi in talibus pronomen addant, id quoque notum eſſe poteſt. Exemplum Gen. XXXI. 4. *Et ſuſtulit Abraham* עיניו *oculos ſuos.* Item cap. XXIX. 1. *Et ſuſtulit Jacob* את רגליו *pedes ſuos.* Rurſus Jud. XV. 15. וישלח ידו *& extendit manum ſuam.* Tantundem etiam eſt Gen. IIX. 9. & 2 Reg. VI. 7. Hebræos deinde imitati ſunt Scriptores novi Teſtamenti, & pronomen in talibus & ipſi adjecerunt. Vulgares Græci dicunt, ἐκτάνειν τὴν χεῖρα; non ἐκτάνειν τὴν χεῖρα αὐτοῦ. Xenophon alicubi: Ανατάνας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἀπώμοσε; Demoſthenes, uti Plinius l. IV. ep. 7. citat: Επάρας τὴν φωνὴν καὶ γεγηθὼς καὶ λαμπρυγίζων. At Scriptores novi teſtamenti pronomen in talibus ſubinde adjiciunt, ſcribuntque. Επάρας τὰς ὀφθαλμὰς αὐτοῦ pro ἐπάρας τὰς ὀφθαλμὰς: Επῆραν τὴν φωνὴν αὐτῶν pro Επῆραν τὴν φωνὴν. Vide Act. XIV. 11. XXII. 22. Luc. XVI. 23. Sed de his in noſtro de Hebraiſmis novi Teſt. Commentario egimus, & quidem in capite ejus XXVII. Ut ad phraſin Latinam redeamus, non dicunt Latini *tenere linguam ſuam*, ſed *tenere linguam.* Quod autem hodierni Galli dicunt *tenir ſa langue*, atque ita pronomen adjiciunt, non cum antiquis Latinis, a quibus ipſas voces habent; ſed cum Hebræis congruunt. Sed Hebræos tamen imitari voluiſſe non videtur; ſed Germanos potius, unde & originem trahunt. Sane nos quoque pronomen hic adjicimus, dicimusque *Halt dein maul, er kan ſein maul nicht halten.* Sed quid de phraſi *ora tenere* eſt habendum? Frequentavit eam princeps poëtarum. Ut Æneid. II.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Et lib. VII. *Obtutu defixa tenet ora.* Et auctor quidem Lexici, quod Forum Romanum inſcriptum eſt, ſic

sic habet: *Ora tenere, tacere.* Quæ si recte se habeant, planissime phrasis ea cum nostra phrasi *das maul halten* congruet. Verum recte ad verba Maronis Servius: *Aut ora intuebantur loquentis, aut immobiles vultus tenebant: ut, Tenuitque inhians tria Cerberus ora, id est, immobilia habuit.* Neque aliter sentiendum de verbis Ennii, quæ sunt in lib. I. Ciceronis de Divinatione, ad quæ & ipsa Auctor Lexici provocat. Habent quidem ita: *Sic expectabat populus atque ora tenebat.* Et sensus omnino est *Immobiles vultus tenebat.*

Veniendum nunc ad phrases alias, & primo quidem ad phrasin *legem tenere.* De hac vel præcipue dubitent multi, an satis proba ac Latina sit. Sed poterunt sane de ipsa quoque hac securi esse. Principio Scriptores ecclesiasticos observamus ea phrasi usos esse. Cyprianus ep. LXIII. *Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit & tenuit quod nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit.* Item: *Cum venire cœperit, inveniat nos tenere quod monuit.* Ecce ait ille, *observare & tenere quod nos Dominus facere docuit:* item, *tenere quod Christus monuit.* Ex quo facile intelligitur, eundem Cyprianum & *tenere legem, tenere præcepta Dei* dicturum fuisse. Primasius in cap. II. ep. ad Galatas: *Si tu non tenes quod natus es, quomodo illos facis tenere, quod nati non sunt?* Nec aliter pasim & alii. Sed scriptores ecclesiasticos non optimos auctores esse Latinitatis, dicat quispiam. En ergo alium, & quidem ipsum Plautum, cujus auctoritatem in his talibus non temere quis defugiat. Mercatoris Act. V. sc. 4. *Imo dicamus senibus leges censeo, priusquam abeamus, quas leges teneant, contentique sint.* Apparet hic manifeste ipsa illa phrasis *leges tenere.* Janus Gui-

lielmus, vir clarisſimus, hic aliquid mutandum putavit, ſcripſitque *vulgarius ſibi videri* leges tenere, *& vix dignum Plauto:* legendum igitur eſſe *qua ſe lege teneant.* Sed falſus ſine dubio eſt vir clarisſimus. Cur, quæſo, *leges tenere* vulgarius, & vix dignum Plauto videri debeat? Ergone ſuperiores quoque phraſes *tenere modum* & *tenere promiſſum* vulgariores videri debent, & vix dignæ Cicerone? Congruunt & illæ cum noſtris phraſibus. Sed non idcirco ſuſpectæ eſſe debent; aut de locis Ciceronis immutandis eſt cogitandum. Queritur Henricus Stephanus in præfatione ſui de Latinitate falſo ſuſpecta libri, quod multi loci auctorum male habiti ſint a Criticis, quod quædam vocabula falſo illis ſuſpecta eſſent. Verba ejus ſunt: *Aliud certe multo gravius ac perniciosius inde oriri videmus, ut nimirum, ſicut multa vocabula immerito ſuſpecta illis ſunt, ita plerique immerentes immerentium ſcriptorum loci pro eorum libidine partes omnes verſentur, tandemque ita immutentur, ut ne agnoſci quidem a ſuis, ſi revertantur, poſſint.* Subjicit deinde idem Stephanus exempla, quibus hoc ipſum comprobat. Ut ad phraſin *legem tenere* redeamus, adeo Latinam eam cenſemus, ut phraſis Græca κρατεῖν παράδοσιν, quæ in ſacris literis apparet, ad eam formata videatur. In textu Græco novi teſt. non tantum plurimos Hebraiſmos, ſed & non paucos Latinismos, eſſe Viri docti jampridem obſervarunt, deque illis monuerunt. Claudius Salmaſius in lib. de Helleniſtica p. 140. & 141. recenſet inter alia συμβούλιον λαβεῖν *conſilium capere*, ἐργασίαν δοῦναι *operam dare*, ἰσχύοντες *valentes* pro ὑγιαινοὶ *ſani*, φωνῆσαι τὸν ἄνδρα *clamare virum*, ἔχε με παρῃτημένον *habe me excuſatum.* Nec ſane mirum eſt, in libris novi teſt. Latiniſmos apparere, & imitatione Latinorum vocabula Græca novas

vas significationes aut usus recepisse; cum in iisdem libris plurima vocabula plane Latina observentur: ut κυτωδία, λέντιον, πραιτώριον, σουδάριον, & id genus alia. Quod igitur in novo testamento legitur κρατεῖν τὰς παραδόσεις *tenere traditiones* pro φυλάσσειν τὰς παραδόσεις, verbum κρατεῖν nove usurpatum videtur ad exemplum Latini *tenere*; quomodo ἰσχύοντες nove & ad exemplum Latini vocabuli *valentes* usurpatum est, cum significat *sanos*, *vegetos*. Congruunt inter se verba κρατεῖν & *tenere*, cum dicunt κρατεῖν τῆς χειρός τινος *tenere manum alicujus*. An vero eadem illa verba inter se congruant ea quoque notione, qua Latine dicitur *leges tenere*, non liquet. Sane Græci vulgo dicunt ἐμμένειν τοῖς νόμοις; aut φυλάσσειν τοὺς νόμους, ut in capite VI. nostri de Hebraismis novi Test. Commentarii contra Cl. Gatakerum demonstravimus. Locos ubi κρατεῖν ea qua dixi notione est usurpatum invenias in capite VII. S. Marci. Verba ibi sic habent: *Pharisæi, omnesque Judæi, nisi laverint manus, non edunt*, κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων *tenentes*, id est, servantes *traditionem seniorum*. Item: Ἄλλα πολλά ἐστιν ἃ παρέλαβον, κρατεῖν. *Alia multa sunt quæ receperunt ut teneant*, id est, observent & faciant. Rursus: *Relinquentes mandatum Dei*, κρατεῖτε τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων *tenetis*, i. e. observatis & facitis, *traditionem hominum*. Sequitur mox: *Bene abrogatis mandatum Dei*, ἵνα παράδοσιν ὑμῶν τηρήσετε *ut traditionem vestram servetis*. Ergo apparet, κρατεῖν τὴν παράδοσιν idem esse quod τηρεῖν τὴν παράδοσιν. Sed ad verbum Latinum redeamus.

Ille quoque verbi *tenere* usus suspectus esse possit, quo dicitur *tenere se legibus*, quomodo nos dicimus, *sich nach den gesetzen halten*. Quare hujus quoque exempla afferenda fuerint. Utitur ea phrasi idem Plautus, qui usus est phrasi *tenere leges*. Asinariæ

Act. III. sc. 3. *Nunc enim negotiosus est interdius. videlicet Solon est, leges ut conscribat, quibus se populus teneat.* Geminum fere est, quod Virgilius dicit *tenere se more veteris Dei.* Libro VII. Æneidos: *Saturni gentem, veterisque Dei se more tenentem.* Geminum quoque illud Lucilii: *His te versibus interea contentus teneto.* Notetur denique, quod dicunt *leges tenent aliquem*, & *tenetur aliquis legibus;* non quod hæc suspecta esse possint; sed ob aliam causam. Plautus prædicto loco Merc. V. 4. *Hæc adeo ut ex hacce nocte primus lex teneat senes.* Terentius Adelph. Act. I. sc. II. *Quem neque pudet quicquam; neque metuit quenquam; neque legem putat tenere se ullam.* Livius lib. IX. *Sed injussu populi nego quicquam sanciri posse quod populum teneat.* Phrasin *legibus teneri* habet Cicero in Orat. pro Cluentio. Verba ejus sunt: *Si Senator judicio quemquam circumvenerit, legibus eum teneat: si eques Romanus hoc idem fecerit, non teneri.* Nos dicimus, *an den gesezzen verbunden seyn.* Sed, quomodo nos dicimus *ich bin gehalten das zu thun*, ita an Latini quoque dicunt *teneor hoc facere*, pro *oportet me hoc facere?* Sane multi hodie ita loquuntur. An vero auctoritate antiquissimorum illorum, Plauti, Terentii, Ciceronis, id faciant, non liquet. Nobis quidem in scriptis illorum veterum nihil hujus observatum est.

Porro ut nos dicimus *sich zu hause halten*, ita Latini, *tenere se domi.* Cornelius Nepos Dione: *Cum a conventu remotum se Dion domi teneret.* Alibi dicit *domi se retinere.* Ut Epaminonda: *Quamdiu facta est cædes civium, domi se retinuit.* Sed Mss. quædam & hic habent *tenuit.* Ipsum *retinere* tamen in talibus usurpat quoque Curtius. Ut lib. X. *Nec seipsos intra vestibulum regiæ retinere potuerunt.* Varro item.

Si

Si quis melodinis sit ὄνος λύρας
Præsepibus se retineat forensibus.

Ceterum scripsit quoque Nepos in Eumene: *Tenuit se uno loco, quamdiu fuit hiems.* Et in Hannib. *Hannibal se uno loco tenebat in castello.* Pari modo Tullius lib. XII. ep. 19. *Qui se oppido munitissimo tamdiu tenuit.* Et lib. IX. ep. 18. ad Att. *Pompejus se oppido tenet: nos ad portas castra habemus.* Sic & Cæsar, *tenere se castris.* Nos quandoque verbo simplici *halten*, alias vero composito *aufhalten* utimur, dicimusque tum *sich zu hause halten*, tum *sich in einer stadt aufhalten:* quæ tamen phrases nonnihil nobis discrepant. Latini autem ad utrumque efferendum phrasi *tenere se* utuntur. Valerius Maximus lib. II. cap. X. *Ad Africanum in Liternina villa se tenentem complures prædonum duces videndum eodem tempore forte confluxerant.* Hic *tenere se* idem est quod nostrum *sich aufhalten.* Alibi vero simplici verbo *halten* rectius efferetur.

Phrases *tenere se* usus adhuc alius est qui suspectus esse possit. Dicimus nos *er kan sich nicht halten.* Et pariter Latini, *tenere se non potest.* Cicero lib. II. de fin. b. & m. *Hoc loco tenere se Triarius non potuit.* Et lib. IV. Acad. quæst. *Nec se tenuit, quin contra suum doctorem librum etiam ederet.* Pro *Non tenuit se quin* dicunt etiam *Non tenuit se ab.* Cicero lib. III. ep. I. ad Quint. *Ego tamen teneo ab accusando vix me hercule.* Pro *vix me teneo quin* dicunt etiam *Vix teneor quin.* Plautus Casin. Act. II. sc. 3. *Vix teneor quin quæ decent te, dicam. Senecta ætate unguentatus per vias, ignave, incedis.* Sic Virgilius, cum scripserit *Agglomerant lateri nostro*, subaudito pronomine reciproco, pro *agglomerant se*, alibi voce passiva scripsit *glomerantur.* Libro II. Æneid.

Addunt se socios Ripheus & maximus annis
Iphitus, & lateri agglomerant nostro. ---
At in lib. I. Æneidos habet sic:
--- --- *Quam mille sequutæ*
Hinc atque hinc glomerantur Oreades. ---
Porro pro *tenere se* dicunt etiam *continere se.* Terentius: *Vix me contineo, quin involem in capillos.* Notentur etiam phrases, quibus delectatus est Plinius, *tenere se intra gravitatem, tenere se intra silentium, tenere se in silentio.* Libro IX. ep. 23. *Frequenter agenti mihi evenit, ut centum viri, cum diu se intra judicium, auctoritatem gravitatemque tenuissent, omnes repente quasi victi coactique consurgerent, laudarentque.* At Cicero maluit *gravitatem tenere.* Ut in ep. ad Att. *Ego tuis consiliis usus sum, maxime quod & gravitatem in congressu nostro tenui, quam debui.* Pari modo quæ in Lexico, quod Forum Romanum inscriptum est, ex epistolis Plinii citantur *tenere se intra silentium* & *tenere se in silentio*, pro iis Livius & Ovidius, ut in eodem Lexico notatum est, dixere *silentium tenere.*

Quod nos dicimus *sich an einem halten*, ei quoque congruenter an Latinos dicere putabimus, *tenere se ad aliquem.* Ex antiquissimis quidem illis, Plauto, Cicerone & id genus aliis, nihil hujus proferre habeo. At Augustinus suo tempore non dubitavit dicere, *tenere se ad Deum, tenere se ad Evangelium.* Sermone XXIV. de verbis Apostoli: *Bene feci sti homini, ingratus est homo, non te pœniteat bene feciſſe, ne fundas pœnitendo, quod impleviſti miſerando. Dic in corde tuo, Non videt iſte in quem feci, videt ille propter quem feci, quia iſte, ſi videret, ſi ingratus non eſſet, ſibi potius quam mihi prodeſſet. Ad Deum me teneam, quem non latet quod facio, ſed etiam quo corde facio, illum ſperem retributorem, qui facti mei non*

quæret

quæret teſtem. Item in libro contra epiſt. Manichæi cap. V. *Si ad Evangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus evangelio credidi: & his jubentibus tibi omnino non credam.*

Quod nos dicimus *friede halten*, ei quoque non in antiquiſſimis illis de quibus dicebam, ſed in Cypriano gemina obſervo. Verba ejus in epiſt. LXXIII. ſunt: *Nos, quantum in nobis eſt, cum collegis & coëpiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus divinam concordiam & Dominicam pacem tenemus.* Alios ſcio dicere, *pacem colere cum aliquo* vel *adverſus aliquem.* Livius lib. XLIV. *Pacem cum ſumma fide adverſus eum colimus.* Sed ipſum tamen illud *pacem tenere* in Germaniſmis haberi non poteſt, quoniam a tam antiquis, quique noſtræ linguæ plane ignari fuerunt, eſt uſurpatum.

Si cui phraſis *conſuetudinem ſuam tenere*, ſuſpecta eſſe poſſit, notet ille, ſatis probam & hanc eſſe. Cicero prima Philippica: *Si conſuetudinem meam, quam in republica ſemper habui, tenuero.* Dicunt quoque *morem tenere.* Virgilius lib. III. Æneidos:

Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto.

Juſtinus lib. I. *Quem morem veſtis exinde gens univerſa tenet.*

CAPUT IX.

De uſibus verbi facere *falſo ſuſpectis.*

VErbum *facere* quoque cum plurimis nominibus conſtruitur, cum quibus an componi poſſit, facile quidam dubitent; & niſi moniti fuerint, aut ipſi in talia inciderint, minus proba illa eſſe ſuſpicentur. Id quidem notum, Latinum *facere* & noſtrum *machen*, ſibi reſpondere ut plurimum. Verum quia noſtri vocabuli quidam uſus ſunt qui vocabulo Latino haud competunt: fit ut ſubinde

timeamus, ubi minime timendum est, & vocabulum Latinum respondere nostro non temere nobis persuadeamus. Exempli gratia, quomodo nos dicimus, *den anfang machen*, *ein ende machen*, sic an Latine dicatur *initium facere*, *finem facere*, multi dubitent. Verum enim vero Scriptores passim ita loquuntur. Terentius Prol. Heaut. *Nisi finem maledictis facit.* Cornelius Nepos Hamilcare: *Statuerunt belli finem facere.* Et in Dione: *facere finem tyrannidis.* Antiquiores dixerunt etiam *pausam facere.* Nam *pausa* illis idem quod *finis.* Ennius apud Varronem, *pausam facere fremendi.* Lucilius: *Hæc ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.* Plautus in Pœnulo: *Quando id quod satis erat, satis habere noluit, ego pausam feci.* Deinde *initium facere* & *principium facere* non minus sunt obvia. Cæsar lib. I. de B. Gall. *Reperiebat etiam Cæsar inquirendo, quod initium fugæ prælii equestris adversi a Dumnotorige atque ejus equitibus factum esset.* Et, ut nos dicimus, *von einem den anfang machen*, ita illi, *ab aliquo initium facere.* Cicero V. in Anton. *Facere initium cædis a me.* Phrasin *Principium facere* habet Livius in lib. quarto.

Porro quomodo nos dicimus *einen bund machen*, *freundschaft machen*, *friede machen*: ita Latini *fœdus facere*, *amicitiam facere*, *pacem facere.* Cicero pro Sest. *Fœdus fecerunt cum tribuno plebis palam, ut ab eo provincias acciperent quas ipsi vellent.* Idem Senect. *Cum sententia Senatus inclinaret ad pacem & fœdus faciendum cum Pyrrho.* Hic phrases *pacem facere* & *fœdus facere* apparent conjunctæ. Ex phrasi *pacem facere* fabricarunt verbum compositum *pacificari*: quod & ipsum, itemque ab eo derivata, *pacificatio*, *pacificator*, *pacificatorius*, in Cicerone, & alibi, passim leguntur. Sed de phrasi *pacem facere*

facere notandum quod duplex ejus sit notio. Nam quod Cornelius Nepos in Thrasybulo scribit, *Is inter Thrasybulum & eos qui urbem tenebant, fecit facem*, in eo *facere pacem* idem est quod *conciliare pacem*. At in alteris illis *facere pacem* idem est quod *pangere pacem*. Qua quidem notione idem Nepos in Dione scripsit: *Eo rem perduxit, ut talibus conditionibus pacem tyrannus facere vellet, Siciliam Dion obtineret. Italiam Dionysius, Syracusas Apollocrates.* Phrases *amicitiam facere* & *societatem facere*, idem quoque Nepos habet. Ut in Alcibiade: *Lacedæmonii cum Persarum rege amicitiam fecerunt.* Et in Themist. *Quod societatem cum rege Persarum fecisset.* Item in Conone: *Societas quam cum Artaxerxe fecerant.* Ibidem mox deinde dicit, *societatem coire.* Justinus lib. XII. habet *fœdus amicitiamque facere.*

Quomodo vox nostra notione quoque *constituendi* & *creandi* usurpatur, ita & vox Latina. Dicimus nos, *einen zum erben machen, einen zum bürgermeister machen:* & pari modo Latini, *facere aliquem heredem, facere aliquem consulem.* Nepos in Hamilcare: *Extremo, cum prope jam ad desperationem venissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt.* Et Attico: *Testamento adoptavit eum heredemque fecit ex dodrante.* Cicero pro Cecinna: *Viros bonos & honestos complures fecit heredes.* Item c. Rullum: *Me perlongo intervallo prope memoria temporumque nostrorum primum hominem novem consulem fecerunt.* Notetur veto & illud quod dicunt *ex senatore rhetorem facere.* Plinius lib. IV. ep. XI. *Quos tibi fortuna ludos facis? Facis enim ex professoribus senatores, ex senatoribus professores.* Item: *Ut exul de senatore, rhetor de oratore, fieret.* Hinc simul differentia *oratoris* atque *rhetoris* patet: quodque rhetores *profiteri*,

profiteri, & *professores* dicti fuerint. In eadem ep. *Audistine Valerium Licinianum in Sicilia profiteri?*

Dicimus nos *geld woraus machen*, cum de reditibus pecorum, frugum, aut aliarum rerum agimus. Neque aliter Latini *pecuniam facere ex frugibus*, *ex pecoribus*. Cicero V. in Verr. *Ista ratione innumerabilem pecuniam facere posset.* Item de Divinat. *Ut ostenderet, etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse.* Nepos Cimone: *Gallias magnas pecunias ex metallis faceret.* Ælius Spartianus Septimio Sev. *Cum magnam partem auri per Gallias Imperator jam fecisset.* Plautus in Persa dixit, *divitias ex aliqua re facere.* Et Terentius in Adelphis, *Rem facere.* Neque dissimile est quod Græci dicunt πράτ]ειν χρήματα, πράτ]ειν ἀργύριον. Loquitur ita Xenophon in lib. I. ἀπομνημ. Dixerint ergo etiam ποιεῖν χρήματα, ποιεῖν ἀργύριον. Hebræi quoque suum עשה hic usurpant, dicuntque עשות חיל *facere divitias.* Prov. XXXI. 29. רבות בנות עשו חיל *multæ filiæ divitias faciunt*, sive *opes parant.* Ubi versio Græca habet: πολλαὶ θυγατέρες ἐκτήσαντο πλοῦτον, πολλαὶ ἐποίησαν δύναμιν. Estque hic unius ejusdemque phraseos Hebrææ duplex versio Græca: qua de re in lib. III. Differt. sacr. cap. 7. egimus, & plura ejus rei exempla ostendimus.

Etiam hoc habemus Germani, ut dicamus *sich lustig machen.* Et pari modo dicunt quoque Latini, *facere se hilarem*: quod nihil est aliud quam *hilarem se præbere*; quomodo locutus est Afranius. Terentius Adelph. Act. V. sc. 3. *Hodie modo hilarem fac te.* Item Act. IV. sc. 7. *Hilarem ac lubentem fac te in nati nuptiis.* Ubi *lubens* idem quod *hilaris.* Multa ejus generis habet & Plautus. Ut Trinummi Act. IV. sc. 3. *Fac te propere celerem, recipe te ad dominum domum.* Ubi *facere se celerem*

rem idem est quod *præbere se celerem*. Rursus Curc. Act. IV. sc. 3. *Ne te mihi facias ferocem*, id est, ne te præbeas ferocem, id est, superbum. Item Mostel. Act. IV. sc. 2. *ferocem facis, quia te herus tam amat*. Ubi Lambinus & Henr. Stephanus addunt *te*: quod tamen Douze & Taubmanno non placet. Geminum quoque est quod legitur in Amphitruone: *Ita versipellem se facit, quando lubet*. Nec multum discrepat illud in Mil. glor. Act. IV. sc. 2. *Magnum me faciam nunc, quoniam illuc me collaudat*. Itemque illud Asin. Act. II. sc. 2. *Ex templo facio facetum me atque magnificum virum. Dico me esse Atriensem*. Nec non & illud Pseud. Act. II. sc. 3. *atque ego nunc me glorioſum faciam*. Quod autem cum proximo hoc Taubmannus confert illud Mil. glor. Act. IV. sc. 6. *Tu te vilem feceris, si te ultro largire*, id nescio an recte ita sit factum. Sane *vilem se facere* significat ibi *facere ut vilis habearis atque contemnaris*. At *facere se glorioſum* idem est quod *præbere se glorioſum*, *esse glorioſum*; quomodo & *facere se hilarem* idem est quod *præbere se hilarem*.

Porro observetur, quod, quomodo nos dicimus, *sich reich machen*, *sich arm machen*, ita Latini dicant *facere se divitem*, *facere se miserum & pauperem*; atque ita τὸ *facere* notione fingendi usurpent. Tullius pro Flacco: *Fundum Cymeum Romæ mercatus est de pupillo Merculonio, cum verbis se locupletem faceret, haberet nihil præter illam impudentiam quam videtis, pecuniam sumpsit mutuam*. Hic, *facere se locupletem* nihil est aliud quam *simulare & fingere se locupletem*. Henricus Stephanus in Thesauro Græcæ linguæ ad verbum ποιῶ scribit, verbum Latinum *facere* cum Gallico *faire* non congruere, quod dicitur *faire le piteux*,

faire

faire le marmiteux, & *faire du piteux*, *faire du marmiteux*: rectius autem cum eodem congruere verbum Græcum, ποιῶν, ut intelligi liceat ex verbis Demosthenis, quæ in Orat. in Midiam leguntur: Οἶδα τοίνυν ὅτι καὶ τὰ παιδία ἔχων εὐρεῖται, καὶ πολλὰς λόγους καὶ ταπεινὰς ἐρᾷ, καὶ ὡς ἐλεεινότατον ποιῶν ἑαυτόν. At nobis nihil dubium est quin Latinum quoque *facere* cum Gallico *faire* satis congruat, liceatque dicere, *facere se miserum*. Aliud hujus generis est in Milite glor. Plauti, Act. IV. sc. 2. *Face te fastidii plenum quasi non lubeat*. Nostri dicerent, *stelle dich, als wenn du nichts darnach frageteſt*. Tale etiam est illud Epid. Act. III. sc. 4. *Bardum me faciebam*. Præcedit *Me sic assimulabam quasi stolidum*: cui alterum illud ἰσοδύναμον est. Ad eundem modum quod nos dicimus *sich kranck machen*, id nihil dubitem latine efferre sic *facere se ægrotum*: quale quid dici etiam potest *morbum simulare*. Ceterum idem verbum *facere* cum significat *fingere*, *simulare*, habet etiam post se accusativum cum infinitivo. Cicero lib. XV. ep. 18. ad fam. *Facio me alias res agere*. Item de opt. gen. orat. *Isocratem Plato in Phædro laudari fecit a Socrate*. Et in lib. I. de nat. D. *Plato facit mundum ædificari a Deo*. Eadem notione verbum *facere* accusativum quoque solum post se habet. Cicero lib. I. de Nat. D. *Plato facit Socratem disputantem*.

Ut nos dicimus *einen muth machen*, *einen guten muth machen*, *hofnung machen*: ita plane & Latini *animos facere*, *bonum animum facere*, *spem facere*. Livius lib. I. *Divitiæ animos faciunt*. Item lib. X. *spiritus facere*. Plinius lib. VII. ep. 30. *Sed cum lego*, *ex comparatione sentio*, *quam male scribam*, *licet tu mihi bonum animum facias*, *qui libellos meos de ultione Helvidii orationi Demosthenis* κατὰ Μειδίου *confers*.

confers. Cicero lib. III. epist. 16. ad Att. *Tuæ litteræ quo sæpius a me leguntur, hoc spem mihi faciunt minorem.* Alibi: *literæ tuæ spem mihi magnam faciunt.*

In eo quoque Germani congruimus cum Latinis, quod, ut nos dicimus *ein buch machen, ein gedicht machen,* ita illi *librum facere, poëma facere, versus facere.* Horatius I. serm. 10. *Paupertas impulit, audax ut facerem versus.* Notus etiam versiculus Virgilii, quem ille fecit, cum quosdam ejus versiculos alius diceret suos esse: *Hos ego versiculos feci: tulit alter honores.* Cicero in Pis. *Poëma facit ita festivum, ita concinnum.* Varro lib. IV. de lingu. Lat. *De his tres libros feci.*

Dicunt item *verba facere, sermonem facere,* quomodo nos, *worte machen.* Livius lib. I. *Ita verba fecit.* Plautus Persa: *Fac verba indocte.* Et in Milite: *Quantum verborum facere audivi.* Cicero pro Quint. *Neque tamen tam multa verba faciam.* Item pro leg. Man. *Facere verba contra legem.* Et lib. II. ep. 24. ad Att. *Idem affirmat, verbum de me illum non esse facturum.* Cæsar lib. II. de B. Gall. *Pro his Divitiacus verba fecit.* Porro *sermonem facere* dixit Cicero III. in Verrem. Sed eadem phrasis eidem Ciceroni significat etiam *sermonem jam habitum in literas referre, & scribendo exprimere.* Lib. IX. ep. 8. ad fam. *Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cum esset una Pompejus. Tibi dedi partes Antiochianas, quas a te probari intellexisse mihi videbar: mihi sumpsi Philonis. Puto fore, ut, cum legeris, mirere, id nos locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus.* Ergo *sermonem aliquem facere* dicuntur hic, ut paulo ante *librum facere, versus facere.* Etiam Græci dicunt λόγον ποιεῖν, cum compositionem libri significare volunt. Qua quidem phrasi ipse S. Lucas initio Actorum Apost.

usus

usus est. Veruntamen λόγον ποιεῖν & λόγους ποιεῖν Græcis idem quoque est quod Latinis *verba facere*.

Sunt adhuc multi alii usus verbi *facere* qui nobis suspecti esse possunt; quod vix credamus, Latinum verbum toties cum nostro *machen* congruere. Dicimus nos, *Diese schule hat viel grosse leute gemacht*. Quod an Latine putabimus exprimi sic posse, *Hæc schola multos magnos viros fecit?* Quidni putemus? Ad hunc modum Seneca in ep. V. scripsit: *Schola Epicuri magnos viros fecit*. Porro ut nos dicimus *wind machen*, si aërem flabello moveamus: ita Latini *ventum facere*. Terentius Eun. Act. III. sc. 5. *Cape flabellum, & ventulum huic sic facito, dum lavamur*. Plautus in Casia: *Fac ventulum pallio*. Dicunt etiam *ignem facere*, quomodo nos *feuer machen*. Nepos in Eumene: *Ut quam latissime possent ignes faciant quam maximos*. Cicero III. in Verr. *Ignem facere ex lignis viridibus*. Porro dicunt *favorem facere*, *auctoritatem facere* pro *conciliare*. Prius habet Livius: posterius Cicero. Pro lege Man. *De quo homine vos (id quod maxime facit autoritatem) tanta & tam præclara judicia feciſtis*. Plinius lib. II. nat. hist. c. 51. *Sed ante omnia explanatio animi, quæ nos distinxit a feris, inter ipsos quoque homines discrimen alterum æque grande, quam a beluis, fecit*. Idem lib. XVI. c. 6. *Differentias faciunt & folia*. Phrasin *discrimen facere* habet & Livius in lib. III. Notæ quoque sunt phrases *testamentum facere*, *pontem facere*, *fossam facere*, *turbas & tumultum facere*, *nomen facere:* in quibus omnibus verbum *facere* nostro *machen* respondet. Cicero lib. III. ep. 29. ad fam. *Testamentum quod Romæ Paulo & Marcello Coss. fecerant*. Nepos Miltiade: *Pontem fecit in Istro flumine qua copias traduceret*. Et Themist. *Id agi ut*

pons

pons quem ille in Helleſponto fecerat, diſſolveretur. Saluſtius B. Jugurth. *Interdum ſomno excitus arreptis armis tumultum facere.* Terentius Act. IV. ſc. 1. *Timeo ne quam ille hodie inſanus turbam faciat.* Ovidius lib. I. faſt. *Et mortem & nomen Druſo Germania fecit.* Quintilian. lib. XI. c. 2. *Memoria facit & prompti ingenii famam.* Sic *nomen* id eſt quod *fama, celebritas.* Ceterum *nomen alicui facere* ſignificat etiam *nomen alicui dare, imponere.* Plautus Bacchidibus: *Ei profecto nomen facio ego Ilio.* Livius lib. IIX. *Scelerato campo, credo ab inceſto id ei loco nomen factum.* Virgilius lib. I. Georg. *Navita tum ſtellis numeros & nomina fecit.* Porro, cum de debitis agitur, phraſis *nomina facere*, notione duplici uſurpatur. Primo quidem ſic, ut noſtro *ſchulden machen* reſpondeat. Cicero III. de Off. *Emit homo cupidus & locuples tanti quanti Pythius voluit, & emit inſtructos: nomina facit, negotium conficit.* Hic *nomina facere* eſt *debitorem ſe conſtituere.* Sic & in epiſtol. ad Att. *Et, ſi nomina jam facta ſunt, vel induci, vel mutari poſſunt.* Alia phraſi idem dicunt *æs alienum facere.* Altera notio phraſeos *nomina facere* appareret in lib. VII. epiſt. 23. ad fam. *Tantum ex Arpinati veneram*, inquit, *cum mihi a te literæ redditæ ſunt: ab eodemque accepi Aviani literas: in quibus hoc erat liberaliſſimum, nomina ſe facturum, cum veniſſet, qua ego vellem die.* Hic ſane *nomina facere* non poteſt ſignificare *debitorem ſe conſtituere*, (quippe Cicero id ad libertatem refert) ſed oportet ut ſignificet *pecuniam alicui credere.* Eadem notione phraſin uſurpat Seneca lib. I. de vit. b. c. 24. quod ſcribit:

Nunquam magis nomina facio quam cum dono.

Illud quoque non negligendum quod dicunt, *Ne*

longum faciam, quomodo nos, *daß ichs nicht lang mache*. Horatius lib. I. sat. 3.

Ne longum faciam: dum tu quadrante levatum
Rex ibis, neque te quisquam stipator, ineptum
Præter Crispinum, sectabitur: & mihi dulces
Ignoscent, si quid peccavero stultus, amici,
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatusque magis vivam te rege beatus.

Cicero quoque in libris de legg. dixit, *Non faciam longius*. Qualia ne & Gallis suis suspecta essent, Henricus Stephanus ipsos monendos putavit. Dicunt enim illi pari modo, *Ne le faites pas long. Pour ne le faire long.*

Verbum *facere* non tantum nostro *machen*, sed & nostro *thun*, & quidem æque frequenter, respondet. Qua de re itidem hic monendum videtur; ne qui vocabuli Latini usus suspecti nobis sint, cum non deberent. Dicimus nos *einem etwas kund thun*. Et pari modo Latini *facere alicui aliquid notum*. Cicero lib. XV. ep. 19. ad Att. *Facies omnia mihi nota*. Suetonius in Augusto: *Senatui notum fecit*. Plinius lib. X. ep. 67. *Quod ego sic roganti præstandum putavi: ita tamen, ut missurum me, notum accusatrici ejus facerem*. Dicunt etiam verbo composito *notificare*. Ovidius lib. I. de Ponto, eleg. II. *Atque modum pœnæ notificare meæ*. Gellius lib. V. c. 14. *Philippi arma vimque totius Græciæ cavendam metuendamque inclytæ illæ Demosthenis orationes concionesque notificant*. Istiusmodi verba composita sunt etiam *magnificare, glorificare*, & alia quædam. Sed quandoque phrasis *notum facere* efferenda potius alia phrasi Germanica fuerit. Ut in eo quod Cicero lib. V. ep. 12. ad fam. scripsit: *Atque illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant*. Et in Orat. de provinc.

Cons.

Conſ. *Quas regiones nullæ nobis antea literæ, nulla vox, nulla fama notæ fecerat.*

Porro ut nos dicimus *einem gutes thun:* ita Latini *alicui bona facere.* Corn. Nepos Themiſtocle: *Idem multo plura bona feci* (domui tuæ) *poſtquam in tuto ipſe, & ille in periculo eſſe cœpit.* Plautus Prologo Amphitruonis:

Quid ego commemorem ut alios in tragœdiis
Vidi Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam commemorare, quæ bona
Vobis feciſſent?

Et paulo poſt:

Sed mos illic nunquam fuit patri meo,
Ut exprobaret quod bonis facere boni.

Idem Plautus in Caſin. Act. II. ſc. 7. dicit etiam, *ſibi multa bona facere.* Verba ejus ſunt: *Ut mihi bona multa faciam.* Noſtri dicerent: *Wie will ich mir ſo viel zu gute thun.* Terentius Heaut. Act. IV. 3. *Faciam tibi boni aliquid pro iſta re.* Quod etiam dicant *alicui bene facere*, ut nos *einem wohl thun*, id notum eſt. Contra dicunt etiam *malum facere.* Seneca epiſt. VII. *Unum exemplum avaritiæ aut luxuriæ multum mali facit.*

Multas phraſes nos formamus ſic, ut noſtro verbo *thun* nomen aliquod quod actionem ſignificet, adjungamus. Exempli gratia dicimus, *einen ausfall thun, einen einfall thun, einen anfall thun, ein gebet thun, eine reiſe thun, einen ſprung thun, einen fall thun, zuſage thun*, pro *ausfallen, hineinfallen, anfallen, reiſen, ſpringen, fallen, beten.* Pari modo Latini verbo ſuo *facere* plurima nomina jungunt, quæ itidem actionem ſignificant. Veruntamen toties illos hoc facere quoties facimus nos; & rurſus toties facere nos, quoties faciunt illi, præſtare ego nolim. An Latini dicant *ſaltum*

facere, quomodo nos *einen ſprung thun* & *caſum facere*, quomodo nos *einen fall thun*, non liquet. Quod autem dicant *eruptionem facere*, quomodo nos *einen ausfall thun*; & *irruptionem facere*, quomodo nos *einen einfall thun*; & *impetum facere*, quomodo nos *einen anfall thun*; & *iter facere*, quomodo nos *eine reiſe thun*, id certum eſt. Cicero lib. VII. ep. 14. ad Att. *Eruptionem facturi fuiſſe videbantur.* Idem Orat. pro leg. Man. *Etiamſi irruptio nulla facta ſit, tamen pecora relinquuntur.* Phraſes *impetum facere* & *iter facere* ſatis quoque ſunt obviæ. Sed & *vim facere*, & *injuriam facere*, quæ noſtris *gewalt thun* & *unrecht thun* reſpondent, notæ phraſes ſunt. Ut item nos dicimus *ein gebet thun*, pro *beten*; ita Livius *precationes facere*, pro *precari*. Sed habent Latini hujus generis multo adhuc plura: quibus noſtræ phraſes non perinde ſimiles ſunt. Dicunt illi, *excurſionem facere*, *incurſionem facere in agrum hoſtilem*, pro *excurrere*, *incurrere*: quas phraſes Livius in libro III. & IV. habet. Idem quoque dicit *populationem facere* pro *populari*. *Progreſſum in ſtudiis facere* pro *proficere* dicit Corn. Nepos in Catone. *Facere furtum* pro *furari*, & *facere fugam* pro *fugere*, habet Terentius Prol. Adelph. & Eun. IV. 7. *Deſcenſionem facere in continentem* Livius in lib. II. *Priusquam*, inquit, *in continentem deſcenſionem faceret.* Cæſar in lib. V. de B. G. dicit *profectionem facere* pro *proficiſci*; & alibi, *ſignificationem facere* pro *ſignificare*; & rurſus alibi, *delectum militum facere* pro *milites legere*, *deligere*. Cicero, *pactionem cum aliquo facere*, *permutationem cum aliquo facere* pro *paciſci cum aliquo*, *permutare cum aliquo*. Paſſim quoque obvia ſunt *conjurationem facere* & *conſpirationem facere*, pro *conjurare*, *conſpirare*. Columella l. XI. c. 2 dicit *introitum facere* pro *introire*, *ingredi*;

gredi; & *transitum facere* pro *transire*. Apparet Latinos adhuc frequentius istam loquendi formam usurpare quam nos. Græci quoque multa hujus generis, habent. Ut μάχην, ναυμαχίαν, πεζομάχιαν ποιεῖσθαι, *Pugnam, pugnam navalem, pugnam terrestrem facere*, ἐκβολὴν ποιεῖν *jacturam facere bonorum*, κρίσιν ποιεῖν *judicium facere*, pro κρίνειν *judicare*, συνέλευσιν ποιεῖσθαι *congressum facere*, pro συνέρχεσθαι *congredi, convenire*, ἐκβοήσεις καὶ ὀλοφύρσεις ποιεῖσθαι *exclamationes & ejulatus facere*, pro *exclamare & ejulare*, δόσιν ποιεῖν *dationem facere*, pro ὑπόσχεσιν ποιεῖσθαι *promissionem facere* pro ὑπισχνεῖσθαι *promittere*. Et sane analogia satis fert ut Latine quoque dicatur *promissionem facere* pro *promittere*; verum exemplum nunc non succurrit. At *promissum* vel *promissa facere* longe aliud significat; nimirum id quod promissum est facere ac præstare, fidem servare. Cicero Philipp. I. *Cæsar multis hominibus multa promissa non fecit*. Idem lib. III. de Offic. *Promissum potius non faciendum, quam tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergo & promissa non facienda nonnunquam: neque semper deposita reddenda sunt*. Quod hodierni Galli dicunt *faire promesse*, id non huic *facere promissum* vel *promissa*, *respondet*; sed alteri illi *facere promissionem*, & nostro *zusage thun*. Hadrianus Cardinalis in suo de sermone latino libro, cum & ipse phrasin *facere promissum* notasset, in calce libri perperam de illa scribit: *Dare promissa: Est & hic alius perelegans dicendi modus, distinctus ab eo quem antea notavi, facere promissa. Nam hoc pro alio spondere, illud per se polliceri significat*. Qui *facere promissa* significet *spondere pro alio*, aut *polliceri per se?* Significat, ut dixi, *ea quæ promissa sunt facere & præstare, fidem servare*: id quod verba Ciceronis satis quoque declarant.

rant. Quod autem attinet ad phrasin *dare promissa*, quam quidem perelegantem dicendi modum ille dicit, ejus exempla non nisi ex poëtis, Catullo & Virgilio, profert. Ex Catullo quidem: *At non hæc quondam blando promissa dedisti.* Ex Virgilio autem:

Non hæc Evandro de te promissa parenti
Discedens dederam. --- --- ---

Et apparet sane *dare promissa* idem hic esse quod *facere promissionem, promittere.* At non opus est *dare promissa* explicare sic ut Hadrianus velle videtur; ut significet *pro alio spondere.* Sive quis de alio, sive de se ipso aliquid promittat, potest is phrasi illa Virgiliana dici *promissa dare.* Hinc cum Virgilius XI. Æn. dixisset, *Non hæc Evandro de te promissa parenti dederam*, non multo post addit:

Non hæc, O Palla, dederas promissa parenti,
Cautius ut sævo velles te credere Marti.

Æneas promissa non dedit de alio, de Pallante puta: & Pallas promissa non dedit de seipso.

CAPUT X.

De usibus verborum pati *&* perpeti *falso suspectis.*

AD Latinitatem falso suspectam pertinent etiam nonnulli verborum *pati* & *perpeti* usus. Dicimus nos vulgo, *Die sache leidet keinen verzug, keinen auffschub;* Si autem pari modo Latine dicatur *Res non patitur dilationem*, multi ambigant, an satis recte sic dicatur. Verum & hic securis nobis esse licet. Livius lib. XXI. *Alter nullam dilationem patiebatur.* Et lib. III. *Hæc res dilationem pati non potest.* Porro ut nos dicimus *Wie es die zeit leidet, wie es die zeit wird leiden wollen:* ita Latini, *Prout tempus patitur* aut *patietur.* Livius lib. IX. *Prout tempus patiebatur.* Et lib. XXII. *Ut tempus locusque patitur.*

Dicunt

Dicunt etiam, *Dignitas mea non patitur.* Cæsar lib. VI. de B. Gal. *Neque suam pati dignitatem, ut tantis copiis tam exiguam manum adoriri non audeat.*

Quod nos dicimus *Ich kans nicht leiden, ich wills nicht leiden*, id Latini non tantum dicunt, *Non feram*, verum etiam, *Non patiar*, *non possum pati.* Notum illud Ciceronis, in quo est συνωνυμία quædam: *Non feram*, *non sinam*, *non patiar.* Nepos Alcibiade: *Athenas victas Lacedæmoniis servire non poterat pati.* Idem Cimone: *Negavit se passuram Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire.* Cœlius lib. IIX. ep. Cic. ad Fam. ep. 4. *Pompejus constituit non pati, Cæsarem consulem aliter fieri, nisi exercitum & provincias reddiderit.* Etiam verbum compositum *perpeti* sic usurpatur. Nepos Pausania: *Luxuriosius epulabatur quam qui aderant perpeti possent.*

Porro ut nos dicimus, *unrecht leiden:* ita Latini *injuriam pati.* Alias dicunt *injuriam accipere*; quomodo & *calamitatem accipere.* Cicero in Epistolis: *Accipere quam facere præstat injuriam.* At nec *injuriam pati* male dicitur. Cicero in Lælio: *Et hic honos veteri amicitiæ tribuendus, ut is in culpa sit, non qui faciat, sed qui patiatur injuriam.* Hic *injuriam pati* nihil aliud est quam *injuriam accipere.* Ceterum *pati injuriam* etiam idem est quod *ferre injuriam.* Livius lib. XXVII. *Ut parentum sævitiam, sic patriæ injurias patiendo ac ferendo leniendas esse.* Hic *pati injurias* idem est quod *æquo animo ferre.*

Sed quid videtur phrasis *damnum pati?* Dicimus nos, *schaden leiden.* Cui convenienter an Latine quoque dicere licet *damnum pati?* Sane alias Latini id quod nos dicimus *schaden leiden*, dicunt *damnum facere*, *detrimentum facere*; in quibus phrasibus *facere* idem est quod *pati.* Et M. Antonius eadem

notione dixerat *contumeliam facere*; ut nimirum hoc idem esset quod *contumeliam pati*. Verum notatus ob hoc est a Cicerone in Oratione III. Philippica. *Quid est*, inquit, *porro facere contumeliam? quis sic loquitur? Nonne satius est mutum esse, quam, quod nemo intelligat dicere?* Ipsam phrasin repudiare Cicero non potuit: siquidem optimi auctores, Plautus & Terentius, usi illa sunt. Plautus Asin. Act. II. sc. 4. *Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?* Terentius Eun. Act. 5. sc. 2. *Si ego contumelia hac digna sum maxime: at tu indignus qui faceres tamen.* Vide & Phorm. Act. V. sc. 7. Quod igitur Cicero notare voluit in Antonio, illud est quod phrasin *contumeliam facere* non ea qua vulgo usurparetur notione usurpasset, id est, quod *contumeliam facere* dixisset pro *contumeliam pati*, cum phrasis ista vulgo notione non passionis, sed actionis, usurparetur. Nimirum cogitandum fuit Antonio, quod, etsi *facere* in quibusdam phrasibus idem sit quod *pati*, non tamen promiscue usurpandum ea notione verbum esset. Dicunt quoque Latini *injuriam facere*. At nec in ista phrasi *facere* idem est quod *pati*: neque *injuriam facere* dici potest pro *injuriam pati*. Sciendum igitur, in quibusdam modo phrasibus *facere* poni pro *pati*. Etsi vero lingua Latina id peculiare habet, ut verbum istud quod κυρίως & usitatissime significat actionem, significet etiam passionem, dicaturque *damnum facere* pro *damnum pati*: non putandum tamen, hunc suum idiotismum Latinos semper usurpare & verbum vulgare quo passionem denotant, id est, *pati*, hic plane negligere. Fit ut lingua idiotismos habeat, nec semper tamen illis utatur, sed aliis linguis congruenter hoc vel illud efferat. Habet exempli causa lingua Hebræa idiotismum hunc, ut, cum efferendum est quod Latini dicunt

dicunt *cadere gladio*, dicant נפל בפי חרב *cadere ore gladii*, atque ita pleonasmo quodam voculæ פי utantur. Et imitatione Hebræorum in novo testamento scriptum est πίπτειν τόματι μαχαίρας *cadere ore gladii*, pro πίπτειν τῇ μαχαίρᾳ. At Hebræi suo hoc pleonasmo, eodemque idiotismo, non perpetuo utuntur; sed sine eo & linguis aliis convenienter dicunt etiam נפל באדב *cadere gladio:* qua de re & pag. 347. partis I. nostri de Hebraismis novi testamenti Commentarii, itemque pag. 9. partis II. monuimus. Alius idiotismus Hebræorum est, quod, cum ipsum nomen quo res quædam appellatur jam posuerunt, tamen pronomen demonstrativum adjiciunt per pleonasmum. Ad hunc modum Dan. I, 7. scriptum est: *Pueris illis quatuor dedit* להם *illis Deus notitiam.* Et Jerem. XXV, 30. הרשעים נתנם לחרב *improbos dabit illos gladio.* At hoc suo idiotismo Hebræi non semper utuntur, sed sæpissime eum negligunt. Ut 1 Reg. II, 35. potuisset pari ratione scribi, את צדוק נתנו *Zadokum constituit illum loco Abjathari.* Et quod scribi sic potuisset, id docent Interpretes Græci, quippe qui pleonasmum illum Hebræorum, cum in ipso textu authentico non offenderent, tamen in versione sua expressérunt, & verterunt quidem sic, Καὶ Σαδὼκ τὸν ἱερέα ἔδωκεν αὐτὸν βασιλεὺς εἰς ἱερέα πρῶτον ἀντὶ Αβιάθαρ. Verum ipse textus authenticus habet modo sic, את צדוק הכהן נתן המלך תחת אביתר. Apparet Interpretes Græcos & aliud expressisse quod in textu authentico non extat; videlicet εἰς ἱερέα πρῶτον: cujus generis complura in lib. III. Dissertationum sacrarum, cap. XIII. congessimus. Ceterum quomodo Hebræi, & aliæ nationes, suos quos habent idiotismos non semper usurpant, sed subinde eos negligunt: ita omnino & Latinos facere putandum est.

Habent Latini idiotismum hunc, ut verbum, quod usitatissime significat actionem, in paucis quibusdam phrasibus significet passionem, dicaturque *damnum facere* pro *damnum pati, damnum accipere:* verum hoc suo idiotismo Latini non perpetuo utuntur, sed neglecto eo & linguis aliis convenienter dicunt etiam *damnum pati.* Neque enim probare possumus, quod Caspar Scioppius, cum in poëmatis Petri Bembi legisset, *Te decuit toties ultima damna pati*, ac in Pauli Manutii, aliorumque clarorum virorum scriptis etiam similia reperisset, in Paradoxis suis literariis, & quidem in epistola quinta, quæ est ad Julium Cæsarem Capaccium, scripsit: *Sed id* (damna pati) *sine dubio barbarum est, cum idioma Latini sermonis postulet facere, capere, accipere damnum, aut damno affici, sive, ut Terentius ait, augeri.* Et adstipulari ei videtur Vir clarissimus Joh. Petrus Titius, quod in sua ad excerpendum Manuductione scribit, phrasin *damnum pati* ex idiotismo tum aliis gentibus, tum Germanis usitato, ortam esse. Verum præstabo ego phrasin istam satis probam esse. Principio constare potest, Ulpianum, ut ex tit. IIX. lib. XXVII. Digest. apparet, in l. XXXVI. ad Edictum scripsisse sic: *Ideo damnum, quod impuberes, vel adolescentes medio tempore passi sunt, ad eos magistratus pertinere non ambigitur, qui munere mandato non paruerunt.* Non est quidem Ulpianus inter antiquissimos Latinitatis auctores: sed vixit tamen sub Alexandro Severo, & auditor fuit Papiniani; neque idiotismos hodiernarum linguarum cognitos habuit, ut ad ipsos phrases latinas formaret. Sed non ab Ulpiano tantum sed & ab aliquo multo antiquiore phrasin usurpatam esse Scioppius ipse observavit. Est is Seneca, qui in libro I. de Ira, cap. 2. scribit: *Quin, si tibi libuerit, relictis in quos ira viritim exarsit,*

arsit, aspice cæsas gladio conciones, & plebem immisso milite contrucidatam, & in perniciem promiscuam totos populos capitis damna passos. Ait Scioppius, *Senecam Philosophica licentia sic sibi loqui permisisse.* Verum unde hoc scire licet, quod ut philosophus eam phrasin finxerit? Oportet sane philosophus nonnunquam suis sibi peculiaribus atque ab usu vulgi remotis vocabulis uti: verum cur Seneca phrasin *damna pati* fingeret, nihil causæ erat, neque enim *damna pati* rem significat talem, quæ a notitia vulgi sit remota, & ad quam exprimendam nova vocabula aut phrases fingi oporteat. Sed ne novum videatur, Scriptores latinos sic ut alias gentes, interque has Hebræos, suos quos habent idiotismos non semper usurpare, sed aliis linguis convenienter loqui: attendatur ad illud quod supra in hoc ipso capite notavimus. Idiotismus Latinorum est, quod dicunt *injuriam accipere* pro *injuriam pati.* Nos quidem dicimus non *unrecht empfangen*, sed *unrecht leiden.* At Latinis elegans est *injuriam accipere:* & verbum suum *accipere* usurpant illi, ubi nostro *empfangen*, sic ut alias ipsum non respondet. Verum idiotismo hoc suo Latini non perpetuo utuntur; sed dicunt quoque *injuriam pati:* atque ita suum *pati*, ut alias, ita & hic nostro *leiden* respondere volunt. Ipse Cicero, qui toties scripsit *injuriam accipere*, alibi idiotismum illum suæ linguæ neglexit, dixitque *injuriam pati.* Verba ejus, ut citavi, sic habent: *Et hic honos veteri amicitiæ tribuendus, ut is in culpa sit non qui faciat, sed qui patiatur injuriam.* Potuisset ille utique sic scribere: *Ut is in culpa sit non qui faciat, sed qui accipiat injuriam.* Verum idiotismo linguæ suæ uti ipsi nunc non libuit: sed dixit nostræ linguæ convenienter, *Qui patiatur injuriam.* Pari modo idiotismo linguæ

suæ

suæ dixit *contumeliam accipere*; ac deinde nostræ linguæ convenienter *contumeliam pati*. Quid quod constare etiam potest, quod, cum Latini idiotismo quodam dicant *naufragium facere* pro *naufragium pati*, suam tamen ipsam hanc phrasin *naufragium pati* non prorsus negligant? Seneca Herc. Oet. I.

Vitam qui poterit reddere protinus,
Solus naufragium non poterit pati.

Notandum item, quod, cum dicant *jacturam facere*, Columella dixit etiam *jacturam pati*: id quod ipsi Caspari Scioppio, contra quem nunc disputamus, accredimus. Pari modo igitur non & mirum, quod, cum idiotismo quodam dicant *damnum facere* pro *damnum pati*, ipsum quoque τὸ *damnum pati* non omnino negligunt, sed & ipsum, ut ostendimus, usurpant.

CAPUT XI.

De usibus quibusdam verborum dare *&* accipere *falso suspectis.*

VErbum *dare* quoque inter illa est quorum usus quidam suspecti subinde sunt, cum non deberent. Dicimus nos *zeugnüs geben, rath geben, raum geben, ein zeichen geben, einen kus geben, antwort geben, einen stich geben.* In istis igitur omnibus efferendis an latinos quoque suum verbum *dare* usurpare putabimus, ac similiter dicere *testimonium dare, consilium dare, locum dare, signum dare, osculum dare, responsum dare, ictum dare?* Præstabo ego omnia esse proba, & nullum eorum debere suspectum esse. Primo *testimonium dare* passim est obvium. Corn. Nepos Lysandro: *Ut ad ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset.* Neque aliter Cæsar, Cicero, & optimi quique alii. Phrasis *consilium dare* apparet in his Terentii Heaut. Act. V sc. I. *Nonne id flagitium*

flagitium est te aliis consilium dare, foris sapere, tibi non posse te auxiliarier. Item in his Ciceronis lib. IV ep. 2. ad fam. *Consilium meum est tale, ut capere facilius ipse possim, quam alteri dare.* Porro phrasin *signum dare* Corn. Nepos habet in Miltiade. *Utri-usque,* inquit, *venit in opinionem, signum classiariis regiis datum.* Alibi dicit *signum pugnæ, signum prælii dare.* Phrasin *locum dare* passim quoque invenias. Terentius Phorm. Act. III. sc. 2. *Da locum melioribus.* Cicero de Orat. *Hæc turba & barbaria forensis dat locum vel vitiosissimis oratoribus.* Phrasis *suavium dare* apparet in his Plauti, Pseud. Act. IV sc. I. *Ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quæ det.* Ubi & notanda φράσις *savia super savia:* qua de infra agendum erit, cum ad voculam *super* venerimus. Tullius in epp. ad Att. *Atticæ quoniam hilarula est, meis verbis suavium des.* In Priapeis: *Cui dant oscula nobiles cinædi.* Phrasin *responsum dare* habet Cicero I. in Verr. *Ipsis autem tantis de rebus responsum nullum dedisti.* Alibi dicit quoque *responsum reddere.* Ut pro Planc. *Cum senatus impediretur, quo minus equitibus Romanis responsum redderetur.* Phrasin *ictum dare* exstare in Priapeis, Caspari Scioppio, inde eam citanti, accredimus. Notetur autem & illud, quod dicunt *mammam dare infanti,* quam phrasin legere meminimus.

Quid porro videntur phrases *dare se ad rem aliquam faciendam, dare se ad ludendum, ad libros legendos?* Dicimus nos, *er begiebt sich sehr auf das sauffen, auf das spielen.* Deinde & voce composita *begeben* utimur, dicimusque; *er begiebt sich auf die freyen künste, er begiebt sich auf das reiten.* Qualia Latini exprimunt phrasibus *animum adjungere, animum appellere, animum applicare ad aliquam rem.* Terentius: *Poëta cum primum animum ad scribendum*

dum appulit. Idem: *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos.* Ceterum pro *appellere animum ad scribendum, adjungere animum ad aliquod studium, ad alendos equos, ad philosophos*, dicere etiam licet, *dare se ad scribendum, dare se ad aliquod studium, dare se ad alendos equos, dare se ad philosophos.* Certe ipse Tullius hujusmodi phrasibus passim utitur. Libro I de nat. D. *Ea vero ipsa nulla ratione melius frui potui, quam si me non modo ad legendos libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dedissem.* Et lib. I de leg. *At mehercule ego arbitrabar posse in populo nostro probari, si te ad jus respondendum dedisses.* Et ibidem: *Neque unquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut jus civile contemneres.* Sed pro *dare se ad aliquam rem*, dicunt etiam *dare se alicui rei.* Iterum Tullius V in Verr. *Sed cum rosam viderit, tunc incipere ver arbitrabitur: dabit se labori atque itineribus.* Alibi dixit, *Dare se rei familiari, vitæque rusticæ.* Et rursus alibi, *Dare se historiæ.* Rursus & accusativo, & quidem præmissa vocula *in*, utuntur, cum dicunt *dare se in viam, dare se in fugam:* quæ & ipsa cum nostris phrasibus *sich auf den weg begeben, sich auf die flucht begeben*, non male congruunt. Utimur nos in talibus verbo composito *begeben* pro *geben*: quomodo etiam dicimus *sich auf eine kunst begeben* pro *sich auf eine kunst geben.* Latinarum phrasium exempla passim sunt obvia. Tullius in Verrem: *Dant se in fugam istius præclari Imperatoris nocturni milites.* Idem ad Terentium: *In viam quod te des hoc tempore, nihil est.* Alia notio est verbi *dare*, cum dicunt *alios in fugam dare.* Est enim hoc idem quod *in fugam vertere.* Cæsar l. IV. de B. Gall. *In hostes impetum fecerunt, atque eos in*

fugam

fugam dederunt. Denique dicunt etiam *fugam dare* pro *fugam facere* seu *fugere:* qua de phrasi paulo post.

Ambigat etiam quispiam, an dicere liceat *librum foras dare,* quomodo nos dicimus *ein buch heraus geben.* Verum hujus quoque exempla non desunt. Tullius lib. XIII epist. ad Att. *Sed tum dari foras scripta, cum utrique nostrum videbitur.* Vocem *foras* usurpant & in aliis, quæ & ipsa suspecta esset possint. Ut quod Tullius X Phil. scribit, *Dolere soleo efferri hæc foras, & ad reip. aures pervenire.*

Suspectum quoque esse possit, si quis dicat *Ut res dant sese;* quomodo fere in nostra lingua dicimus, *Wie giebt sichs, es wird sich wohl geben.* Notentur igitur hæc Terentii ex Hec. Act. II sc. 1. *Omnibus nobis, ut res dant sese, ita magni aut humiles sumus.* Item hæc Ciceronis ex lib. III epp. ad Att. *Tu ad me velim proximis literis, ut se initia dederint, perscribas.* Virgilius in Georgicis habet: *Multa adeo gelida melius se nocte dedere.* Ex quo intelligitur, recte etiam dici, *Res se dant bene, res se dant male.* Huc pertinet etiam illud Senecæ in cap. III libri de tranq. animi: *Utcunque se res publica dabit, utcunque fortuna permittet, ita aut explicabimus nos, aut contrahemus.* Observetur etiam quod Livius dicit, *Ubi res dedit,* quomodo nos, *da es die gelegenheit gegeben hat.* Verba ejus sunt in lib. V. *Modo brevioribus, modo longioribus spatiis trahendo eos a porta, lusu sermonibusque variatis, longius solito, ubi res dedit, progressus, inter stationes eos hostium, castraque inde Romana, in prætorium ad Camillum perduxit.*

Porro notetur, quod, quomodo nos dicimus *einen klang, einen schall geben,* ita Latini dicant *sonitum dare, sonorem dare.* Virgilius lib. III Georg.

Summæque

Summæque ſonorem dant ſylvæ. Idem lib. IX Æneidos: *Dant ſonitum flictu galeæ: pugna aſpera ſurgit.* Et Lib. IV. *Utero ſonitum quater arma dedere.* Pari modo dicit, *tuba dat ſonitum, haſta dat ſonitum, amnes dant ſonitum.* Apparet, & res inanimatas cum percutiuntur dici *ſonitum dare*, & deinde ipſum hominem qui percutit. Ceterum *dare* hic idem eſt quod *facere*, & *dare ſonitum* idem quod *facere ſonitum*; & *facere ſonitum* idem quod *ſonare.* Supra in cap. IX p. 107. diximus, quod verbum *facere* cum variis nominibus actionem ſignificantibus conjungatur; exempli cauſa, quod dicant, *precationes facere* pro *precari:* & *furtum facere* pro *furari:* & *excurſionem facere* pro *excurrere:* & *conſpirationem facere* pro *conſpirare:* & *tranſitum facere* pro *tranſire*, & infinita id genus alia. Hoc loco autem notandum, quod pro *facere* ſæpe ponant *dare*, atque huic itidem nomina quæ actionem ſignificant jungant. Hac ratione ergo *ſonitum dare* idem eſt quod *ſonare:* & *gemitum dare* idem quod *gemere:* & *plauſum dare* idem quod *plaudere:* & *planctum dare* idem quod *plangere:* & *cantum dare* idem quod *canere:* & *prælium* ſeu *certamen dare* idem quod *præliari:* & *ruinam dare* idem quod *ruere, corruere.* Seneca Act. I Troad. *Ferite palmis pectora, & planctus date.* Plautus Aſinaria extrema: *Si plauſum ſit clarum datis.* Virgilius: *Imbelles dant prælia cervi.* Et in Culice: *Objectoque dabat clypeo certamina.* Idem lib. II. Æn. *Jam Deiphobi dedit ampla ruinam, Vulcano ſuperante, domus.* Et lib. I. *Inſonuere cavæ gemitumque dedere carinæ.* In lib. VI dicit *finem dare* pro *finire. Finem dedit ore loquendi*, inquit. Alias dicunt *finem facere:* ut jam ſupra in cap. IX notavimus. Et apparet id quod dicebam, *dare* in talibus idem eſſe quod *facere.* Sic & pro

fugam

fugam facere seu *fugere* dicunt *fugam dare*; & pro *turbas facere* dicunt *turbas dare*. Nostra lingua in paucis modo hic congruit. Ut quod illi dicunt *sonitum dare*, id nos dicimus *einen klang geben, einen schall geben:* & quod illi dicunt *fugam dare*, id nos dicimus *die flucht geben*. Ceterum ipsa illa verbi *dare* significatio apparet etiam in phrasi *dare promissa*, quam supra in cap. IX extremo notavimus. Est enim *dare promissa* nihil aliud quam *facere promissionem*, & quod dicimus *zusage thun*. Apparet item in phrasi *saltum dare* pro *salire:* quam usurpat Ovidius. Nam *saltum dare* nihil aliud est quam *saltum facere*. Et quia dicunt *saltum dare*, nihil nunc amplius dubitamus, ut sane supra faciebamus, quin dicant etiam *saltum facere*.

Porro autem & de verbo *accipere* hic videamus: Antonius Schorus in utilissimo de phrasibus linguæ latinæ præcipue observandis libello, de verbo *accipere* ita scribit: *Imprimis ignorari vulgo videtur, notasse Latinos idem hoc verbo quod per tracto sive verbis, sive verberibus, sive eos quos aut hospites aut convivas adhibemus*. Quæ vero est causa, quod iste verbi *accipere* usus, vulgo ut ille ait, ignoratur? Non alia, credo, quam ipsa illa, de qua toties jam diximus; quod videlicet nostri homines vix credunt, verbum latinum, ut in aliis, ita & ista significatione & usu cum nostro *empfangen* congruere; quodque verentur, ne, si verbo isto sic utantur, in Germanismum quendam incurrant. Quare non supervacuum fuerit ea quoque de re admonitionem aliquam hic fieri. Dicimus nos, *wie wolt ich dich empfangen haben*, si dignum, quempiam verberibus, sed certis de causis ea non expertum velimus dicere. Idem igitur an latine efferri sic potest, *Quo te modo accepissem?* Quidni possit? Scripsit ad eum modum ipse

Cicero in quarto Tusc. *Quo te, inquit, modo accepissem, nisi iratus essem.* Idem in secundo Tusc. *Spartæ pueri ad aram verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis exeat.* Alibi dicit quoque *male accipere, vehementer accipere, honorifice accipere, regio apparatu accipere.* Plautus item, *magnifice accipere, cruciabiliter accipere.* Terentius in Eunucho: *Accipit hominem nemo melius, neque prolixius.* Cornelius Nepos Eumene: *Antigonum male acceptum in Mediam hiematum coëgit redire.* Ubi *male acceptum* vocat eum qui fusus est prælio.

Notanda deinde phrasis *accipere vulnus in capite*; ne scilicet & hæc Germanismi sit suspecta. Habet eam Cicero in orationibus in Verrem. Nepos item Miltiade scribit: *Æger erat vulneribus quæ in oppugnando oppido acceperat.* Idem eadem phrasi usus est & per metaphoram. Ut in Datame: *Filium eo Arsideum cum exercitu mittit. Cadit in prælio adolescens, proficiscitur eo pater non ita magna cum manu, celans quantum vulnus accepisset* (morte filii) *quod prius ad hostem pervenire cupiebat, quam de re male gesta fama ad suos perveniret: ne cognita filii morte animi debilitarentur militum.* Item in Dione: *Cum filium vellet revocare a perdita luxuria, accepit gravissimum parens vulnus morte filii.* Dejecerat se Dionis filius e superiore parte ædium, itaque interierat. Atque inde pater vulnus gravissimum accepit, id est, dolorem cepit maximum. Quod *vulnus* per metaphoram pro dolore & luctu ponitur, ejus passim exempla exstant. Et collegit plusscula doctissimus Gebhardus in Notis in Dionem Cornelii Nepotis. Quibus addi potest illud Valerii Max. lib. V cap. 10. *Ut nihil ex vetere ritu propter domesticum vulnus detraheret.* Ceterum phrasis *vulnus accipere* & per aliam metaphoram usurpatur; & sic quidem

ut

ut significet clade & damno affici in bello. Justinus lib. V. c. 5. *Tanta cædes palantium fuit, ut plus vulneris eo prælio Athenienses acciperent, quam superioribus dederant.* Apparet hic etiam phrasis *vulnus dare*: quæ alteri illi *vulnus accipere* ex adverso ponitur, & per metaphoram & ipsa usurpatur. Proprie *vulnus dare* dicitur is qui infligit. Ovidius: *multa dedit multis vulnera, multa dabit.* Priapeis: *Sæva nec incurva vulnera falce dabo.* Deinde per metaphoram *vulnus dare* dicitur ille qui damnum dat alterius generis. Nam quia dicunt *damnum capere* & *damnum accipere*, dicunt item *damnum dare*. Terentius Andr. Act. I sc. I.

Nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit,
Quod facias illi qui dederit damnum aut malum.

Porro notentur Phrases *accipere aliter*, *accipere aliorsum*, *accipere ad contumeliam*, quæ similes sunt nostris *anders aufnehmen*, *für einen schimpf aufnehmen*. Terentius Eun. Act. I sc. 2. *Vereor, ne aliorsum atque ego feci acceperit.* Item Adelph. Act. IV, 4.

Omnes quibus res sunt minus secundæ, magis sunt
nescio quo modo
Suspiciosi: ad contumeliam omnia accipiunt magis.

Quod nos dicimus *die entschuldigung annehmen*, id Latini dicunt *excusationem accipere*. Cæsar l. IV de B. Gall. *Libenter Cæsar petentibus Æduis dat veniam, excusationemque accipit: quod æstivum tempus instantis belli, non quæstionis, arbitrabatur.* Item: *Cognita causa reperit ab Svevis auxilia missa: Ubiorum satisfactionem accepit.* Ubi *satisfactionem accipere* idem est quod *excusationem accipere*. Eadem notione dicunt etiam *causam accipere*. Cicero lib. XVI ep. ad fam. *De Ausidiano nomine nihil te hortor: scio tibi curæ esse: sed confice, & si ob eam rem moraris, accipio causam, si te id non tenet, advola.*

CAPUT XII.

De verborum quorundam intellectus, voluntatis, sensuum & affectuum usibus falso suspectis.

VIdendum etiam de verbis quibusdam intellectus, voluntatis, sensuum & affectuum. Nam horum quoque usus quidam suspecti esse possunt. Dicimus nos, *Wo wilst du hin? Ich will nach Leipzig.* Et cui animus est proficisci Romam, de eo dicimus, *er will nach Rom*, *er gedencket nach Rom:* atque ita subaudiendum aliquid relinquimus. Nam oratio plena foret, *er will nach Rom reisen, er gedencket nach Rom zu reisen.* Sed eodem modo licet & Latine dicere, *Cogitat Romam*, *Vult Romam.* Cicero lib. IIX ep. 25. ad Att. *Quod ubi audissem, si ille Appia veniret, ego Arpinum cogitabam.* Item lib. IX ep. 1. ad Att. *Nos in Formiano morabamur, quo citius audiremus: deinde Arpinum volebamus.* Rursus lib. VII ep. 4. ad fam. *Ad IX. Kal. Julias in Cumanum veni, in Pompejanum statim cogito.* Ceterum de verbo *cogitare* notandum hic, quod non tantum vocabulum intellectus, sed & voluntatis sit; quomodo & vox nostra *gedencken* duplicem vim habet. Quod Sulpitius in epist. ad Ciceronem scribit: *Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem nos homunculi &c.* vocabulum intellectus est. Quod autem Cicero dicebat, *Ego Arpinum cogitabam*, est vocabulum voluntatis. Sed dicitur quoque plene, *Ego Arpinum cogitabam proficisci*; ut infinitivus diserte adjiciatur. Cicero alicubi, *Brunduſium pergere cogito.* Rursus infinitivum omittit, & ne nomen loci quidem addit, quod lib. IX. ad Att. ep. 1. scribit: *Etiam M. Lepidus, quo cum diem conterere solebam, cras cogitabat.* Facile apparet, subaudiendum esse

esse infinitivum *discedere* vel *proficisci*. Sic & in epist. ad Tironem, quæ est lib. XVI. ep. 17. *Ego hinc perendie mane cogito.*

Porro quod nos dicimus *auf die nachkommen gedencken*, si aliquid posterorum causa, vel in gratiam posterorum faciamus, id Latini dicunt *posteros cogitare*. Plinius lib. V ep. 5. *Qui posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est.*

Dicimus nos *er hat von mir begehret, daß ich das thun möge*, pro *er hat mich gebeten*. Jam Latini non dicunt quidem *Cupivit a me* pro *Petiit a me*; sed dicunt tamen *Desideravit a me*. Domitianus in epist. ad Lucianum Appium inter epistolas Plinii, & harum quidem libro decimo: *Plenam ei humanitatem tuam præstes in iis quæ verecunde a te desideravit.* Sic & *desiderium* pro *petitione*. Plinius Panegyrico: *Videmus ut provinciarum desideriis, ut singularum etiam civitatum precibus occurrat.* Item lib. X ep. 34. *Ego tamen æstimans novum fieri debere* (balineum) *videris mihi desiderio eorum indulgere posse.* Et ep. 35. quæ est Trajani: *Si instructio novi balinei oneratura vires Prusensium non est, possumus desiderio eorum indulgere.*

Verbi *aspicere* quoque usus aliquis suspectus esse potest. Dicimus nos *man siehet mehr auf ihn, als auf andere*. Ad hunc modum Cornelius Nepos in Chabria: *Milites magis illum aspiciebant quam qui præerant.* Deinde quod nos dicimus *einen für glückselig ansehen*, id latine an efferre liceat sic *aspicere aliquem pro felici*, multi dubitent. Sed locutus tamen sic est Seneca in l. de gubernat. mundi. *Isti*, inquit, *quos pro felicibus aspicitis.* Hic *aspicere* idem est quod *habere, reputare, æstimare*. Et quomodo dicitur *habere aliquem pro felici*, ita Seneca

dixit, *aspicere aliquem pro felici.* Ipse quoque vocula *pro* usus in talibus suspectus esse potest. Sed de hoc infra in alio loco.

De verbo *videre* notandum, quod, quomodo nostro verbo *zusehen* nos dicimus quod Latini dicunt, considerare, *curare*, *providere*, ita Latini quoque suo *videre* hic utantur. Cicero I in Verr. *Vide etiam atque etiam*, *ac considera*, *quid agas.* Alibi: *Cave ne capiaris: ne fallaris, vide.* Nos dicimus, *siehe zu*, *daß du nicht betrogen vverdest.* Sed *vide ne* subinde etiam est pro *vide annon.* Cicero III. Tusc. *Videamus, ne hæc oratio sit hominum assentantium nostræ imbecillitati, & indulgentium mollitudini.* Item: *Vide, ne, cum omnes rectæ animi affectiones virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium; sed ab ea una quæ ceteris excellat, omnes nominatæ sint.* Porro ut nos dicimus *da magst du zusehen:* ita Latini *Tu videris.* Cicero ad Att. *Sed de hoc tu videris.* Item: *Sed de illa ambulatione fors viderit, aut, si quis est, curet Deus.*

Porro verbi *ostendere* quoque usus quidam suspecti esse possunt. Ut si fœmina minitabunda loquatur sic, *Virum me natam vellem: ego ostenderem.* Dicimus nos, *ich wolte es ihm wohl weisen.* Cum quo planissime congruit quod ex Act. V sc. 3. Phormionis Terentii modo produximus. Ibi Nausistrata, eum multa questa esset de viro suo, subdit tandem: *Virum me natam vellem: ego ostenderem.* Porro quod nos dicimus, *sich sehen lassen*, id Salustius dicit *ostendere se.* Ut Bello Jugurth. *Quarto denique die haud longe ab oppido Cirta simul undique speculatores citi sese ostendunt.* Hic *ostendere se* est pro *apparere.* Illud quoque suspectum esse possit, si quis dicat *ostendere se bene*, quomodo nos *sich wohl bezeigen.* Locutus autem sic est Cicero. Nam lib. I ep. 2. ad Quintum fr. sic habet: *Tribuni plebis*

sunt

sunt nobis amici. Consules se optime ostendunt. Prætores habemus amicissimos.

De verbo *monstrare* Henricus Stephanus monuit Gallos suos, ne, si latine dicatur *monstrare alicui*, quomodo gallice *monstrer à quelcun*, idque ita sine casu quarto ad doctrinam referatur, suspectum hoc ipsis sit. Pari modo non supervacuum videtur eadem de re moneri nostros homines. Nos enim similiter dicimus, *einem vveisen, einem zeigen.* Ceterum Latinitatem quoque istam probam esse apparet ex his Plautinis:

Jam perdidisti te atque me, atque operam meam,
Qui tibi nequicquam sæpe monstravi bene.

Leguntur ista in Bacchidum Act. I sc. 2. Hic *monstrare alicui* idem est quod *doctrinam alicui tradere.* Quod apparet ex eo quod Pistoclerus, cui ista dicuntur, respondet:

Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam,
Tua disciplina nec mihi prodest, nec tibi.

Justinus quoque lib. II c. 6. dicit: *Arare quoque & serere frumenta glandem vescentibus monstrarunt.*

Nostrum *hören* usurpamus quoque pro *gehorchen*, dicimusque, *wo du mich hören wilst, er will mich nicht hören.* Nec aliter Latinum *audire*, quod proprie pertinet ad sensum externum, subinde usurpatur pro *obtemperare.* Cicero lib. II de Orat. *Eum sum cohortatus, ut forum sibi ludum putaret esse: magistrum autem quem vellet eligeret: me quidem si audiret, M. Crassum.* Et in epistolis: *Tecum loquere, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera.* Participium *audiens* quoque sæpissime notione obtemperandi usurpatur: sed non solum tamen, sed præmissa voce *dicto.* Laurentius Valla lib. III de elegantia latinæ linguæ, cap. 42. scribit: *Sum audiens te, quod te audio: sum audiens tibi, quod*

tibi obedio. Et verum sane est, quod participio isti nomen, aut pronomen, casus dativi jungatur: an vero non præmissa voce *dicto* sic usurpetur, dubitare subit. Citat ille legem XII tabularum ex Quintiliano: *Filiam minus audientem dicto liceat abdicare.* Verum hic vox *dicto* diserte est addita. Pari modo addita est in verbis Ciceronis, quæ ex Orat. pro Dejotaro produxit: *Aut qui dicto audientes in tanta re non fuissent.* Citat etiam ex Philippicis Ciceronis, *Et audiens esset huic ordini.* Verum nescio an tuto ei accredere hic liceat; cum videam, in eodem capite perperam citasse ipsum locum Plauti ex Captivis: *Memini cum dicto haud audiebat, facto nunc lædat licet.* Loco hoc Plauti vult ille probare, quod Latini dicant *audire alicui* pro *obtemperare, obedire alicui;* per ipsum verbum *audire* puta, juncto ei dativo. Verum in loco illo Plauti legendum est *audebat*, non *audiebat:* ut Johannes Theodericus jam monuit. Deinde observare licet, quod Cicero tot aliis locis dicat *dicto audientem esse alicui,* atque ita vocem *dicto* adjiciat lib. V. in Verr. *Et quorum sociorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto audientes esse jussisti.* Item lib. II de Divin. *Istæ imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut simul atque velimus accurrant?* Nec aliter æqualis Ciceronis Corn. Nepos. Ut Iphicrate: *Ut nullæ unquam in Græcia neque exercitatiores copiæ, neque magis dicto audientes fuerint duci.* Et in Lysandro: *Dicto audientes Imperatoribus suis non erant.* Item in Datame: *Is regi dico audiens non erat.* Habent quidem editiones quædam *Is regis dicto audiens non erat:* verum contra fidem meliorum codicum. Et falsus hic sine dubio est is qui Latinitatis, si quisquam inter recentiores observans fuit, Caspar Scioppius, quod in epistola ad Saulum Merce-

Mercerum, quæ Scaligero hypobolimæo adjecta est, scripsit: *De consilii ratione, quam sacrilegus iste aliorum, credo, monitis dictisque audiens, secutus tibi videtur facile assentiet qui &c.* Viden dicere illum, non *aliis dicto audiens*, sed *aliorum dictis audiens*, atque ita voci *dictis* genitivum *aliorum* jungere? Addit quoque vocem *monitis:* & vocem *dictis* ponit numero plurali. Quod & ipsum an exemplo & imitatione veterum factum ab ipso sit, non liquet. Certe in locis quæ jam pluscula produximus, nomen apparet numeri singularis *dicto:* etiam ubi agitur de pluribus, quibus obtemperatum sit. Cicero: *Nobis dicto audientes sunt.* Item: *Eos Syracusanis dicto audientes esse jussisti.* Nepos, quod mirere, vocem *dicto* adjicit, ubi participium *audiens* non dativus personæ, sed alius sequitur; & numero itidem plurali. Nimirum in Agesilao sic habet: *Dicto audiens fuit jussis magistratuum.* Non dixit *Magistratuum dicto*, vel, ut Scioppius volebat, *dictis fuit audiens;* neque dixit, *dicto audiens fuit magistratibus;* quod sane itidem potuisset: sed dicit *dicto audiens fuit jussis magistratuum.* Ut vel hinc appareat, vocem *dicto* abesse haud posse, si participium *audiens* notione *obtemperandi* usurpetur. Si enim abesse posset, Nepos sine dubio omisisset hic ubi vocem *jussis*, quæ ejusdem fere notionis est, mox subjuncturus erat. Plautus quoque ubi istud Participium notione *obtemperandi* usurpavit, vocem *dicto* non omisit. Ut Persæ Act. III sc. 1. *Futura es dicto obediens patri.* Et respondetur: *Dicto sum audiens* scil. patri. Apparet hic etiam, quod, ubi participium verbi compositi *obediens* usurpavit, vocem *dicto* tamen adjecerit.

De verbo *ausculto* vix operæ pretium est monere, quod, cum proprie notione audiendi cum nostro

hören congruat, notione quoque obtemperandi eidem noſtro verbo reſpondeat. Valla prædicto loco habet: *Auſculto te, audio te: auſculto tibi, obtempero tibi.* Putat ergo, pro diverſitate ſignificationis diverſam quoque conſtructionem eſſe. Sed neſcio an id quod ille vult, perpetuum ſit. Frequens ſane eſt conſtructio cum dativo, ſi notione obtemperandi verbum uſurpetur. Terentius Andr. Act. I. ſc. 3. *Nec quid agam, certum eſt, Pamphilumne adjutem, an auſcultem ſeni.* Item Heaut. Act. III. ſc. 3. *Chreme, vin tu homini ſtulto mihi auſcultare?* Ch. *Quid faciam?* S. *Jube hunc abire aliquo.* Cicero pro S. Roſ. *Quid tu, vir optime? ecquid habes, quod dicas? mihi auſculta. Vide ne tibi deſis.* Plautus quoque multis locis. Ut Bacchid. Act. IV. ſc. 8. *Age nunc, vincito me, auſcultato filio.* Invenias tamen, ubi eadem illa notione uſurpatum verbum cum caſu quarto conſtruatur. Plautus Trin. Act. III. ſc. 2. *Niſi me auſcultas, atque hoc ut dico facis, Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor.*

CAPUT XIII.

De quorundam verborum quæ motum aut ſitum ſignificant uſibus falſo ſuſpectis.

VErbi ſimplicis *venire*, & compoſiti *pervenire* uſus quoque ſubinde nobis ſuſpectus eſt, ubi minime debebat. Si obtineat quispiam, aut recuperet, quod ei debetur, dicimus nos, *daß derſelbe zu dem ſeinen komme.* Licetne igitur de eodem & Latine dicere, *pervenire illum ad ſuum?* Quidni liceat? Loquitur ita ipſe Cicero. Atque hujus en tibi verba ex oratione pro Quinto: *Inveniri ratio non poteſt, ut ad ſuum quisque quam primum perveniat.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0114
DFG

veniat. Idem Cicero epistola XIV. libri XIII. rogat Brutum, *ut det operam, ut libertus Strabonis quam commodissima conditione negotium conficiat, ad nummosque perveniat*. Dicunt igitur etiam *ad nummos pervenire*, quomodo nos, *zu seinem gelde kommen*.

Pari modo suspectum esse non debet, si quis dicat, *pervenisse quippiam ad aures alicujus*. Germani dicimus, *Es ist mir zu ohren kommen*. Et pari modo Latini, *Pervenit ad aures meas*. Nepos Miltiade: *Non dubitans tam multis consciis ad regis aures consilia sua perventura*. Et in Pelopida: *Magistratuum Thebanorum statim ad aures pervenit*. Cicero pro Marcello: *Sæpe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse*. Apparet hic verbum simplex *venire*. At in Philippica X. verbo composito & ipse utitur, dicitque: *An vero hoc pro nihilo putas, in quo quidem pro amicitia tua jure dolere soleo, efferri hæc foras, & ad Reip. aures pervenire*. In Oratione pro Sylla dicit, *famam ad aures alicujus pervenire*. Ovidius in tertio Metamorphoseon, neglecta præpositione scripsit: *Verba refers aures non pervenientia nostras*. Dicunt etiam, *Accidit ad aures alicujus*. Livius alicubi: *Quod ubi ad aures accidit regis*. Item: *Accedit ad aures alicujus*. Terentius Hec. III. sc. 5. *Haud invito ad aures sermo mihi accessit tuus*. Alteris illis congruit quod dicunt Græci, Θεῶν ἐς ὦτα ἦλθε. Videsis Zenobium Cent. III. Inter phrasin Latinam & Germanicam levis tamen discrepantia est. Ait Cornelius, *Consilia sua ad regis aures perventura*. Quod Germanice non licebit sic efferre, *daſs seine anschläge zu den ohren des Koniges kommen würden*. sed vero, *daß seine anschläge dem Kœnige zu ohren kommen würden*. Sic quod Latine dicitur,

Pervenit

Pervenit aures meas, efferendum Germanice fuerit, *Es iſt mir zu ohren kommen*; non autem, *Es iſt zu meinen ohren gekommen.* Nimirum Germani mei in talibus nomine aut pronomine caſus dativi utuntur: Latini vero nomen perſonæ conſtruunt cum nomine *aures*, & in caſu genitivo ponunt: aut ſi pronomen derivativum ſit, ſic ut alias, eodem caſu cum nomine, id eſt accuſativo.

Porro ut nos dicimus, *die ſache kommt zum vertrag*: ita Latini, *venit res ad pactionem.* Cicero ad Att. epiſt. 12. lib. IX. vel ipſe potius Atticus in epiſtola, ex qua Cicero nonnulla citat: *Ego ſi Pompejus manet in Italia, nec res ad pactionem venit, longius bellum puto fore.* Ad eum modum dicunt etiam, *Res venit ad certamen, res venit ad manus & ad pugnam.* Saluſtius Bello Jugurth. *Sed ubi res ad certamen venit, victus ex prælio profugit in provinciam.* Cicero lib. V. in Verr. *Nonnunquam etiam res ad manus & ad pugnam veniebat.* Ipſos quoque homines *ad manum venire* dicunt, ſi pugnare incipiant. Livius lib. III. *Ubi ad manum veniſſet hoſtis, tum coortos totavi gladiis rem gerere.* Saluſtius B. Jugurth. *Exiſtimans Jugurtham ob hos tutandos in manus venturum.*

Quod nos dicimus *in den rath kommen, zum reich kommen*, eis quoque ſimilia Latinis non deſunt. Saluſtius B. Jugurth. *Quæ genera hominum in Senatum pervenerint.* Plinius Panegyrico: *Ad principatum imperio perveniſti.* Nepos Cimone: *Celeriter ad principatum pervenit.* Juſtinus lib. XLIV. c. 4. *Ad poſtremum ad regnum tot periculorum miſeratione pervenit.* Sed & ipſum regnum, ipſum imperium, ad aliquem venire dicunt. Juſtinus lib. I. *Si ad filiam mortuo rege imperium veniſſet.* Alteris geminum fere eſt quod dicunt *in hunc ſtatum pervenire.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0116
DFG

venire. Cæsar. in epist. ad Opp. *Ut respublica in hunc statum perveniret.*

Sunt adhuc plurimæ aliæ phrases, quæ partem sui verbum *venire* habent, atque idem suspectæ esse possunt. Dicunt nimirum *in suspicionem venire*, *in contemptum venire*, quomodo nos, *in verdacht kommen*, *in verachtung kommen.* Cicero II. de Invent. *Si quam in similem ante suspicionem venerit.* Justinus l. XXXIX. c. 5. *Assiduis præliis consumti in contemptum finitimorum venerunt.* Dicunt etiam, *in odium*, *in invidiam*, *in gratiam*, *in amicitiam*, *in affinitatem venire.* Corn. Nepos Lysandro: *Ut ejus opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint.* Idem Epamin. *Cum criminibus adversariorum omnes in invidiam venissent.* Salustius B. Jugurth. *Tanta commutatio incessit, ut ex maxima invidia in gratiam & favorem nobilitatis Jugurtha veniret.* Rursus Nepos Alcibiade: *Cujus cum in intimam amicitiam perveniisset.* Et in Eumene: *Brevi tempore in intimam pervenit familiaritatem.* Dicunt etiam *in affinitatem alicujus pervenire.* Nepos in Attico: *In affinitatem pervenit Imperatoris divi Julii filii.*

Porro dicunt *in sermonem venire*, quomodo nos *auf die rede kommen.* Cicero epist. V. lib. III. ad fam. *Brundusii cum loquerer cum Phania liberto tuo, veni in eum sermonem, ut dicerem libenter me ad eam partem provinciæ primum venturum, maxime velle arbitrarer.* Hic *venire in sermonem* significat actionem, ipsam de aliqua re locutionem. Quod autem idem Cicero Orat. VI. in Verr. dicit *in sermonem hominum & vituperationem venire*, id notat sermonis objectum atque illum de quo sermo habetur. Sic & supra phrases quædam, quæ ex verbo *esse* constabant, tum actionem, tum objectum actionis & passionem significabant. Exempli gratia

tia *esse in spe* significat & *sperare* & *sperari* : *esse in desiderio* significat & *desiderare* & *desiderari*. Vide supra pag. 51. Ceterum notetur quoque illud quod Terentius Heaut. Act. II. sc. 2. dicit: *Mane, hoc quod cœpi, primum enarrem, O Clitipho. Post istuc veniam.* Hic quoque vox *venire* ad sermonem pertinet. Nostri dicerent, *darnach will ich bald darauf kommen.* Eadem notione Corn. Nepos verbum compositum *pervenire* usurpavit, quod in Epaminonda scripsit: *Hic in respondendo Epaminondas cum de ceteris peroraſſet, postquam ad illa duo opprobria* (quæ Callistratus objecerat) *pervenit, admirari se dixit stultitiam rhetoris Attici, &c.*

Ut nos dicimus *zu ende kommen*, & *es ist aufs euserste gekommen:* ita Latini, *ad finem venire*, & *ad extrema perventum est.* Curtius lib. IV. Darium oratione ad milites dicentem inducit: *Ad extrema perventum est.* Livius lib. IV. *Quibus venientibus ad finem.* Et lib. X. *Quanquam non venit ad finem tam audax inceptum, tamen non omnino vanum fuit.* Rursus alibi: *Cum maxime Capua circumvallaretur, Syracusarum quoque oppugnatio ad finem venit.*

Dicunt porro & sic: *Commodum ex aliqua re venit*, quomodo nos, *Es kömmt nuzzen daraus.* Sallustius B. Jugurth. *Existimabunt majus commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis reip. venturum.* Cicero lib. I. de Invent. *Commoda hinc veniunt.* Et Orat. pro Cluent. *Emolumentum ad eum ex ea re venit.*

Tritæ quoque Latinis phrases sunt *in periculum, in discrimen venire:* quibus itidem nos gemina habemus. Cicero III. in Verr. *Neque adhuc causam ullam cogitare potuit, quamobrem commiserit, aut quid evenerit, ut in tantum periculum veniret.* Item in Q. Cæcilium: *Semper ii diligentissime laboriosissimeque*

meque accusarunt, qui seipsos in discrimen existimationis venire arbitrati sunt. Et quomodo dicitur *periculum est ne*, ita quoque dicitur *venit in periculum, ne.* Cicero pro Mur. *Venit in periculum, ne & ea quæ relicta, & quæ ab ipso parata sunt, amittat.*

Ut nos dicimus *Die zeit kommt, der tag kommt:* ita Latini, *Tempus venit, dies venit.* Livius lib. IIX. *Quando dies ista venit.* Cæsar lib. I. de B. Gall. *Ubi ea dies quam constituerat cum legatis venit.* Græci quoque pari ratione dicunt, ἦλθεν ὁ χρόνος, ἦλθεν ἡ ἡμέρα. Quod autem in novo Testamento legitur πεπλήρωται ὁ χρόνος, id numerandum esse in Hebraismis, & quare, in capite VI. nostri de Hebraismis novi Test. Commentarii docuimus.

Ei quoque quod nos dicimus, *er saget, was ihm ins maul kommt*, Latini fere congruenter dicunt, *Dicet quicquid in buccam venit.* Tantum hoc discrepant Latini, quod dicunt *in buccam* pro *in os.* Cicero in epistolis ad Att. *Tu velim sæpe ad nos scribas. Si rem nullam habebis, quod in buccam venerit, scribito.*

Dicimus nos, *Hüte dich, daß es nicht in fremde hände komme.* Et pari modo Latini, *Cave ne in alienas manus veniat.* Cicero lib. I. ep. 7. ad Att. *Propter hanc dubitationem meam brevior hæc ipsa epistola est, quod cum incertus essem, ubi esses, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alias manus devenire.* Idem lib. III. de Off. etiam simpliciter dicit *in manus venire.* Verba ejus sunt: *Neque enim quicquam de hac re post Panætium explicatum est, quod mihi quidem probaretur, de iis quæ in manus meas venerint.*

Notetur etiam quod dicunt *sub oculos venire*, quomodo nos, *unter augen kommen.* Seneca lib. I. de Benef. c. 5. *Sic non est beneficium id quod sub oculos venit,*

venit, sed beneficii vestigium & nota. Sed notiones tamen phrasium nonnihil discrepare videntur. Passim quoque dicunt *in conspectum venire.* Alia notione Livius lib. XXXII. dicit: *Fumus ex incendiis villarum in oculos atque ora venit.* Plinius ubi exprimere voluit odorem, usus est phrasi *in nasum venire.* Nimirum lib. XV. cap. 28. sic habet: *Multo celerius talia ad nasum veniunt quam pingui.*

Denique notetur quod dicunt *in consuetudinem venire*, quomodo nos *in die gewohnheit kommen.* Cicero lib. II. de invent. *Deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt.*

Porro vero & de verbo *ire* videamus: quoniam hujus quoque usus quidam suspecti sunt, qui non debebant. Per jocum aliquando dixit nonnemo, *mitte vadere sicut vadit*, *quando vult vadere*, *sicut vadit.* Nec sane ego præstare velim, satis Latine illud dictum esse. Quid si vero dicatur, *Eat sicut it*, vel *eant res*, *ut eunt?* An hæc quoque perinde suspecta nobis esse debent? Ego sane non dixerim; quod sciam ipsos scriptores antiquos non raro ad eum modum locutos esse. Dicimus nos, *Es gehe, wie es gehet: es mag gehen*, *wie es gehet:* atque ita nostro vocabulo *gehen* rerum eventum exprimimus. Pari ratione Lucanus in libro secundo Pharsaliæ Catonem inducit ita dicentem:

Sic eat: immites Romana piacula Divi
Plena ferant: nullo fraudemus sanguine bellum.

Viden verbum *ire* eadem notione hic usurpatum esse qua nos nostrum *gehen* usurpamus? Et observandum hic, quod verbum *Eat* absolute & nullo præmisso nominativo apparet. Subaudiri tamen possit vocula *res:* cujus vicem in nostra lingua vocula *Es* præstat, cum dicimus, *Es mag so gehen, Es gehe wie es gehet.* Græci quoque suum ἴτω sic usurpant.

usurpant. Euripides Medea: ἴτω. τί μοι ζῆν κέρδος; *Eat. Quid mihi vivere est lucri? Neque patria mihi, neque domus est, nec locus omnino quo me his ex malis recipiam.* Rursus, cum Chorus dixisset, *Tu vero miserrima eris mulier*, respondet Medea: ἴτω. περισσοὶ πάντες οἱ ἐν μέσῳ λόγοι. *Eat. Superflui sunt omnes sermones qui in medium afferuntur.* Ceterum verbum *ire* ea notione positum plerumque voculam *res*, aut pronomen, sibi præmissum habet. Seneca epistola VII. *Nec miror ista sic ire.* Curtius lib. IIX. *Dii propitii eodem cursu quo fluxere res ire patiantur.* In quibus verbis, rebus ille & cursum, & fluxum, & denique itionem tribuit. Tullius lib. XIV. ep. XV. ad Atticum: *Incipit res melius ire quam putaram.* Item in Lælio: *Quod quidem, ut ire cœpit, haut scio, an aliquando futurum sit.* Virgilius septimo Æneidos: *Sævæ nutu Junonis eunt res.* Quis igitur dubitet amplius, quomodo nos dicimus, *Es mag gehen wie es gehet*, ita Latine dici posse, *Eat sicut it*, vel *Eant res sicut eunt?* Antonius Schorus in libro de ratione discendi linguam Latinam scribit, *barbaros dicere, bene ire, bene stare cum aliquo.* Jam non quidem phrasin totam *bene ire cum aliquo* probam esse ego præstiterim; sed τὸ *bene ire* tamen per se spectatum minime contemnendum esse pertendo. Annon ipse Cicero scripsit, *Incipit res melius ire quam putaram?* Quidni ergo etiam *rem bene ire* sit dicendum? Dicunt etiam *bene procedit*, cum efferendum est quod nos dicimus *Es gehet wohl von statten.* Terentius Adelph. Act. V. sc. 6. *Meditor esse affabilis. Et bene procedit.* Ubi itidem *procedit* positum est absque nominativo. Sed potest tamen vocula *res* subaudiri, ut supra in verbis Lucani. Deinde ipsum quoque hominem bene procedere dicunt. Terenrius Adelph. Act. V. sc. ult. *processisse hodie pulcre.*

Est deinde & alius quidam verbi *ire* usus qui suspectus esse possit; quod videlicet, quomodo nos dicimus, *die zeit gehet weg, die zeit vergehet*, Latini dicunt *tempus it, tempus exit.* Plautus Pseud. Act. I. sc. 3. *It dies: ego mihi cesso: I præ puere.* Ovidius lib. II. Fastorum: *Alter ut it mensis, sic liber alter eat.* Deinde & verba composita hic usurpantur. Terentius Adelph. Act. IV. sc. 3. *Hæc dum dubitas, menses abierunt decem.* Seneca Epist. IIX. *Nullus mihi per otium dies exit.* Livius lib. V. *Tempus induciarum cum Vejenti populo exierat.*

Notanda etiam, ne Germanismus videatur, formula sarcastica *I nunc.* Virgilius lib. VII. Æneidos: *I nunc ingratis offer te irrise periclis.* Petronius: *Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete.* Seneca Medea:

Ite nunc fortes: perarate pontum sorte timenda.

Usurpant quoque voculam *I* solam. Ut Virgilius lib. IX. Æn.

--- --- I, verbis virtutem illude superbis.

Ad verbum *exire* quod attinet, non modo notentur illa quæ jam dicta sunt, *dies exit, tempus exit;* sed & alia quædam. Et primo quidem quod dicunt *sanguinem exire visceribus.* Cicero lib. II. quæst. Tusc. *Spartæ pueri ad aram verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis exeat.* Ad eundem modum nos, *Das blut gehet aus den adern.* Deinde, ut nos dicimus *Es gehet kein unbescheiden wort aus seinem munde:* ita Latini, *Nihil inhumanum, nihil immodestum exit ex ore ejus.* Cornelius Nepos Timoleonte: *Nihil gloriosum exiit ex ore ejus.* Cicero in Vatinium: *Non putas fas esse verbum exire ex ore cujusquam, quod non jucundum & honorificum ad aures tuas accidat.* Græce in Evangelio S. Matthæi, verbum dicitur ἐκπορευόμενον διὰ τοῦ στόματος: idque ubi expri-

exprimendus fuit textus Hebræus. Ipsis Hebræis quoque id solenne est, ut verbum dicant יצוא מפרי *exire ex ore:* adeo quidem ut מיצא פרי *exiens ex ore* periphrasis sit verbi. In Evangelio Matthæi sunt hæc: Ζήσεται ἄνθρωπος ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ τοῦ στόματος Θεοῦ. At in Devteronomio, unde citatio facta, legitur sic: על כל מוצא פי יהוה יחיה האדם *omni eo quod ex ore Jehova, vivet homo.* Non apparet hic vox דבר, quæ significat *verbum*, cuique vox Græca ῥῆμα respondet; sed apparet sola verbi periphrasis, מוצא פרי *exiens ex ore.* Alibi tamen legitur, יצא מפי צדקה דבל *exit ex ore verbum:* atque ita vox דבר diserte additur. Sed de hujus loci versione si Deus dederit, pluribus agamus alibi. In c. XV. Matthæi periphrasis itidem, verborum ac sermonum, & pravorum quidam est, τὰ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ στόματος.

Abire quoque huc quodammodo pertinet. Ut enim nos dicimus *Es kan nicht so hingehen:* ita Latini, *Non possunt hæc sic abire.* Cicero lib. XIV. ep. 1. ad Att. *Ad summam non possunt isthæc sic abire.* Item orat. I. in Catil. *Non hoc tibi sic abibit*, id est, non feres hoc impune. Terentius Andr. Act. I. sc. 2. *Mirabar, hoc si sic abiret.* Nostri: *Es müßte wunder seyn, wo dieses so solte hingehen.* Catullus quoque Carm. XIV. *Non, non hoc tibi, false, sic abibit.*

De verbo *currere* notetur, quod, quomodo nos dicimus, *Das wasser laufft ins meer*, *Der fluß laufft ins meer*, ita Latini dicant, *Fluvii currunt in mare.* Virgilius lib. I. Æneidos: *In freta dum fluvii current.* Deinde verbi compositi *excurrere* usus notetur ille, quod dicunt *fontem excurrere ex monte*, quomodo nos, *Es laufft wasser aus dem berge.* Curtius initio lib. III. *Fons Marsyæ amnis ex summo montis cacumine excurrens in subjectam petram magno strepitu aquarum cadit.*

Porro & verbum *ſtare* uſus quosdam habet qui ſuſpecti eſſe poſſunt. Ut nos dicimus *feſt auf ſeiner meinung ſtehen*, ita Latini *ſtare in ſententia*. Livius lib. IV. *Cui actioni ſemper acerrime C. Sempronius reſtiterat, ratus, id quod erat, aut depoſita cauſa leviorem futurum apud patres rerum, aut perſeverante ſub judice tempus plebem offenſurum adverſa, invidiæ objici maluit, & ſuæ nocere cauſæ, quam publicæ deeſſe: ſtetitque in eadem ſententia, ne qua largitio ceſſura in trium gratiam tribunorum fieret, nec tum agrum plebi ſed ſibi invidiam quæri: ſe quoque ſubiturum eam tempeſtatem forti animo.* Cicero quoque dicit *ſtare in eo quod oſtenderis*. Libro II. ep. 4. ad Att. *Si in eo quod oſtenderat non ſtat, mihi maxime placet ea quæ male emta ſunt reddi, ſi voluntate Pomponiæ fieri poterit. Si ne id quidem, nummi potius reddantur, quam ullus ſit ſcrupulus.*

Quomodo nos dicimus *Es ſtehet nicht bey mir:* ita Latini non quidem dicunt *Non ſtat apud me;* ſed tamen dicunt *Non ſtat per me.* Svetonius Octav. c. 29. *Quaſi per ipſum ſtaret.* Plinius lib. VI. ep. 34. *Tu tamen meruiſti ut acceptum tibi fieret, quod quo minus exhiberes, non per te ſtetit.* Terentius Andr. Act. IV. ſc. 2. *Si poterit fieri, ut ne pater per me ſtetiſſe credat, quo minus hæ fierent nuptiæ; volo. Sed ſi id non poterit, id faciam, in proclivi quod eſt, per me ſtetiſſe ut credat.*

Sedere quoque multis minus probum videbitur, ſi de veſte uſurpetur, dicaturque *veſtem bene ſedere*, quomodo nos *das kleid ſitzet wohl.* Verum ſic quoque ipſos veteres locutos eſſe apparet ex cap. ultimo libri ſecundi Fabii Quintiliani, ubi quippe ſcriptum hoc eſt: *Pars togæ quæ poſtea imponitur, ſit inferior. nam ita & ſedet melius & continetur.* Atque ea de re Henricus quoque Stephanus monendos

dos putavit Gallos suos; ne videlicet phrasin istam suspectam habeant, neve formatam putent secundum Gallicam *Ceste robbe vous sied bien.*

Pertinet huc quoque verbum *jacere.* Et sciendum, si Latine dicatur, *Urbs ista jacet in Italia*, quomodo nos, *Die stadt liegt in Italia*, satis Latine dici illud, & nequaquam debere suspectum esse. Plinius lib. IV. Hist. nat. cap. 16. *Britannia inter septentrionem & occidentem jacet.* Brutus in epistola quæ est XIII. lib. XI. Ciceronis: *Quem locum volo tibi esse notum. Jacet inter Apenninum & Alpes.* Nepos in Eumene: *Asiæ pars quæ inter Taurum jacet.* Ovidius lib. IV. eleg. 6. *Innumeri montes inter me teque jacent.* Justinus lib. XXII. c. 5. *Urbes castellaque Africæ non muris cinctæ, non in montibus positæ sunt, sed in planis campis, sine ullis munimentis jacent.* Ipsæ quoque gentes jacere alicubi dicuntur. Cornelius Nepos Datame: *Aspis Cataoniam tenebat: quæ gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociæ.* Nec aliter verbo composito *adjacere* utitur idem ille. nam in Timotheo scribit: *Omnes eas gentes quæ mare illud adjacent.*

Verbi *cadere* usus suspectus esse possit, si dicatur *cadere in morbum*, quomodo nos *in eine kranckheit fallen.* Verum loquitur ita ipse Cicero. Verba ejus in lib. I. Tusc. quæst. sunt: *Alteram affert rationem* (Panætius) *nihil esse quod doleat, quin id ægrum esse quoque possit: quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum.* Sæpe etiam verbo composito dicunt *incidere in morbum.* Dicunt quoque, *cadit animus*, quomodo nos, *Der muth fält ihm.* Cicero Læl. *Nec debilitari animos aut cadere patitur.* Dicunt etiam *autoritas cadit, ira cadit, spes cadit, fides cadit.* De verbo composito *incidere* adhuc notetur, quod dicunt, *Aliud ex alio incidit*, quomodo nos, *Es fält*

mir eines nach dem andern ein. Terentius Heaut. Act. III. sc. 3. *Dicam, verum ut aliud ex alio incidit.* Dicunt etiam *Bellum incidit*, quomodo nos. *Es fält krieg ein.* Corn. Nepos Attico: *Incidit Cæsarianum civile bellum.*

CAPUT XIV.

De verborum ponere *&* ducere *usibus falso suspectis.*

VErbi *ponere* quoque usus quidam suspecti esse posse videntur. Quare de his quoque monendum fuerit. Et primo quidem, quod tum quoque nostro *sezzen* respondeat, cum dicimus, *Wer hat dich zum richter gesezt?* dicaturque itidem latine. *Quis te nobis posuit judicem?* Salustius B. Jugurth. *Me quem vos Imperatorem Numidis posuistis, clausum tenet atque obsidet.* Sic & Cœlius in ep. ad Ciceronem dicit, *Accusatorem ponere.* Et Hirtius lib. V. B. Afr. *Custodias*, id est, custodes, *portis ponere.* Nec aliter Tibullus lib. I. el. 2. *Custodia posita est nostræ puellæ.* Cicero in Orat. pro Flacco: *Positus custos in frumento publico.* Et in IV. qq. Acad. *Principem aliquem ponere.* Cæsar lib. III. de B. Civ. *ad eas munitiones Cæsar Lentulum Marcellinum Quæstorem cum legione X. positum habebat.* Valerius Maximus dicit, *ad excubias tenendas aliquem ponere.* Verba ejus lib. I. cap. 1. sunt: *Cum ludos Circenses ædilis faceret, in Jovis opt. max. templo eximia facie Puerum histrionem ad excubias tenendas posuisset.* Hic & phrasis *excubias tenere* apparet: quæ & ipsa suspecta esse possit; ideoque monitum de ea est supra in pag. 64. Curtius plane dicit, *positus super armamentarium*, quomodo nos, *über das Zeughaus gesezt.* Verba hujus sunt: *Cebalinus nobili juveni, Metron erat ei nomen,*

nomen, super armamentarium posito, quod scelus pararetur, indicat. Estque hoc geminum plane ei quod Hebræi dicunt שים עליו מלך *ponere super se regem.* Exemplum Deut. XVII, 15. תשים עליך מלך *pones super te regem, quem Jehova elegerit.* Vocula על *super* illi frequenter utuntur, cum præfectura quædam est significanda; etiam cum verbum שים aut השים non addunt. Nam præfectos urbi vocant אשר על העיר *qui sunt super urbem;* & qui præfecti sunt domui vocant אשר על הבית *qui sunt super domum.* Græci quoque vocula sua ὑπὲρ eadem notione utuntur. Exempli gratia ἱερεῖς οἱ ὑπὲρ Μέμφιν Artapano apud Eusebium lib. IX. Demonstr. Evang. cap. 27. dicuntur sacerdotes qui præfecti sunt Memphi. Et Concilium Constantinopolitanum primum Canone secundo, τὰς ὑπὲρ διοικησιν ἐπισκόπους vocat qui diœceси alicui præsunt; quadere in de Sedibus episcopalibus primariis Ecclesiæ veteris dissertatione, sect. LXIII. monuimus. Ex Latinis huc adhuc pertinet quod in veteri inscriptione apud Gruterum p. 581. est, *ALCIMIANO SUPERPOSITO MEDICORUM. Ubi superpositus medicorum* dictum pro *positus super medicos:* quali forma loquendi utebatur supra Curtius. Sed vocem *positus* quoque omittunt, dicuntque simpliciter *super pædagogos puerorum* pro his qui prædagogis puerorum sunt præfecti. Ita Ælius Spartianus in Hadriano. Et pari modo in antiquis Inscriptionibus *supra coquos, supra velarios, super cubicularios* dicuntur, qui coquis, velariis & cubicularis sunt præfecti. Sed & vocabulis compositis dicunt *superjumentarius*, pro *super jumenta*, i. e. præfectus jumentis; *superstationarius* pro *super stationarios*, i. e. præfectus stationariis. Primum illorum Svetonius in Claudio: alterum Optatus Milevitanus usurpavit. Vide quoque monentes de his

Claud. Salmasium in commentario ad Spartiani Hadrianum, pag. 4. & Gerh. Joh. Vossium in libro de vitiis sermonis latini, pag. 617.

Porro quod nos dicimus *einen grund legen*, id Latini non tantum dicunt *fundamenta jacere*, sed & *fundamenta ponere*. Cicero Orat. in Pisonem: *His fundamentis positis consulatus tui, triduo post inspectante & tacente te, a P. Clodio fatali portento prodigioque reip. lex Ælia & Fusia eversa est.* Et lib. II. de Fin. b. & m. dicit *ponere fundamenta alicujus rei in voluptate.* Virgilius quoque lib. IV. Georg. *Prima favis ponunt fundamenta.*

Ut nos dicimus *seine hofnung auf einen setzen:* ita Latini *spem in aliquo ponere, fiduciam in aliquo ponere* aut *reponere*. Cicero lib. X. ep. 26. *Quod de Planci & Bruti concordia scribis, in eo vel maximam spem pono victoriæ.* Nepos in Eumene: *Cujus in pernicie spem habuissent positam victoriæ.* Sed hic *habere spem positam in aliqua re* dicitur pro *spem ponere in aliqua re:* qua de forma loquendi supra in capite VII. egimus. Plautus in Captivis *spem ponere* dicit non addito *in aliquo. Neque spem ponas*, inquit, *me bonæ frugi fore.* Dicunt etiam *spem in aliquo habere.* Nepos Alcib. *Non solum spem in eo habeant maximam, sed etiam timorem.* Alibi dixit, *spes mihi constitit in aliquo.* Ut Datame: *Spes omnis constistebat Datami in se locique natura.* Phrasin *fiduciam reponere in aliquo* usurpat Vellejus Paterculus in lib. II. *Maximam fiduciam victoriæ*, inquit, *in numero reponebant.*

Quod latini dicunt *pignori ponere*, quomodo nos, *zu pfande setzen*, id quoque observandum hic fuerit. Plautus Captivis: *Et meam esse fidem hic pro te positam pignori.* Alibi dicit, *pignori se opponere.* Ut Pseud. Act. I. sc. 1. *Vix hercle opinor, si me opponam pignori.*

Ut

Ut nos dicimus *ziel und maſſe ſezzen:* ita Latini *metas ponere, modum ponere.* Virgilius lib. I. Æneidos: *His ego nec metas rerum, nec tempora pono.* Et lib. VII. dicit *modum exitiis ponere.* Tacitus quoque in lib. IV. Ann. *modum oratione ponere.*

Quod nos dicimus, *Geſezt, daß es ſo ſey,* ad id quoque efferendum Latini verbo ſuo *ponere* utuntur. Terentius Phorm. Act. IV. ſc. 3. *Verum pone eſſe victum eum, at tandem tamen non capitis ejus res agitur, ſed pecuniæ.*

Verbum *ponere* non tantum noſtro *ſezzen,* ſed & noſtro *legen* reſpondet: & in ipſa quoque illa convenientia quibusdam ſuſpectum eſſe poſſit. Notetur igitur, quod Latini dicunt *ova ponere,* ut nos *eyer legen.* Columella lib IIX. c. 2. *Et cum pauca ova poſuerunt, inertes ad incubandum, multoque magis ad excludendum, raro fœtus ſuos educant.* Idem quod dicunt *præſidium in aliquo loco ponere,* ut nos *beſatzung in eine ſtadt legen:* quam quidem phraſin Cæſar in lib. II. de B. Gall. habet. Sed & ſæpe alias idem verbum de præſidiis cuſtodiisque idem Cæſar uſurpat. Ut in lib. III. de B. Civ. dicit, *legionem tuendæ oræ maritimæ ponere:* itemque *navem ad cuſtodiam ponere,* & *aliquem cum legione ad munitiones ponere.*

Ut nos dicimus *Der wind leget ſich, der wind hat ſich gelegt:* ita Latini, *Ventus ponit, poſuit.* Virgilius lib. VII. Æn. *Ut venti poſuere, omnisque repente reſedit Flatus.* Statius lib. II. Sylv. *Tum rabidi ponunt flatus, maria ipſa vetantur Obſtrepere.* Tantum hoc intereſt, quod in Latinis accuſativus pronominis *ſe* non eſt adjectus. Sed videtur tamen idem ſubaudiendus eſſe. Sane quod Virgilius ſcripſit *Genibusque volutans hærebat,* de eo Chariſius in lib. III. Inſtitut. Gram. ita: *Si activa ſignificatione acciperetur, deeſſet ſe, ut diceret Volutans ſe.* Et addit: *Præ-*

cipitans traxit omnia, deest se, ut sit præcipitans se. Estque hoc adeo frequens, ut in oratione prosa quoque passim sic loquantur. Cicero: *Sol jam præcipitans, Resp. præcipitans*, multaque id genus alia; quæ Antonius Schorus in libro de phrasibus Latinæ linguæ congessit. Cæsar lib. I. de B. civ. *Multi jam menses præterierant, & hiems jam præcipitaverat.* Sic & *Accingunt omnes operi*, pro *Accingunt se omnes operi*, dicit Virgilius lib. II. Æneidos. Et Plautus Truc. Act. II. sc. 5. *Ut miseræ matres solicitæque ex animo sunt, cruciantque* pro *cruciantque se.* Item Justinus lib. VII. *Quocunque moveret agmen* pro *moveret se agmen.* Plurima id genus alia congessit Dan. Vechnerus in cap. VI. libri I. Hellenolexiæ. Sed vult ille in talibus activum positum esse pro passivo. Et possunt sane ipsa quoque verba passiva in talibus usurpari: ut exempli causa dicatur *Quocunque moveretur agmen* pro *Quocunque moveret agmen.* Imo ipsa verba passiva ab auctoribus etiam usurpata reperiuntur. Virgilius lib. II. Æneidos habet sic:

Addunt se sontos Ripheus & maximus annis
Iphitus, & lateri agglomerant nostro. ---

Verum idem ille, ut jam supra pag. 72. monuimus, in lib. Æneidos habet & sic:

------ Quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades. ---

Etsi vero ipsa quoque verba passiva in talibus usurpantur, rectius tamen dici videtur, quod, si verba activa prædicto modo usurpentur, subaudiendum ad eadem sit pronomen reciprocum *se:* quod & Charisius volebat. Non dicerent Latini *Vix teneor quin hoc faciam:* nisi etiam dicerent *Vix me teneo quin hoc faciam:* & quoniam *Vix me teneo* dicunt, dicunt deinde etiam *Vix teneor.* Cujus locutionis

exemplum

exemplum supra in pag. 71. ex Plauto protulimus; idque sic habet: *Vix teneor quin quæ decent te dicam.* Quid quod activa ista quæ pro passivis poni dicuntur, fere non nisi tunc usurpantur, cum denotantur actio non in alium transiens, sed, ut philosophi loquuntur, immanens, & ubi pronomen reciprocum commode subaudiri potest? Ut quod Virgilius dicit, *Lateri agglomerant nostro:* Et Cicero, *Nilus præcipitat ex altissimis montibus:* & Justinus, *Quocunque agmen moveret*, & Plautus, *Sollicitæ ex animo sunt, cruciantque:* item, *Quid illud est, quod illi frons caperat severitudine.* Quorum postremum Epid. Act. V. sc. 1. reperias. Cum frons caperatur, non alius est qui eam caperet; sed caperat illa seipsam. Sic & cum Nilus præcipitat; non alius est qui eum præcipitet; sed præcipitat is seipsum. Et cum agmen movet, non alius est qui illud moveat; sed movet seipsum.

Veniamus nunc ad verbum *ducere*, & hujus quoque unum atque alterum usum videamus. Dicunt Latini, ut notum est, *bellum cum aliquo gerere*. Sed reperitur etiam *bellum cum aliquo ducere:* ut verbum *ducere* nostro *führen* non modo alias, sed & hic respondeat. Virgilius lib. IIX. Æneidos:

Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina.
Hos castris adhibe socios & fœdera junge.

Loquitur Tiberius de Arcadibus, dicitque eos assidue bellum ducere cum gente Latina, atque adeo hortatur Æneam, ut societatem cum illis faciat. Ceterum manifeste ibi *bellum ducere* scriptum est pro eo quod vulgo dicitur *bellum gerere.* In Commentariis Servii ad istum versiculum legitur: *Ducunt, aut gerunt, aut in longum trahunt.* Verum non est dubium, quin interpretatio prior tantum sit vera; quod videlicet *ducunt* idem hic sit quod *gerunt*; non

non vero idem quod *in longum trahunt*. Apparet id ex addito adverbio *assidue*. Deinde & ex eo quod scriptum est *ducunt cum gente*. Neque enim concinnum satis erit *bellum ducere assidue*, si *ducere* idem sit quod *in longum trahere*: neque *bellum ducere cum gente aliqua* satis commode dicitur. Si id vellet poëta, Arcadas bellum trahere in longum: inepte addita esset vox *assidue*. Quid enim esset, *bellum assidue in longum trahere?* Æque manifesta ista verbi *ducere* significatio est in libro XV. Justini cap. 2. ubi verba quædam sic habent: *Sed Ptolemæus & Cassander, ceterique factionis alterius duces, cum carpi se singulos ab Antigono viderent, dum privatum singulorum, non commune universorum bellum ducunt, per epistolas se invicem confirmantes, tempus, locum coëundi condicunt, bellumque communibus viribus instruunt.* Hic quis dubitet *bellum ducere* idem est quod *bellum gerere?* Sed & Corn. Nepos eadem notione usus videri possit, quod in vita Datamis, cap. IIX. scripsit: *Autophradates bellum duci majore regis calamitate quam adversariorum videret, ad pacem amicitiamque hortatus est, ut cum rege in gratiam rediret.* De eodem verbi *ducere* usu Henricus quoq; Stephanus monendos putavit Gallos suos. Dicunt Galli *mener la guerre*: atque ita verbo utuntur, quod nostro *führen* tum alias, tum quoque cum dicimus *krieg führen*, respondet. Ortum autem illud est ex latino vocabulo sequioris ævi *minare*, quod idem quod *ducere*, *ante se agere*, significat. Interpres latinus I. Sam. III. 20. *Minavit ante faciem suam armenta.* Idem ep. Jacobi III. 4. *Naves a ventis minentur.* Interpres Juvenalis ad Satyram hujus sextam: *Hanc Io in tantum persecuta est Juno, ut per omnem mundum eam minaret.* In schedis Festi legitur: *Agasones, equos agentes, id est minantes.* Item: *Agere, ante se pellere, id est minare.* Sed istam verbi *agere* interpretatio-

pretationem per verbum *minare* factam, Viri docti non ipsius Festi, sed, qui libros hujus in epitomen redegit, Pauli Diaconi esse recte suspicati sunt. Sed Paulo Diacono tamen vocabulum multo antiquius est: ut vel ex eo apparet, quod vetus interpres sacrarum literarum subinde usus eo est. Joh. Drusius in Præteritis ad prædictum locum Jacobi, citat etiam ex Apulejo: imo ipsum Germanicum verbo illo usum putat, quod is scripsit in Phænomenis Arateis, *baculoque minatur*. Verum de Germanico non liquet: & potest vocabulum apud hunc aliud significare. Ceterum ex vocabulo illo sequioris ævi Itali suum *menare*, & Galli suum *mener* habent. Et quoniam Galli, cum efferendum est τὸ *bellum gerere*, suo *mener* utuntur dicuntque *mener la guerre*: ipsa phrasis latina *ducere bellum* Gallis quoque suspecta esse potest. Non temere enim illi credent, latinum *ducere*, ut alias, ita & hic ipsorum *mener* respondere. Transscribam huc nonnulla magni literarum amatoris Henrici Stephani verba, quæ is in Expostulatione de Latinitate falso suspecta, & hujus quidem capite tertio, scripsit: *Quamvis barbarici suspecta potius esse soleant ea loquendi genera in quibus verbum nostrum Latino non significatione tantum, sed etiam voce respondet, ac potissimum ea in suspicionem illam veniant, in quibus tam nostrum verbum quam nomen cum Latinis voce non minus quam significatione conveniunt: esse tamen nonnulla sciendum est in quibus quum neque verbum nostrum neque nomen eadem cum Latinis sint quod ad vocem attinet, suspecta nihilominus esse multis possint, & quidem iis etiam qui sunt alioqui in Latino sermone exercitatissimi, quod videlicet rarissime occurrant, & sint si non* τῶν ἅπαξ λεγομένων, at certe τῶν ἅπαξ εὑρισκομένων, *in eorum quidem certe quos habemus scriptorum quopiam. Insigne exemplum ejus quod dico apud Virgilium extat, ubi dicit* ducere bellum,

eodem

eodem plane modo quo sermo noster mener la guerre. *Nam* mener *respondere Latino illi* ducere *satis notum est. At quotusquisque interrogatus, quomodo possit Latine reddi quod dicimus* mener la guerre, *non quærat potius quodvis aliud verbum quod nomini bellum jungat quam istud* ducere. *Ecce tamen apud illum quem dixi Poëtam, Latinorum Poëtarum facile principem: & quidem sic adhibitum, ut nulla de hac significatione controversia oriri possit. Æneid. 8.* Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina. Paucis interjectis pergit: *Velim autem cautos hoc etiam exemplo multos reddere, ne temere hoc vel illud in Latinitate non reperiri pronuncient.* Addam etiam quæ de origine phraseos *ducere bellum* eodem loco scripsit idem Stephanus: *Sed unde hunc tam rarum, & quidem alioqui inauditum nobis verbi hujus usum petivit Virgilius? Ex imitatione Græci sermonis, ut opinor. Sicut enim ἀρχὴν ἄγειν, sic etiam πόλεμον ἄγειν dixerunt, licet hoc multo rarius quam illud. Est autem ἄγειν idem quod* ducere. *Adeo ut quod dicit Naso* Agere bellum *potius cum eo quod alii dicunt* Facere bellum, *quam cum illo ἄγειν πόλεμον conveniat.* Quod autem unum Virgilium phrasi *ducere bellum* ea qua dixi notione usum scribit Stephanus, non observasse videtur locum Justini, quem ostendimus: qui locus fortasse ipsius Trogi Pompeji, Justino multo antiquioris, esse recte putabitur. Quippe ex monumentis Trogi Pompeji pleraque sua Justinum deprompsisse per est verosimile. Ceterum quod phrasis *belcum ducere* etiam aliud quam quod diximus, significet, videlicet *bellum in longum trahere*, id minime ignoramus.

Quod nos dicimus *ein ehrbar leben führen*, id Latini dicunt *vitam honestam agere.* Sed annon dicunt etiam, *vitam honestam ducere?* Sane ad hunc modum locutus est Augustinus, qui cum voluit,

puritate

puritate & elegantia latini sermonis ipsos antiquiores æquiparare potuit. Libro V. contra Julianum cap. 2. ita scripsit: *Ex numero electorum & prædestinatorum etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cujus patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti, ut ostendatur & ipsis & aliis coheredibus eorum, de quam profundo malo possit Dei gratia liberare.* Item lib. II. de Civ. Dei, c. 12. *Hodie non imprudenter beatos vocamus, quos videmus juste ac pie cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine vastante conscientiam, facile impetrantes de peccato hujus infirmitatis divinam misericordiam.* Et lib. de persev. *Utrum quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est.* Item epist. LXXXIX. ad Hilarium: *Quisquis velut hac occasione comperta, cum audierit neminem hic arbitrio suo sine peccato vivere, dederit se libidinibus, & criminibus nefariis obligaverit, atque usque in diem suum ultimum perduraverit, quaslibet inter hæc eleemosynas faciat, & infeliciter ducit vitam, & infeliciter finit.* Gregorius M. quoque Dialog. lib. III. cap. 19. *Nuper quoque in parte Campaniæ vir valde venerabilis Marcus nomine, in monte Marsico solitariam vitam duxit, multisque annis in specu angustissimo inclusus fuit.* Sed annon & antiquiores ita locuti sunt? Virgilius sane lib. IV. Æneidos dixit:

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis. --- --- ---

Et lib. II. Æneidos:

Me si cœlicolæ voluissent ducere vitam
Has mihi servassent sedes. --- ---

Et sane hic *ducere vitam* pro *agere vitam, vivere.* Sed nondum apparent nomina adjectiva, aut pronomina, aut adverbia addita. Augustinus dicebat *pessimam*

pessimam vitam ducere: & *infeliciter vitam ducere:* Nondum quidem apparuerunt talia: sed dicebat tamen Virgilius *vitam ducere suis auspiciis.* Cujus ῥήσεως postrema vim fere habent adverbii. Deinde nomen adjectivum adjecit Lucretius, quod scripsit *vitam dulcem ducere.* Verba ejus libro II. sunt: *Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant.* Sine adjectivo dicit lib. III.

Nec prorsum vitam ducendo demimus hilum
Tempore de mortis, nec delibare videmus.

Et ipse Cicero in oratione prosa, quam pro lege Manilia habuit; *Atque eos portus quibus vitam & spiritum ducitis.*

De verbo *ducere* adhuc illud notetur, quod dicunt *parietem ducere*, quomodo nos *eine wand, eine maure führen.* Cicero pro Milone: *ducere parietem per vestibulum alicujus.*

CAPUT XV.

Adhuc de usibus verborum falso suspectis.

DE verbis *juvare* & *adjuvare* notetur, quod sæpe idem sint quod prodesse. Dicimus nos, *Was hilfft es? Was hat es geholffen* pro *was nützet es? Was hat es genützet?* Et pari modo Latini, *Quid juvat? Quid juvit?* pro *Quid prodest? Quid profuit?* Notum illud Poëtæ: *Quid juvat amisso claudere septa grege?* Cicero lib. II. ep. 15. ad Att. *Solitudo aliquid adjuvat: sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses.* Et in Oratore: *Palæstra multum adjuvat histrionem.* Plautus Capt. Act. II. sc. 5. *Adjuvat non multum heredem qui sic sunt*, i. e. non multum prosunt, non magnam hereditatem relinquunt. Porro ut nos dicimus, *Es hilfft dazu:* ita Latini, *Adjuvat ad illud.* Cæsar lib. IV. de B. Gall. *Quam ad rem multum adjuvat.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0136
DFG

juvat. Cicero II. de Off. *Sed tamen si cui hæc suppetunt, adjuvant aliquantum ad cetera.* Et in Orat. pro Quintio: *Non ad mendacium obtinendum, sed ad verum probandum auctoritas adjuvat.* Item in Orat. pro Arch. *Literæ adjuvant ad percipiendam colendamque virtutem.*

Verbi *sumere* quoque usus aliquot notentur; ne quando suspicio super iis oriatur quæ non debet. Ut quod dicunt *Sumere tempus ad rem aliquam.* Cicero I. de leg. *Sume tibi ad hanc rem tempus.* Alibi, *spatium sumamus ad cogitandum.* Cæsar lib. I. de B. Gall. *Diem se ad deliberandum sumpturum.* Nostri, *Er wolte einen tag bedenkzeit nehmen.* Deinde quod dicunt *exemplum ex aliis sumere,* quomodo nos, *ein exempel von andern nehmen.* Terentius Adelph. Act. III. sc. 4. *Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.* Cicero de Orat. *Si exempla sequimur, a Demosthene sumamus.* Terentius dicit etiam; *exemplum capere de aliquo.* Andriæ Act. IV. sc. 1. *Quid istuc tam mirum est? exemplum de te capit.* Porro notetur quod dicunt, *sumere aliquem judicem, sumere aliquem imperatorem.* Nepos Militade: *Pythia præcipit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent.* Alteram phrasin habet Cicero in epp. ad Atticum. Denique notetur phrasis *sumere in manus.* Cicero II. Tusc. *Epicurum & Metrodorum non fere præter suos quisquam in manus sumit.* Respondet nimirum planissime phrasis Latina nostræ Germanicæ *in die hand nehmen;* ut ipsam quoque lectionem simul notet. Sed non illud tantum quod loco movetur, sed & illud quod in loco suo manet, *in manus sumi* dicunt, si illud manu apprehendatur. Justinus lib. XXIV. c. II. *Ptolemæus sumptis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra, & pulvinaria deorum, inauditis ultimisque execrationibus adjurat.*

De Verbo compoſito *aſſumere* quoque monendum hic nonnihil videtur. Ut quod dicunt *aſſumere aliquem ſocium, & aſſumere aliquem in ſocietatem.* Saluſtius B. Jugurth. *Socius & adminiſter omnium conſiliorum aſſumitur Scaurus.* Juſtinus lib. XLI. cap. 5. *Ad poſtremum in ſocietatem ejus aſſumptus eſt.* Plinius dicit etiam, *in conſilium aſſumere:* pro eo quod alias dicunt *in conſilium adhibere.* Verba ejus in Panegyrico ſunt: *Nec judicium hominum, ſed Deorum etiam in conſilium aſſumpſit.* Tacitus lib. XII. Annal. dixit *uxorem rurſus aſſumere*, quomodo nos *ein Weib wieder annehmen. Calliſtius*, inquit, *improbatam longo diſſidio, ac ſi rurſus aſſumeretur, eo ipſo ſuperbam: longeque rectius Lolliam induci.* Alibi Tacitus idem vocat *uxorem revocare:* & alii, *uxorem reducere* & *in matrimonium reducere.*

Verbi *poſcere* quoque uſus aliquot notentur. Dicimus nos; *Die Sache erfodert es, Dis erfodert einen fleiſſigen menſchen:* atque ita compoſito verbo *erfodern* utimur pro ſimplici *fodern.* Licetne autem ad efferenda talia Latine verbis *poſcere* & *poſtulare* uti? Quod nos dicimus *fodern*, id Latini dicunt *poſcere* & *poſtulare.* Sed dubitari tamen poſſit, an hic quoque non quidem ſimplici *fodern*, ſed compoſito *erfodern*, vocabula latina reſpondeant. Monendum igitur, quod nos dicimus *die Sache erfodert einen fleiſſigen menſchen*, id latine efferri poſſe ſic, *Res poſcit diligentem hominem.* Ad hunc modum enim Plinius lib. VI. ep. 30. *Ruſticorum prædiorum adminiſtratio poſcit durum aliquem & agreſtem, cui nec labor ille gravis* &c. Deinde dicunt etiam, *Res poſcit, res poſtulat, res exigit, tempus poſcit, tempus monet.* Trajanus apud Plinium lib. X. ep. 33. *Multum intereſt, res poſcat, an homines imperare latius velint.* Saluſtius Bello Jugurth. *Cetera, uti res poſceret, ex tempore*

pore parari placuit. Item: *Ceterum, ubi res postularet, seipsum cum magna venturum manu.* Rursus: *Res postulare videtur.* Plinius lib. VI. ep. 30. *Ego videor habere multos amicos, sed hujus generis, cujus tu quæris, & res exigit, prope neminem.* Nepos Alcibiade: *Idem cum tempus posceret, laboriosus.* Salustius B. Jugurth. *De Carthagine silere melius puto quam parum dicere: quoniam alio properare tempus monet.*

De verbo *amittere* notetur, quod dicant *causam amittere, litem amittere*, quomodo nos *die sache verliehren.* Cicero lib. II. de Orat. *Quarum rerum negligentia pleras que causas, maxime privatas, videmus amitti.* Item pro Quintio: *Totam litem aut retinere aut amittere.* Dicunt etiam, *vitam amittere, lumina amittere*, ut nos *das leben verliehren, das gesicht verliehren.* Nepos Epamin. *Cum animadverteret, si ferrum extraxisset, animam statim amissurum.* Cicero pro Rosc. *Per summum dedecus vitam amittere.* Item lib. V. Tusc. Q. *Democritus luminibus amissis, alba scilicet & atra discernere non poterat.* Et lib. I. *Quod iis sæpe usu venit qui acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut adspectum omnino amitterent.*

Verbum *afferre* quoque suspectum esse possit, si dicatur *afferre utilitatem, afferre favorem, afferre gaudium.* Dicimus nos, *Dieses bringet grossen nutzen.* Quod an efferre Latine sic liceat, *Hæc res affert magnam utilitatem*, multi dubitent. Quare hujus quoque & similium exempla proferamus. Cicero lib. I. de Off. *In quo minorem utilitatem afferunt qui togati reip. præsunt, quam qui bella gerunt.* Et lib. III. *Sin autem is tu sis qui multam utilitatem reip. afferre possis.* Porro *afferre favorem, afferre gaudium* passim quoque obvia sunt. Justinus lib. XXVII. c. 1. *Tantum vel illi odium parricidiale scelus, vel huic favorem indigne peremtæ mors sororis attulerat.* Plinius lib. X. ep. 2.

Quantum mihi gaudium attuleris. Deinde de rebus malis ac moleſtis dicunt *afferre cladem*, *afferre calamitatem*, quomodo nos *ſchaden bringen.* Cicero II. de nat. D. *Qui riſus claſſe devicta multas ipſi Claudio lacrymas, magnam populo Rom. cladem attulit.* Alibi: *Ne cui innocenti mœror tuus calamitatem & falſum crimen afferret.* Rurſus pro S. R. *Cui non modo luctum mors patris attulit, ſed & egeſtatem.* Plancus ad Cic. in lib. X. epp. Cic. *Ea res magnam affert ſolicitudinem.* Juſtinus loco modo citato: *Tantum illi odium parricidiale ſcelus attulerat.* In talibus *afferre* idem eſt quod *conciliare*, *efficere:* & patet hic vocabuli uſus ſane quam latiſſime. Dicunt enim, *ſocietatem afferre, pondus afferre, curas & moleſtias afferre, delectationem afferre, auctoritatem, dignitatem afferre*, & infinita id genus alia.

Sed & cognatæ ſignificationis verbum *apportare* in talibus uſurpant, dicuntque *damnum apportare*, pro *damnum afferre.* Terentius Heaut. *Quantum damni apportet.* Et in Andria idem Terentius dicit *apportare malum.* Lucretius vero in lib. V. dicit: *Anni tempora morbos apportant.* Et Cicero in lib. de Senect. *Apportare vitia dicitur ſenectus.* Atque ea de re Henricus quoque Stephanus monendos putavit Gallos ſuos; ne videlicet in ſuſpicionem illis veniat, formata eſſe talia ad imitationem Gallicæ phraſeos *apporter dommage.*

Videamus & de verbo *efferre.* Et monendum quidem quod iſto verbo utantur etiam cum de rumoribus agunt. Cornelius Nepos Dione: *Res multis conſciis quæ gereretur elata.* Cæſar lib. I. de B. Gall. *In vulgus militum elatum eſt, qua arrogantia Arioviſtus uſus.* Addunt quoque adverbium *foras*, dicuntque *foras efferre.* Terentius Phorm. Act. V. ſc. 7. *Vides tuum peccatum eſſe elatum foras.* Cicero Philipp. X. *An vero hoc pro nihilo putas, in quo quidem*

dem pro amicitia tua jure dolere soleo, efferri hæc foras, & ad reip. aures pervenire.

De verbo *differre* quoque notetur quod respondeat nostro *austragen*, dicaturque *differre aliquem rumoribus*, & *differre rumores*. Tacitus I. Annal. *Pars multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant*. Plautus Pseud. Act. I. sc 3. *Jam ego te differam dictis meis, impudice.* Item Aulul. Act. II. sc. 3. *Te jam, nisi reddi mihi vasa jubes, pipulo hic differam ante ædes.* Lucilius: *Et maledicendo multis sermonibus differs.* Nonius manifeste: *Differre etiam est diffamare.* Quod etiam dicant *differre rumores, differre famam*, patet itidem ex auctoribus. Terentius Prol. Heaut. *Rumores distulerunt malevoli.* Plautus Trinummi Act. III. sc. 3. *Ne mihi hanc famam differant, me germanam meam sororem in concubinatum tibi sic sine dote dedisse, magis quam in matrimonium.*

Quod nos dicimus *Ich habe befunden, daß es wahr sey*, recte efferas Latine, si dicas, *Reperi esse vera:* neque iste verbi *reperire* usus suspectus esse debet. Cæsar lib. VI. de B. Gall. *Cognita causa reperit ab Suevis auxilia missa.* Item l. I. *Reperit esse vera.* Et *Reperiebat Cæsar inquirendo, quod initium fugæ prælii equestris adversi à Dumnotorige atque ejus equitibus factum esset.* Dicunt etiam *verba reperire*, quomodo nos, *worte finden.* Curtius lib. VI. *Verba innocenti reperire facile est; modum verborum misero tenere difficile.* Notandum item quod Corn. Nepos in Datame dicit, *Regi fidelis erat repertus.*

Supra in capite IX. de usibus verbi simplicis *facere* egimus. Nunc vero de verbis compositis *efficere* & *conficere* aliquid monendum venit; quod videlicet, ubi exprimendus est numerus aliquis, ipsis illis verbis utantur. Justinus lib. XLIV. *Pyrenæi montis*

ſpatium ſexcenta millia paſſuum efficit. Cæſar lib. I. de B. Gall. *Hos poſſe conficere armata millia centum.* Item lib. I. de B. Civ. *Ex iis circiter trecentos equites conficit.* Quæ quam ſimilia ſint his quæ noſtro verbo *machen* in eandem ſententiam efferimus, ſatis apparet. Notetur vero & illud quod Terentius Andr. Act. IV. ſc. 1. habet, *Multas mihi ſolicitudines conficis.*

De verbo *exhaurire* notandum, quod per eandem metaphoram, per quam noſtrum *erſchöpfen*, uſurpetur de his quorum res afflictæ, quique bonis ſuis privati ſunt. Corn. Nepos Alcib. *Athenienſibus exhauſtis præter arma & naves nihil erat ſuper.* Curtius lib. IV. *Omnia tam diutino bello exhauſta poſt tergum ſunt.* Juſtinus quoque paſſim ita loquitur.

Verbi *durare* quoque uſus notandus eſt. Livius lib. X. *Nives jam omnia oppleverant, nec durari extra tecta poterat.* Noſtri dicunt, *Man konte auſſerhalb des hauſes nicht dauren.* Terentius Adelph. Act. IV, ſc. 2. *Non hercle hic quidem durare quisquam, ſi ſic ſit, poteſt. Scire equidem volo, quod mihi ſint domini, quæ hæc miſeria eſt?* Plautus quoque multis locis. Ut Amphit. Act. III. ſc. 2. *Durare nequeo in ædibus: ita me probri, ſtupri, dedecoris a viro argutam meo.* Atque hunc verbi uſum quod ſuis quoque Gallis ſuſpectum eſſe Henr. Stephanus putaret, monuit & ipſe in ſuo de Latinitate falſo ſuſpecta libello, quod ſatis probum ſit, ſi quis dicat *durare nequeo in ædibus*; neque formatum putari debeat ad aliud quod hodierni Galli dicunt, *je ne puis durer en la maiſon.* Atque hic vide mihi inanem tum Gallorum, tum quoque noſtrum ipſorum metum. Utrique, & Galli, & nos, à verbo Latino *durare* formatam vocem habemus (quippe illi *durer*, nos *dauren* dicimus) & tamen metuimus, an ſatis Latinè dicatur: *Nequeo durare*

durare in ædibus. Apparet autem, verbum *durare* in talibus idem esse quod *diutius esse, amplius vivere, conservari.* Quod etiam amplius apparet ex eo quod Plautus Asin. Act. I. sc. 3. scribit: *Mihi quidem te parcere æquum est tandem, ut tibi durem diu.* Et Virgilius: *Durate, & vosmet rebus servate secundis.*

De verbo *vincere* notandum, quod non de eo tantum qui prælio, sed & de eo qui ludo superior est, usurpetur; quodque dicant *ludum vincere,* quomodo nos *ein Spiel gewinnen.* Olympia sane ludus fuerunt qui apud urbem Olympiam in Græcia celebratus fuit. Dixerunt ergo *Olympia vincere.* Ennius apud Ciceronem in Lælio:

Sicut fortis equus spatio qui sæpe supremo
Vincit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

Sed & Græci similiter dicunt τὰ ὀλύμπια νικᾶν. Unde orta vox composita ὀλυμπιονίκης pro eo qui ludum Olympia vincit. Quam vocem ipsi quoque Latini plurimum usurpant. Cicero lib. I. Tusc. Quæst. *Diagoras Olympionices, nobilis.* Idem: *Permagnum existimans tres Olympionicas una ex domo prodire.* Et alibi, *præmium Olympionicarum capere.* At Latine *Olympiorum victorem* dicere possis. Nam ipsum quoque nomen *victor* in ludis frequentatur. Corn. Nepos in præf. *Magnis in laudibus tota fuit Græcia victorem Olympiæ citari.* Et in Alcibiade: *Illum unum omnes prosequebantur, & id quod nunquam antea usu venerat, nisi Olympiæ victoribus, coronis aureis æneisque vulgo donabatur.* Et apparet, Cornelium Nepotem ipsum ludum numero singulari *Olympiam* dixisse; quod nomen proprie fuit urbis apud quam ludus agitatus fuit: qua de re & in Indice in Corn. Nepotem a nobis locupletato egimus. Nunc vero & hoc monemus, ipsum quoque Ciceronem, Nepotis æqualem, in libro I. Tusc. quæst. *victores Olympiæ* pro

victores Olympiorum dixisse. Verba ejus sunt: *Diagoras cum uno die duos suos filios victores Olympiæ vidisset.*

De verbo *immiscere* Henricus Stephanus monuit Gallos suos, ne suspectam habeant, si dicatur *immiscere se negotiis alicujus*, quomodo ipsi dicunt, *S'entremesler des affaires de quelcun.* Et pari modo monendi videntur Germani mei, ne eandem phrasin suspectam habeant, aut ad nostram phrasin *sich in fremde händel mischen* formatam putent. Sane Livius libro primo dicit, *immiscere se alicui bello:* & alibi, *immiscere colloquiis.* Deinde ex titulo Digestorum de verborum significationibus affertur: *Immiscere se rei alienæ culpa est.*

CAPUT XVI.

De quorundam verborum compositorum usibus, aut ipsis totis, falso suspectis.

MUlta quoque sunt verba composita quæ subinde suspecta sunt nobis. Quare de his quoque dispiciendum hic fuerit. Primo facile dubitet quispiam, an Latini dicant *revenire*, quomodo nos *wiederkommen.* Verum certum omnino est, Latinos non modo dicere *redire*, sed & *revenire.* Nec quod hodierni Galli *revenir* dicunt, putandum vocem *revenire* inde ortam esse; sed e contrario Gallicum *revenir* ex vetere Latino *revenire* originem traxit. Scribit Henricus Stephanus, usum verbi *revenire* tanquam barbari a viro alioqui doctissimo reprehensum fuisse; eamque suspicionem movisse ei linguam Gallicam, quippe quæ *revenir* habeat. Sed nos loca ostendamus quibus ipsum verbum *revenire* liceat visere. Plautus Amphitruonis Act. II. sc. 2. *Sed hoc me beat saltem, quod perduelles vicit, & domum laudis compos revenit.* Item Bacchidum Act. III. sc. 3. *Inde de hippodromo & palæstra ubi revenisset*

reveniſſet domum. Et Act. IV. ſc. 3. *In eum nunc hæc revenit res locum, ut quid conſilii dem meo ſodali ſuper amica, neſciam.* Adeo igitur uſitatum eſt verbum illud, ut pro *Res in eum locum rediit*, dicant etiam *Res in eum locum revenit.* Videſis multa quoque alia Plauti, a Joh. Phil. Paræo in Lexico Plautino notata. Ipſe quoque Cicero verbo iſto uſus eſt non ſemel. Ut lib. I. de Orat. *Cum miles domum reveniſſet, egiſſetque lege in hereditatem paternam.* Item: *Cum poſtea Mancinus domum reveniſſet.*

Porro inter verba compoſita quæ ſuſpecta eſſe poſſunt, eſt etiam *antevenire*, cui reſpondet noſtrum *zuvor kommen.* Verum ipſo quoque hoc ſcriptores antiqui abuſi deprehenduntur. Saluſtius B. Jugurth. *At ille, quæ parabantur, a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit.* Item: *Explorare itinera regum; conſilia & itinera eorum antevenire.* Dicunt alias *antevertere, prævertere.* Cicero pro Mil. *Vidit neceſſe eſſe Miloni proficiſci Lanuvium illo ipſo quo profectus eſt die. itaque antevertit.*

Aliud verbum compoſitum ex ſimplici *venire* ortum, non quidem ipſum totum ſuſpectum eſt; ſed aliquis tamen illius uſus & ſignificatio ſuſpecta eſſe poteſt; an videlicet ſignificet etiam *zuſammen kommen.* Varius omnino vocabuli ejus uſus eſt: ſed non peræque omnis ſuſpectus eſſe poteſt. Minime ſuſpectus eſt ille qui non noſtro verbo *kommen*, ſed alio quodam exprimitur: ut quod ſignificat idem quod *congruere, non abhorrere, aptum & accommodatum eſſe:* & idem quod *adire*: & idem quod *decere.* At quod ſignificat etiam idem quod *congredi, congregari*, & quod nos dicimus *zuſammen kommen*, id vero ſuſpectum eſſe poſſit. Ceterum noviſſima hæc vocabuli ſignificatio eſt præcipua, & in Auctoribus optimis paſſim obvia. Cicero pro Roſcio: *Magna*

multitudo hominum convenit ad hoc judicium. Et de nat. D. *Tres trium disciplinarum principes convenistis.* Alibi: *In unum locum convenire.*

Conducere quoque hujusmodi verbum compositum est cujus usus aliquis suspectus esse potest. Illius quoque significatio omnino varia est: ut quod dicunt, *conducere operarios*, *conducere domum*, *conducit hoc reipublicæ.* Sed significat etiam *cogere*, *congregare*; & quod nos dicimus *zusammen führen.* Cæsar lib. VI. de B. Gall. *Conducere copias.* Salustius B. Jurgurth. *Paulatim milites in unum conducit.* Cicero II. de invent. *Crotoniatæ publico de consilio virgines unum in locum conduxerunt.* Tacitus lib. IV Annal. *Sabinus donec exercitum in unum conduceret.*

Revalescere est tale verbum, cujus non usus aliquis, sed ipsum totum suspectum esse potest. Putet nimirum aliquis, dicendum tantum esse *convalescere.* Verum licet *convalescere* sit usitatius, illud tamen alterum non tantum Gellius, sed & melioris ævi Naso usurpavit. Hic quidem in ep. Heroid. XX. habet: *Ne tamen ignores ope qua revalescere possim:* ille vero lib. VI. cap. 13. *Quod in eorum finibus ab ipso oppido ex capitali morbo revaluisset.*

Eadem quæ verbi *revalescere*, est etiam ratio verbi *restaurare.* Hujus quoque non usus quidam & significatio, sed ipsum totum est suspectum. Putant nimirum, quia quod nos dicimus *wiederbauen*, latino verbo *instaurare* exprimitur, nullum hic usum esse præpositionis inseparabilis *re*, nulloque modo licere dicere *restaurare.* Servius quid sibi velit, non satis liquet, quod ad vers. XV. lib. II. Æneidos scribit: *Instar autem est ad similitudinem: unde non restaurata, sed instaurata dicuntur ædificia ad antiquam similitudinem facta.* An vult ille, plane reprobum

probum esse τὸ *restaurare?* At usus illo est non semel non ineptus Scriptor Justinus. Ut lib. II. c. 10. *Darius, cum bellum restauraret, in ipso apparatu decedit.* Et lib. III. c. 5. *Post longam pœnarum patientiam bellum restaurant.* It. lib. XX. c. 5. *Bellum velut ex integro restaurat.* Nec aliter lib. XXXI. c. 3. Deinde eodem verbo & Cornelius Tacitus est usus. Ut lib. III. Annal. *Pompeji theatrum igne fortuito haustum Cæsar exstructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret.* Et lib. IV. *Segestani ædem Veneris montem apud Erycum vetustate delapsam restaurari postulavere.* Participio *restauratus* quoque, & nomine verbali *restauratio*, veteres Juris consulti Ulpianus ac Julianus, ut ex Digestis apparet, usi sunt.

Reprehendere rursus tale verbum compositum est quod non ipsum totum suspectum esse potest, sed aliquis modo ejus usus; si nimirum usurpetur pro eo quod nos dicimus *wiederfassen.* Verum non modo significatio illa altera qua idem est quod *vituperare* aut *culpare*, sed & ipsa hæc, quæ quidem & præcipua est, in bonis auctoribus observatur. Plautus Bacch. Act. II. sc. 3. *Aufugero hercle, si magis usus venerit: Si ero reprehensus, macto ego illum infortunio.* Cicero I. II. Quæst. Acad. *Revocat virtus, vel potius reprehendit manu.* Svetonius Calig. c. XLV. *Insecutus veluti profugos, ac reprehensos in catenis reduxit.* Phædrus: *Tempus elapsum semel non ipse possit Jupiter reprehendere.*

Anteponere quod idem significet quod *anteferre*, & quod nos dicimus *höher halten, vorziehen*, id nemo nescit aut dubitat. An vero idem verbum significet etiam *vorsezzen*, ac de epulis quoque usurpari possit, de eo multi ambigant. Ne igitur de hoc amplius dubitetur, en tibi verba Plauti ex Menæchm.

Act.

Act. II. sc. 2. *Bene obsonavi atque ex mea sententia. Bonum anteponam prandium pransoribus.* Propertius lib. IV. eleg. 2. tmesi usus scripsit: *Libatum agricolæ ponitur ante Deo.*

Suspectum quoque esse possit verbum *accredere*, propterea quod nos in nostra lingua dicimus *ich wil dir das zuglauben*, atque ita vocabulo compositio utimur. Pari modo quia Galli verbum compositum *accroire* habent, putavit Henricus Stephanus, eandem vocem Latinam suis quoque Gallis suspectam esse posse, ac proinde eosdem & monendos esse. Sed nos exempla afferamus. Plautus Asin. Act. V. sc. 2. *Neque divini, neque quicquam humani mihi accreduas.* Horatius lib. I. ep. 15. *Scribere te nobis: ibi nos accredere par est.* In his additus est Dativus quidam. Sed usurpatur etiam sine eo. Lucretius lib. III. *Facile hoc accredere possis.* Corn. Nepos Dateme: *Rex primo non accredidit.* Columella lib. I. c. 1. *Idque etiam non spernendus auctor rei rusticæ Siserna videtur accredidisse.* Estque in his talibus *accredere* nihil amplius quam simplex *credere.*

Quam ob causam verbum *accredere* suspectum esse potest, ob eandem super verbo *adjurare* quoque hæsitent quidam. Dicimus nos *einem etwas zuschweren*, atque ita verbo compositio utimur. Vix igitur verisimile quibusdam videbitur, Latinos quoque verbo compositio dicere *adjurare.* Verum certa omnino res est: atque en tibi mox exempla. Terentius Andr. Act. IV. sc. 2. *Per omnes tibi adjuro Deos, nunquam eam me deserturum.* Ovidius in elegia quadam:

Promisit pater hanc: hæc adjuravit amanti.
Ille homines, hæc est testificata Deum.

Quandoque etiam casus tertius non est additus. Ut Philipp. I. Ciceronis: *Adjuras id te invito me non esse factu-*

facturum. Terentius Hec. Act. I. sc. 2. *Sancte adjurat.* Hinc *adjuratus* dicitur is qui juravit.

De verbo *circummittere* quoque monendum: quod quidem eo modo est compositum quo nostrum *herumschicken.* Cæsar lib. III. de B. civ. *Kalenus Delphos, Thebas, Orchomenum voluntate ipsarum civitatum recipit: nonnullas per vim expugnavit: reliquas civitates circummissis legationibus, amicitiæ Cæsaris conciliare studebat.* Item lib. I. *Cæsar delectum toto Piceno, circummissis senatoribus, habebat.*

De verbo *præcipere* notandum quod non tantum nostro *gebieten*, sed & nostro *vorhernehmen* respondeat. Cæsar lib. III. de B. Civ. *A publicanis suæ provinciæ debitam biennii pecuniam exegerat, & ab eisdem insequentis anni mutuam præceperat.* Hic *præcipere* est *ante capere.* Virgilius Eccl. III. *Si lac præceperit æstus, ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.* Lucretius addit vocem *ante*, scribitque lib. VI.

Carbonumque gravis vis atque odor insinuatur
Quam facile in crebrum, nisi aquam præcepimus ante.

Eadem vis vocabuli est, cum dicunt *futura animo præcipere, cogitatione præcipere.* Livius lib. IIX. *Consul quia non cominus pugnam, sed procul locis oppugnandis futuram, præceperat animo.*

De verbo *præscribere* est monendum, recte eo exprimi quod nos dicimus *vorschreiben.* Meminimus quendam, cum puer scripsisset *terminos præscribere*, verbum istud expungere, & substituere aliud; credo, quod id verbi suspectum ei esset, quia in vernacula lingua simile verbum compositum nosset. Sed certa res est, recte satis ita dici. Terentius Andr. Act. I, sc. 1. *Tute ipse his rebus finem præscripsisti, pater.* Tacitus III. Annal. *Facta senatus consulta, quis multo cum honore modus tamen præscribebatur.* Et videtur signifi-

significatio ea maxime propria esse, quod idem significat quod *præfinire*, *fines & terminos constituere*. Deinde ut ipsum τὸ *præfinire* de jussis ac mandatis accipitur, ita quoque τὸ *præscribere*. Cicero V. Tusc. *Quid igitur? contra Brutumne me dicturum putas? Tu vero, ut videtur. Nam præfinire non est meum.* Ubi quod verbo *præfinire* dicitur, id nos dicimus *vorschreiben*, & loquimur exempli causa sic, *Es gebührt mir nicht, daſs ich dir vorschreibe.* Sed idem illud efferre etiam sic licet, *Præscribere non est meum.* Cicero in iisdem quæst. Tusc. *Etsi iniquum est præscribere mihi te, quemadmodum a me disputari velis.* Item de Senect. *Senatui quæ sunt gerenda præscribo.* Rursus in I. Acad. *Neque ut omnia quæ præscripta & quasi imperata sunt defendamus, necessitate ulla cogimur.*

Pertinet huc quoque verbum *præsumere*, quippe hoc verbum non tantum alia, sed & idem quod nostrum *vorhernehmen*, cui & vi originis respondet, significat. Plinius lib. XXXVI. cap. 6. *Theophrastus auctor est, potores in certamine bibendi præsumere farinam ejus*, scil. lapidis. Ubi *præsumere* manifeste idem est quod *ante sumere*, *prius sumere*. Deinde, ut verbum *præcipere*, de quo modo diximus, ad actiones animi refertur, ita quoque hoc verbum. Virgilius lib. XI. Æneid.

Arma parate, animis & spe præsumite bellum.

Ad quæ verba Servius: *Aut hypallage est pro Armis parate animos: aut certe est mutanda distinctio, ut sit, Animis & spe præsumite bellum, mente præoccupate.* Quare interpretationum sine dubio non prior, sed posterior recte se habet: & voluit Virgilius, *Animis & spe præsumite bellum.* Habent & alii *animo præsumere*; non aliter, quam paulo ante *animo præcipere*. Sed plerumque tamen vox *animo* omittitur,

dicitur-

dicituruque *præsumere fortunam*, *præsumere gaudium*, *præsumere lætitiam*, *præsumere opinionem*.

De verbo *accidere* notius est quod respondeat nostris *sich begeben*, *sich zutragen*, quam quod habet significationem cadendi ad aliquid. Sed tamen hæc quoque posterior significatio in monumentis veterum non raro apparet. Terentius Hec. Act. III. sc. 3. *Jam ut limen exirem, ad genua accidit, lacrymans misera.* Nos dicimus, *er ist mir zu fusse gefallen.* Donatus ad verba ista Terentii notat: *Accidere est gestu corporis ostendere humilitatem cadentis propter Ad, quod est juxta, & cadere.* Cicero lib. I. ep. 9. ad Att. *Ad pedes omnium sigillatim accidente Clodia.* Suetonius in Jul. Cæsar. *Ut ad genua sibi accideret.* Salustius præpositionem *ad* omittit, dicitque in B. Jugurth. *Quos accidam? quos appellem?* pro *Ad quos accidam*, vel *ad quorum genua accidam*, id est, cui supplicem. Loquitur sic & Plautus in Sticho: *Certo mihi paternæ vocis sonitus aures accidit.* Sed significatio non propria, sed impropria & figurata est, quod sonitus *aures accidere*, id est, ad aures cadere, dicitur. Livius lib. IIX. ejusdem figuratæ significationis exemplum habet; sed addita præpositione. *Quod ubi ad aures accidit regis*, inquit. Atque ea de phrasi monuimus jam supra in pag. 107. cum de phrasi *pervenit ad aures* ageremus. Porro dicitur quoque per dativum *accidere auribus.* Philosophi, teste Priscanco, definiunt *vocem esse aërem tenuissimum ictum: vel suum sensibile aurium, id est, quod proprie auribus accidit.* Quare nec mirum, quod idem verbum adsciscit dativum, cum idem quod *evenire*, *obtingere*, significat. Cicero Lælio: *Nihil mali accidisse Scipioni puto.*

CAPUT

CAPVT XVII.

De quibusdam ad verba ellipsibus; itemque formulis quæ partem sui verba habent, falso suspectis.

VTimur Germani locutione concisa, quod dicimus *einen zur hochzeit, zur gasterey bitten*, pro *bitten dass einer zur hochzeit, zur gasterey komme.* Dubitet igitur quis, an Latini quoque sic locuti fuerint, & nobis item sic loqui liceat, *rogare aliquem ad nuptias, ad convivium.* At enim scire licet, ipsos quoque Latinos istiusmodi locutione concisa usos fuisse. Justinus lib. XLIII. c. 3. *Itaque cum ad nuptias invitati omnes processissent, rogantur etiam Græci hospites ad convivium.* S. Ambrosius Serm. XXI. de Epiphan. *Rogatus ad nuptias aquæ substantiam in vini speciem commutavit.* Ceterum ut concise dicunt *rogare aliquem ad convivium* pro *rogare aliquem ut ad convivium veniat:* ita dicunt quoque *promittere ad convivium* pro *promittere se ab convivium venturum.* Seneca II. Suas. *Sabinus Asidius venustissimus inter Rhetores scurra, cum hanc sententiam Leonidæ retulisset, ait: Ego illi ad prandium promisissem, ad cœnam renunciassem.* Estque hic phrasis quoque alia concisa; videlicet *renunciare ad cœnam* pro *dicere se ad cœnam non venturum.* Plautus Mostel. IV. 12. *Promisi foras ad cœnam, ne me tu evocare censeas*, h. e. ne putes te a me vocatum iri. ipse enim non cœnabo domi, sed alio ad cœnam me venturum condixi. Idem Menæchm. V. 2. *Una opera prohibere, ad cœnam ne promittat, postules.* Et Stich. IV. 2. *Ad cœnam hercle alio promisi foras.* Petronius quoque: *Hodie quia tanquam scholastici ad cœnam promisimus, non perdamus noctem.* Plinius lib. I. ep. 15. *Heus tu, promittis ad cœnam, nec venis. dicitur jus? ad assem impendium reddes, nec id modicum.* Dicebant quoque

quoque, conciſe itidem, *promittere ad aliquem* pro *promittere ſe venturum ad aliquem ad cœnam*, vel *ad prandium*. Cicero II. de Orat. *Niſi prius a nobis impetraro. Quidnam, inquit, Catullus? ut hic ſitis hodie. Tum cum ille dubitaret, quod ad fratrem promiſerat, ego, inquit Julius, pro utroque reſpondeo, ſic faciemus.* Plautus Stich. IV. 1. *Et magis par fuerat, me dare vobis cœnam obvenientibus, quam me ad illum promittere.*

Porro ellipſi utimur ad verbum *ſchicken*, dicimusque, *ich will hinſchicken*, non addito, quem velimus mittere. Pari modo & Latini accuſativum qui verbo *mittere* ſubjiciendus erat, ſæpe negligunt. Cicero in epiſtolis ad Att. *Obviam illi miſimus Athenas.* Terentius Eunuchi Act. III. ſc. 3. *Miſit porro orare, ut venirem, ſerio*, pro *Miſit aliquam ad orandum, ut ad ſe venirem.* Juſtinus lib. XLIV. cap. 4. *Cum eum exponi juſſiſſet, & poſt dies ad corpus expoſiti requirendum miſiſſet.* Græci quoque non aliter facere videntur: Sane S. Matthæus cap. XIV. v. 35. habet ſic: Καὶ ἐπιγνόντες αὐτὸν οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου ἐκείνου ἀπέστειλαν εἰς ὅλην τὴν περίχωρον. *Et cum incolæ illius loci ipſum cognoviſſent, miſerunt in omnem circumjacentem regionem.* Sed & ipſos Hebræos tali ellipſi uti, & dicere וישלח & *miſit* non addito quem quiſpiam miſerit, obſervare meminimus.

De verbo *nocere* notetur hic, quod quomodo nos dicimus *Es ſchadet nicht, kan nicht ſchaden*, cum ſignificare volumus, rem fortaſſe nonnihil profuturam eſſe, ita & Latini, dicere videantur *Nihil nocet.* Sane in Inſtitutionum Juris lib. II. tit. 10. ſcriptum eſt ſic: *Nihil nocet ex una domo plures teſtes alieno negotio adhiberi.* Geminum fere eſt quod Valerius Maximus ſcribit. *Quid oberit?* Verba hujus lib. VI. cap. 9. ſunt: *Cum aliorum fortunas ſpectando ex*

conditione abjecta atque contempta emersisse claritatem videamus, quid oberit quin & ipsi meliora de nobis semper cogitemus? Hic quod dicit *quid oberit* tantundem est ac si dixisset *Nihil oberit, nihil nocebit.* Græci quoque tali forma loquendi usi deprehenduntur. Ex Platone affertur: Δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν ῥηθὲν βλάπτει. *Bis aut ter si id quod pulcrum est dicatur, nihil nocet.* Est autem in his talibus λιτότης quædam. Quippe verbis istiusmodi minus dicitur, & plus intelligitur. Aliud sane est *non nocere*, & aliud *prodesse.* Potest enim fieri, ut aliquid non noceat, & idem tamen nec prosit. Nihilominus qui tali forma loquendi utuntur, ut dicant rem nihil nocere, non tam hoc volunt quod res non noceat, & nullum damnum afferat, quam quod res nonnihil & prosit.

Porro notentur formulæ *Nequeo mirari satis* & *Non potest dici quam*: quibus & ipsis nos gemina usurpamus. Dicimus nimirum, *Ich kan mich nicht genug samverwundern, Ich kan nicht sagen, wie sehr mich darnach verlanget.* Plautus Trinummo: *Sed ego hoc nequeo mirari satis, eum sororem despondisse in tam fortem familiam.* Terentius Eun. Act. IV. sc. 3. *Nequeo mirari satis, quo abire ignavus ille possit longius, nisi domum forte ad nos rediit.* Corn. Nepos Agesil. c. IIX. *Qui autem virtutem* (ejus) *noverant, non poterant admirari satis.* Alterius phraseos exemplum habet itidem Terentius Hec. Act. I. sc. 2. *Non dici potest quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite.* Item Cicero lib. V. ep. 11. ad Att. *Non dici potest quam flagrem desiderio urbis, quam vix harum rerum insulsitatem feram.*

Notanda quoque hic formula *Aut scire aut nescire hoc volo.* nam huic quoque simile nos habemus: possitque eo ipsa formula latina suspecta esse. Terentius Phorm. Act. V. sc. 3. *Eamus ad ipsam una omnes nos:*

nos: aut scire aut nescire hoc volo. Sed & illud notetur quod est in Adelph Act. IV sc. 2. *Scire equidem volo quot mihi sint domini: quæ hæc est misera?* Ita plane & nostri, *Ich wil wissen, wie viel herren ich habe;* cum indignabundi significare volunt, non posse se pluribus quam uni servire & grata facere.

CAPUT XIIX.

De usibus quorundam adverbiorum falso suspectis.

VIdendum porro de usibus quorundam adverbiorum. Nam inter hos quoque videntur esse, de quibus facile nonnulli ambigant. Dicimus nos, *Du machst mir immer solche handel:* atque ita quod sæpe fit, semper fieri dicimus, utimurque hyperbole quadam. An vero & latine dicere licet, *Hujusmodi turbas mihi semper das, hujusmodi molestias mihi semper facessis?* Quidni liceat? Ad hunc modum enim ipse Terentius Heaut. Act. IV. sc. 4. *Hujusmodi mihi res semper comminiscere.* Ecce, quod dicere vult sæpe fieri, id semper fieri dicit. Consimilis forma loquendi est in verbis Græcis Luc. XIIX. 5. *Quia molesta mihi est hæc vidua, vindicabo eam,* ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑποπιάζῃ με. *ne semper veniens obtundat me.* Interpres vetus minus recte vertit, *Ne in novissimo veniens fugillet me.* Neque rectius Beza, *Ne tandem veniens obtundat me.* Εἰς τέλος idem est quod Latinorum *semper, perpetuo.* Et recte versum hic est ab Interprete Syro בכל עדן *in omni tempore;* ut in capite XII. lib. III. Dissertationum sacrarum monuimus. Estque & phrasis ipsa satis Græca, neque sic ut aliæ, Hebræorum more formata, ut in cap. XLI. Commentarii de Hebraismis novi Test. contra Gatakerum ostendimus. Ceterum εἰς τέλος *semper* posuit

Lucas pro πολλάκις *sæpe:* & sensus est, *Ne sæpe rediens obtundat me, & molesta mihi sit.* Nos quoque ad exprimenda talia hyperbole quadam uteremur, diceremusque, *Daß sie nicht immer komme, und mir beschwerlich sey.*

Vox *satis* quoque in quibusdam locutionibus suspecta esse possit. Ut quod dicunt *Satis astute, satis superbe;* quomodo nos *listig gnug, hoffartig gnug*: atque ita vocem *satis* pro *valde* usurpant. Terentius Phorm. Act. V. sc. 7. *Ita mecum agitis? satis astute aggredimini.* Et paulo ante: *Satis superbe illuditis me.* Cicero Orat. pro Cluent. *Is ibi in morbum incidit, ac satis vehementer, diuque ægrotavit.*

De voce *nimis* notetur, quod, quomodo nos dicimus, *gar zuoft gar zufrühe*, ita Latini dicant *nimis sæpe, nimis crebro, nimis mane.* Cicero II. de leg. *Sed nimis sæpe secus aliquando videmus evadere.* Item Orat. pro Marc. *Sæpe venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse.* Rursus lib. II. de fin. *Cui summum bonum est idem quod vos interdum, vel potius nimium sæpe, dicitis, nihil dolere.* Plautus Pers. Act. I. sc. 3. *Sed quid cessamus prælium committere, dum mane est? omnes esse mortales decet.* T. *Nimis pene mane est.* S. *Mane quod tu occeperis negotium agere, id totum procedit diem.* Hic vero & illud notetur, quod, quomodo nos dicimus *Es ist noch frühe*, ita Latini dicant *mane est.* Dicunt etiam *tam mane, tam vespere*, quomodo nos *so frühe, so spate.* Terentius Heaut. Act. I. sc. 1. *Nunquam tam mane egredior, neque tam vespere domum revertor.* De vocula *nimis* adhuc notetur, quod Cicero lib. II. de Orat. scribit sic: *Habetis sermonem bene longum hominis utinam non impudentis? illud quidem certe, non nimis verecundi.* Item in l. V. Tusc.

Tusc. qq. *Epicurus cupiditatum genera divisit, non nimis fortasse subtiliter, utiliter tamen.* Ubi *non nimis subtiliter* est pro *non* valde *subtiliter:* uti nos, *nicht gahr zu subtil.*

De voce *prius* notetur quod ponatur pro *potius*, quomodo nostrum *eher* pro *lieber*. Terentius Heaut. Act. III. sc. 1. *Si semel tuum animum is intellexerit, prius proditurum te tuam vitam & prius pecuniam omnem, quam abs te amittas filium: hui quantam fenestram ad nequitiam patefeceris.* Hic *prius* manifeste est pro *potius*. Pari modo & vox *ante* usurpatur, ut apparet ex versiculis Virgilii in Ecloga prima:

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces:
Ante pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Nostram vocalem *so* usurpamus loco nominis adjectivi, dicimusque *Die so seyn* pro *die solche seyn*. Nec aliter Latini adverbium suum *sic* pro adjectivo *talis* usurpant. Plautus Most. Act. IV. sc. 3. *Hæc res sic est, ut narro tibi.* Et Amph. Act. II. sc. 1. *Satin tu sanus es?* So. *Sic sum, ut vides.* Terentius Hec. Act. III. sc. 5. *Et qui sic sunt, haud multum heredem adjuvant.* Sic & adverbium *aliter* pro nomine *alius* ponit, ut Phorm. Act. III. sc. 3. *Ego isti nihilo sum aliter, ac sui.* Præcedit etiam: *Ego nunc esse aliter credidi.* Rursus Hecyr. Act. IV. sc. 4. *Sin est ut aliter tua fiet sententia.* Et Adelph. Act. III. sc. 5. *Sin aliter animus vester est.*

De voce *tantum* hic notandum, quod quandoque pro *vix* usurpari videatur. Cicero lib. VII. ep. 23. ad fam. *Tantum ex Arpinati veneram, cum mihi à te*

literæ redditæ sunt. Nostri dicerent, *Ich war nur eben von meinem landgute Arpinati gekommen, als mir dein brief überantwortet ward.* Dicunt etiam *Tantum quod,* quomodo nos *Nur das.* Cicero lib. XV. ep. 13. ad Att. *Hæc cum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam.* Suetonius Aug c. LXIII. *Juliam primum Marcello Octavio sororis suæ filio tantum quod pueritiam egresso nuptum dedit.* Et Neron. c. VI. *natus est XVII. Kal. Jan. tantum quod exoriente sole.* Vellejus Paterculus lib. II. c. 117. *Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico & Dalmatico bello Cæsar manum, cum intra quinque consummati tanti operis dies funestæ ex Germania epistolæ.*

De vocibus *non statim, non continuo*, monendum, quod non aliter quam nostræ voces *nicht alsbald*, in enunciationibus conditionalibus negativis usurpentur. Varro lib. IIX. de ling. Lat. *Itaque in voluntariis declinationibus inconstantia est; in naturalibus constantia: quas utrasque quoniam id non debeant negare esse in oratione quod in mundi partibus omnibus sit, & declinationes verborum innumerabiles, dicendum est esse in iis analogiam. Neque ideo statim ea in omnibus verbeis est sequenda.* Enunciatio conditionalis negativa est, *Non, si analogia est, eadem in omnibus verbis est sequenda.* Sed Varro eam extulit sic, *Neque ideo statim* (quod analogia est) *ea in omnibus verbeis est sequenda:* atque ita vocem *statim* adjecit. Cicero lib. II. de Orat. *Non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sicarius sum.* Item lib. IV. de fin. b. *Sin id non concedatur, non continuo vita beata tollitur.* In prioribus voculam negativam *non* voculæ conditionali *si* præmittit: in posterioribus vero postponit. Potuisset autem & sic, *Non continuo, si id non concedatur, vita beata tollitur.* In oratione

tione pro Rosc. interrogatione utitur hunc in modum: *Continuone sic ille stulte dixit, tu stultius facies?* Sine interrogatione tantundem dici potuisset sic, *Non continuo, si ille stulte fecit, tu stultius facies.* Quandoque tamen vocem *continuo* negligit, & enunciationes quales dixi, format sine ea. Ut in Philipp. XIII. *Nec, si non obstatur, propterea & permittitur.* Et in libris de fin. *Nec enim sequitur, ut, cui cor sapiat, ei non sapiat palatus.* Voculas *non statim* conjunxit & Hieronymus, quod in in libro ad Ctesiphontem adversus Pelagium scripsit: *Liberum arbitrium dat liberam voluntatem: & non statim ex libero arbitrio homo facit; sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget.* Quod dicit, *Non statim ex libero arbitrio homo facit*, perinde est ac si diceret, *Non statim, si homo liberum arbitrium habet, ex libero arbitrio homo facit.* Vel, ut Varro loquebatur, *Non ideo statim, quod homo liberum arbitrium habet, ex libero arbitrio homo facit.* Tertullianus quoque in Apologetico adv. gentes cap. XII. sic scribit; *Sed non statim & Jupiter Cretam suam Romanis facibus illum concuti sineret, oblitus antrum illud Idæum, & æra Corybantia, & jucundissimum illic nutricis suæ odorem.* De pleonasmo autem hujus loci, qui in pronomine *illum* apparet, in pag. 125. partis II. nostri de Hebraismis novi Test. Commentarii egimus.

Adverbii *foras* quoque usus subinde suspectus esse potest. Significat id adverbii motum ad locum, diciturque *ire foras, proripere se foras.* Suspectum autem esse potest, si dicatur *librum foras dare*, quomodo in lingua vernacula dicimus *ein buch heraus geben.* Verum probe ita dici, ostendimus jam supra: ubi de verbo *dare* egimus, & in pag. 95. Ibidem, & in pag. 132. monimus quoque de phrasi *efferre aliquid foras*, quod cum nostro *austragen* fere congruat.

Dubium quoque nostris esse possit, an, quomodo nos dicimus, *Wie sehr, so sehr, wie offt, so offt*, atque ita voculis binis separatis, nec in unum coalescentibus, utimur, ita Latine vocabulis itidem separatis dicere liceat, *quam valde, tam valde, quam sæpe, tam sæpe*. Dicunt sane Latini tantundem vocibus *quantopere, tantopere, quoties, toties*. Sed dicunt tamen etiam vocabulis separatis, nec in unum coalescentibus, *quam valde, tam valde, quam sæpe, tam sæpe*. Cæsar. l. IX. ep. Cic. ad Att. ep. 8. *Gaudeo mehercule vos significare literis quam valde probetis ea quæ apud Cornificium sunt gesta*. Cicero in Catil. *Sed si omnibus rebus omissis quibus nos suppeditamur, eget ille, senatu, equitibus Romanis, urbe, ærario, vectigalibus: si his rebus omissis causas ipsas quæ inter se confligunt, contendere velimus, ex eo ipso, quam valde illi jaceant, intelligere possumus*. Idem I. Philippica: *Ut mirum mihi videatur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse*. Idem lib. II. de Divinatione: *Quasi vero quicquam sit tam valde quam nihil sapere, vulgare*. Cornelius Nepos Eumene: *Quem tamdiu, tamque valde timuissent*. Voculæ *quam, tam*, solæ possunt valere idem quod *quam valde, tam valde*. Quod enim Cicero scripsit *Nihil est tam valde vulgare*, id efferre utique etiam sic potuisset, *Nihil est tam vulgare*, vocula *valde* prorsus omissa. Notetur etiam quod dicunt *non valde*, quomodo nos dicimus *nicht sehr*. Cicero ep. ad Quintum Fr. *Promisis iis quæ ostendit, non valde pendeo*. Porro dicunt etiam *quam sæpe*, quomodo nos *wie oft*. Justinus lib. XIII. cap. 1. *Recordantes, quoties præsenti morte ereptus esset: quam sæpe pro amisso repente se non hospitem tantum suis, verum etiam victorem obtulisset*. Hic ille semel *quoties*, deinde vero *quam sæpe* dixit. Solent Auctores orationem subinde ita variare. Sic Tullius Oratione

prima

prima in Catilinam semel dicit *quousque*; deinde *quamdiu*; & denique *quem ad finem*. Verba ejus sunt: *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? quamdiu nos etiam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit audacia?* Postremum illud *quem ad finem* nihil est aliud quam quod præcedit *quousque* & *quamdiu*. Porro quomodo dicunt *quam sæpe*, ita dici quoque posse *tam sæpe*, nihil est ambigendum. Et quomodo nos dicimus *nicht oft*, ita Latini *haud sæpe*. Salustius B. Jugurth. *Morbus haud sæpe quenquam superat*. Cicero II. de Orat. *Ut igitur in ejusmodi re quæ mendacio nixa sit, quæ ad scientiam non sæpe perveniat, quæ opiniones hominum & sæpe errores aucupetur, ita dicam, si causam putatis esse cur audiatis.*

Phrasibus *quam valde* & *quam sæpe* subjicimus phrases *quam mox* & *quam longe*: quæ & ipsæ suspectæ esse possint. Dicimus nos, *wie bald wird er kommen?* Et pari modo Latini, *Quam mox veniet?* Plautus Asin. Act. II. sc. 4. *Quam mox mihi operam das?* Terentius Phorm. Act. IV. sc. 3. *Expecta quam mox sese recipiat Geta.* Idem Adelph. Act. V. sc. 6. *Ego hunc ad vos provisam, quam mox virginem accersant.* Porro ut nos dicimus *Wie weit ist es von hier in den Wald*, ita Latini, *Quam longe est hinc in saltum.* Cicero pro Quint. *Quam longe est hinc in saltum vestrum Gallicanum?*

Quod nos dicimus *so lange bis*, id Latini modis omnino variis dicunt. Cornelius Nepos in Epaminonda: *Usque eo retinuit, quod renunciatum est.* Item: *Exercebatur plurimum currendo & luctando, ad eum finem quoad stans complecti posset atque contendere.* Illud *ad eum finem quoad* nihil aliud est, quam *usque eo quoad*, & nostrum *so lange bis*: qua de re jam supra in p. 18. sq. monuimus. Sic & *quem ad finem*, quod ex Oratione Ciceronis citabamus, nihil

aliud est quam nostrum *wie lange*. Ceterum ut illud *wie lange* efferre licet vocabulo compositio *quamdiu*, ita alterum illud *so lange* efferre licet vocabulo *tamdiu*. Cicero I. Off. *Tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit*. Corn. Nepos in Attico: *Quæ beneficia ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat qui acceperat*. Dicunt etiam *tamdiu donec*, & *tamdiu dum*. Columella l. XII. cap. 18. *Ita ignis subjicitur, & tamdiu incenditur, donec ad fundum calor tam vehemens perveniat, ut apposita manus patiens ejus non sit*. Cicero pro Fl. *Valuit tamdiu dum hoc prodiret*. Sed & *tamdiu* & *quamdiu* ex adverso ponuntur. Seneca lib. III. de Benef. c. 16. *Tamdiu istud timebatur, quamdiu rarum erat*. Cicero lib. XII. ep. 19. *Qui se oppido munitissimo & copiosissimo tamdiu tenuit, quamdiu in provincia Parthi fuerunt*.

Utimur nos adverbiis numeri compositis, dicimusque *einmahl, zweymahl, dreymahl*. At Latini vocabulis simplicibus utuntur, dicuntque *semel, bis, ter*. Sed quandoque tamen ipsi quoque Latini vocabulis binis; non quidem in unum coalescentibus, sed binis tamen, utuntur, dicuntque *una vice, duabus vicibus, tribus vicibus*. Notum est illud Horatii lib. IV. Od. 14. ad Augustum: *Arces Alpibus impositas tremendis dejecit acer plus vice simplici*. In quibus *plus vice simplici* est pro *plus quam vice una*, & hoc pro *plus quam semel*. Quod Latini dicunt *aliquando* & *quodam tempore*, nostri vero *einmahl*, id sequioris ævi scriptores dicunt etiam *quadam vice*. Gregorius Turonensis lib. II. Hist. c. 24. *Hecdicium miræ velocitatis fuisse multi commemorant. Nam quadam vice multitudinem Gothorum cum decem viris fugasse perscribitur*. Sidonius Apollinaris lib. VII. ep. 1. *Cum vice quadam civitas conflagrare cœpisset*,

set, fides tua in illo ardore plus caluit. Vide & Notas Savaronis ad eum locum. Ex Epitome Gregorii Turon. MS. idem Savaro ad lib. III. ep. 3. Siduniī citat: *Ædicius miræ velocitatis fuit, pluribus vicibus multitudinem Gothorum cum paucis in fugam convertit.* Ergo *pluribus vicibus* dixit ille pro *aliquoties*, atque ita vocibus itidem binis usus est una. Ad quem modum Interpres quoque Latinus Gen. XXXI. 41. vertit *decem vicibus* cum potuisset voce una *decies* vertere. Eadem ratio loquendi Latinis quoque ἐκβαρβαρωθῆσι placuit. Quod enim Latini veteres dixere *ter*, id nunc Itali dicunt *tre volte*, & Galli *trois fois*; atque ita vocabulis itidem binis, iisque separatis, utuntur. Germani mei vocabulis itidem binis, sed in unum coalescentibus, utuntur. Orientales quoque non vocabulis singulis, sed binis utuntur. Hebræi dicunt שלוש פעמים *tribus pulsibus* seu *ictibus:* itemque שלוש רגלים. Vide Exod. XXXIII. 14. ubi Paraphrasis Chaldaica habet שבע זמנין *septem temporibus*. Neque aliter faciunt & Syri. Vocem unicam πεντάκις, quam Apostolus II. Cor. XI. 24. usurpavit, Interpres Syrus extulit duabus חמש זבנין *quinque temporibus*. Hebræi dicunt etiam עשר מנים cum volunt dicere id quod Latini voce una *decies* dicunt. Reperies hoc in cap. XXXI. Geneseos. Ubi Interpres latinus vetus, ut dixi, vocabulis itidem binis usus est, vertitque, *Immutasti mercedem meam decem vicibus*. Recentior Interpres maluit, *Mercedem mihi vel decies mutavisti*. Interpretes Græci, cum & ipsi vocabulo una δεκάκις uti possent, maluerunt tamen vocabulis binis uti, veteruntque, παρελογίσω τὸν μισθόν μου δέκα ἀμνάσι. Aquila quoque vocabulis binis vertit δέκα ἀριθμούς. Symmachus autem, δεκάκις ἀριθμῶ.

CAPUT

CAPUT XIX.

De usibus quibusdam præpositionum a, ab & de *falso suspectis.*

INter præpositiones quarum usus quidam suspecti esse possunt, sunt primo vocula *a* & *ab*. Sæpe illæ cum nostra vocula *von* congruunt: sed rursus sæpe ab eadem & discrepant. Nos nunc tantum congruentiam notabimus, & eam quidem quam suspectam habere quidam possint. Dicimus nos *von anfang, von jugend auf*. Et pari modo Latini *a principio, ab initio, a pueritia, ab adolescentia*. Terentius Andr. Act. IV. sc. 5. *Audivi a principio*. Item Phorm. Act. IV. sc. 4. *Ego jam a principio amici filiam ita ut æquum fuit, volui uxorem ducere*. Salustius B. Jujurth. *Tametsi a principio regem impugnaverat*. Plautus Most. Act. III. sc. 2. dicit *a primo*. Verba ejus sunt: *Improbiores sunt quam a primo credidi*. Cicero lib. V. ep. 8 *Hoc magis sum Publico deditus, quod me quanquam a pueritia sua semper, tamen hoc tempore maxime, sicut alterum parentem, observat & diligit*. Idem in Orat. pro Arch. dicit *ab adolescentia*. Sic & Corn. Nepos in Catone: *Ab adolescentia confecit orationes*. Dicunt etiam *a pueris, a parvis, a parvulo*: quæ omnia reperias in Terentio. Sed *a parvulo* dicunt, si de uno sit sermo: *a parvis* autem, & *a pueris*, si de pluribus. Andriæ Act. I. sc. 1. *Postquam te emi a parvulo*. Item Adelph. Act. I. sc. 1. *Eduxi a parvulo: habui, amavi pro meo*. Illa altera *a parvis* & *a pueris* leguntur Andr. Act. III. sc. 3, Heaut. Act. I. sc. 2. Adelph. Act. III. sc. 5.

Cum exprimendum est, cujas aliquis sit, dicimus *er ist von Amsterdam, von Hamburg*; Item, *es ist ein mann von Amsterdam bey mir gewesen*: atque ita voculam nostram *von* hic usurpamus. Pari modo Latini suum *a* vel *ab* usurpant. Terentius Andr.

Act.

Act. IV. sc. 5. *Ab Andria est ancilla hæc, quantum intelligo.* Virgilius lib. III. Georg.

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso. --- --- ---

Ubi Apollo dicitur pastor ab Amphryso, quia propter fluvium Amphrysum pecus Admeti regis Thessaliæ, pavit. Livius l. I. *Turnus Herdonius ab Aricia fortiter in absentem Tarquinium erat invectus.* Et lib. II. *Armorum immemorum obsides dant CCC. principum a Cora atque Pometia liberos.* Item lib. XXXVII. *Tredecim a Rhodo naves.* Ovidius lib. III. Trist. el. 12. *Rarus ab Italia tantum mare navita transit.* Neque nominibus tantum regionum ac urbium, sed & aliorum locorum præpositio ista additur. Terentius Adelph. Act. IV. sc. 2. *Præterea, dum illum quæro, a villa mercenarium vidi.* Ubi *mercenarius a villa* dictum, uti nos dicimus *ein mann von hofe.* Ovidius: *Ut rudit ascabra turpis asella mola.* Usurpant etiam voculam *de*, dicuntque *mulier de via, alius de foro.* Vide Dan. Vechneri Hellenolexiam lib. I. cap. X. Sed sæpe præpositiones etiam plane negligunt. Plautus Asin. Act. II. sc. 4. *Periphanes Rhodo mercator dives, absente hero solus mihi talentum argenti soli annumeravit.* Hic *mercator Rhodo* est pro *mercator a Rhodo.* Item Merc. Act. V. sc. 2. *Nunc perveni Chalcidem, vidi ibi hospitem Zarintho.* Et Bachid. Act. II. sc. 2. *Mille & ducentos Philippos attulimus aureos Epheso quos hospes debuit nostro seni.* Terentius Heautont. *Sed erat his anus Corintho haud impura, ei dedi exponendam.* Et Phorm. *Oportune adeo nunc mecum argentum attuli, fructum quem Lemno uxoris reddunt prædia.* Plura id genus congessit Daniel Vechnerus Hellenol. lib. I. c. 5. unde ipsa quoque illa quæ attulimus, sunt depromta. Vide quoque Mantissam Lexici Plautini Joh. Philippi Paræi, in Enallage.

Porro

Porro notetur, quod quomodo nos dicimus *von sich selbst etwas thun*, ita Latini dicant *ab se aliquid facere*. Glossæ Isidori habent: *Ab se, spontaneus*. Plautus Truc. Act. IV. sc. 3. *Sed nimium pol opportune ecce ab sese egreditur foras*. Item Menæchm. Act. I. sc 2. *Mane mane, obsecro, hercle: ab se ecca exit*. Lambinus putavit *ab se* hic esse idem quod *domo sua*. Quod non probant Meursius Exerc. Crit. p. 145. & Taubmannus in Commentario. Et recte sane. Ipsa enim versiculorum Plauti συνέπεια declarat, *ab se* hic idem esse quod *sponte*. Præcedunt enim hæc: *Placide puta*. PE. *Metuis, credo, ne fores Samiæ sint*. Tum vero Menæchmus: *Mane, mane, obsecro, hercle: ab se ecca exit*. Quasi diceret: Ne quidem opus est fores putari, ut intromittamur, ipsa enim ab se exit foras. Sed & in Rudente idem Plautus habet sic: *Nam hæc literata est, ab se cantat cuja sit*. Vide Act. II. sc. 5. Agitur ibi de sacra urna Veneris: dicitque Sceparnio, eam literatam, id est, literis inscriptam esse; ut facile agnoscatur cujus illa sit, nec temere auferri impune possit.

Videamus etiam de quibusdam vocula *de* usibus. Et primo equidem quod dicunt *de servis suis quem quis habet fidelissimum mittere*. Corn. Nepos Themistocle: *Noctu de servis suis, quem habuit fidelissimum, ad regem misit, ut ei nunciaret suis verbis*. Nostri dicerent, *er hat von seinen knechten den getreuesten den er gehabt hat, zum Konige geschicket*. Item Nepos in Dat. *Adversariorum multa millia concidit, cum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset*. Nostri, *Von seinem kriegsvolck sind nicht mehr als tausend geblieben*. Rursus in Catone: *Non facile reperire possis neque de Græcis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum*. Subaudienda hic sine dubio vox *aliquid*. Et *aliquid de rebus Græcis*

est

est pro *aliquid rerum Græcarum*; non aliter quam nos dicimus *etwas von Griechischen sachen*. Apparet Latinos æque suam voculam *de* in partitionibus usurpare, atque nos nostram voculam *von*. Sed videamus & alia quædam. Propertius de Parca dicit, *de tribus una soror*, Carmine Priap. XI.

Hesterna quoque luce, dum precatur,
Dentem de tribus excreavit unum.

Terentius Adelph. Act. III. sc. 3. *Atque hercle hic de grege illo est*. Justinus lib. XLII. cap. 3. *Armenius quoque & ipse Thessalus, unus de numero ducum Jasonis, Armeniam condit.*

Porro notetur, quod dicunt *adolescens de summo loco*, uti nos *einer von hohem stamme*. Plautus Capt. Prol. *Audivit de summo loco summoque genere captum esse equitem Aleum*. Hic *eques de summo loco, summoque genere*, est pro *eques summo loco natus*. Pari modo in Aulularia dicit, *adolescens de summo loco*: & in Pœnulo, *de summo loco dives*.

Subinde etiam *de* ponitur pro *a* vel *ab*, atque itidem nostræ voculæ *von* respondet. Quod nos dicimus, *ich habe es von ihm gehoret*, id Latini dicunt non tantum *Audivi ex illo*, sed & *Audivi ab illo*, & *Audivi de illo*. Terentius Andr. Act. II. sc. 1. *Apud forum modo de Davo audivi*. Pari ratione Ovidius lib. I. Trist. el. 8. *De comite Argolico postquam congnovit Orestem*, pro *ex comite*. Cicero de clar. Orat. *Audivi de majoribus natu*, pro *a majoribus natu*. Item de Orat. *Audivi de socero meo* pro *audivi a* vel *ex socero meo*. Alias vocula *de* in talibus notat objectum. Ut, *De prælio facto audivi*. Svetonius Calig. cap. 23. *Exquisiturum se vel fidiculis de Cæsonia*, pro *ex Cæsonia*. Terentius Phorm. Act. II. sc. 2. *Ibi agrum de nostro patre colendum habeat*, pro *habeat a nostro patre*. Plautus Epid. Act. III. sc. 4. *Mercatus te hodie*

die est de lenone Apoecides? pro *a lenone*. Item Capt. Act. I. sc. 1. *Istos captivos duos, here quos emi de præda, de quæstoribus, bis indito catenas singularias*. Hic *emere de quæstoribus* est pro *emere a quæstoribus*. Rursus Mostell. Act. III. sc. 1. *De vicino hoc proximo tuus emit ædis filius*. Nec aliter idem & alibi. Cicero quoque in Orat. pro Flacco dixit, *Fundum mercatus est de pupillo Merculonio*. Quod Terentius dicit *Exemplum de te capit* Andr. Act. IV. sc. 1. in eo quoque *de* pro *a* positum videtur. Sed in phrasi *sumere supplicium de aliquo*, vocula *de* pro *a* usurpatur. Eum qui punitur, Latini dicunt *pœnas dare, pœnas solvere, pœnas luere;* quasi pœnæ sint debitum quoddam quod is qui punitur, solvat. Cui consentaneum est, quod, quomodo verbum *dare* alias dativum personæ adsciscit, ita & hic dativus additur, diciturque *dare pœnas alicui, dare supplicium alicui*. Corn. Nepos Agesilao: *Illa multitudine, si sana mens esset, Græciæ supplicium Persas dare potuisse*, i. e. Persas a Græcis puniri & clade affici potuisse. Terentius Heaut. Act. I. sc. 1. *Interea usque illi de me supplicium dabo*. Vide & Eun. Act. I. sc. 1. Eadem notione Cicero dicit, *supplicium alicui solvere*. Ex adverso, qui aliquem punit, eum dicunt *supplicium* vel *pœnas ab aliquo recipere, ab aliquo sumere*, itidem ut debitum quoddam. Virgilius lib. IV. Æneidos: *Ulta virum pœnas inimico a fratre recepi*, i. e. pœnas a fratre sumpsi, fratrem punivi & ultus sum. Justinus lib. IX. idem dicit *ultionem ab aliquo exigere*. Valerius Maximus autem *supplicium ab aliquo sumere*. Verba hujus lib. IV. cap. 1. sunt: *Sumpsissem a te supplicium, nisi iratus essem*. Quomodo igitur alias, cum aliquis alicui dat, is cui datur, ab altero accipere & sumere dicitur: ita & hic unus supplicium seu pœnas alii dare, alter supplicium seu pœnas

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0168
DFG

nas ab illo sumere & recipere commode dicitur. Sed pro *supplicium sumere ab aliquo*, *pœnas exigere ab aliquo*, dicunt etiam, & quidem ut plurimum, *supplicium sumere de aliquo*, *pœnas exigere de aliquo*; atque ita manifeste rursus voculam *de* pro *a* vel *ab* usurpant. Ovidius lib. VIII. Metamorph.

Nam de matre manus diri sibi conscia facti
Exegit pœnas. -- -- --

Hic *exegit pœnas de matre* est pro *exegit pœnas*, vel, ut Justinus loquebatur, *exegit ultionem*, *a matre*. Cornelius Nepos Eumene: *Cum plerique omnes primo perturbati admirarentur*, *non jam de eo sumptum esse supplicium*, *a quo tot annos adeo essent male habiti.* Terentius Andr. Act. III. sc. 1. *Hei mihi*, *cum non habeo spatium*, *ut de te sumam supplicium*, *uti volo.* Neque aliter Cicero & optimi quique alii.

Porro notentur & illa *de procul*, *de integro*, *de improviso:* quæ respondent nostris *von ferne*, *von weiten*, *von neuen*, *von ungefehr.* Plautus in Persa dicit *de procul aspicere.* Terentius Adelph. Act. III. sc. 3. *Intervenit homo de improviso.* Cicero pro Rosc. Am. *In quos si qui ex acie fugerunt*, *de improviso incidunt.* Idem habet *de integro creare censores*, *de integro scribere.*

Supra cum de vocula *a* ageremus, monuimus etiam quod Latini dicant *a principio*, *ab initio*, *a primo*, quomodo nos *von anfang.* At hic monendum, quod pro *a principio* dicant etiam *de principio.* Cicero pro Sylla: *Etenim de principio studuit animus occurrere magnitudini criminis*, *satisfacere expectationi hominum.*

CAPUT XX.

De usibus præpositionum ad *&* apud *falso suspectis.*

INter voces inflexibiles quarum usus suspectus esse solet, est etiam vocula *Ad.* Respondet hæc nostræ

vocula *zu*. At non semper & promiscue respondet. Quod nos dicimus, *er ist zu hause*, *er ist zu Francfurt*, in eo efferendo minime utendum ista vocula. Imo nostræ vocula nihil quicquam respondens hic ponendum, sed dicendum sine præpositione *Est domi*, *Est Francofurti*. Qui vero diceret *Est ad domum*, *Est ad Francofurtum*, is merito ab omnibus rideretur. Sed rursus tamen vocula *ad* nostræ vocula frequentissime respondet, & quidem sæpius quam multi putent. Quod nos dicimus *zum ersten*, *zum andern*, non dicunt Latini *ad primum*, *ad secundum*. Rursus tamen quod nos dicimus *zulezt*, id Latini dicunt *ad extremum*, *ad ultimum*, *ad postremum*, atque ita vocula *ad* nostræ *zu* respondentem faciunt. Atque ejus rei en tibi ex optimis scriptoribus exempla. Cicero lib. II. ep. 16. ad Att. *Cum jam diu occulte suspirasset, postea jam gemere, ad extremum vero omnes loqui & clamare cœperunt.* Item II. de Orat. *Quique faciunt quasi membra eloquentiæ, invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriæ mandare, tum ad extremum agere ac pronunciare.* Justinus lib. IV. *Contra diu rege per epistolam frustra fatigato, ad postremum ipse ad eum pergit.* Livius lib. I. *Ad ultimum connixus omnibus copiis Ancus acie primum vicit.* Curtius lib. VI. *Qui ultimum ausus scelus regem suum etiam externæ opis egentem, certe cui nos victores peperciſſemus, quasi captivum in vinculis habuit: ad ultimum, ne a nobis conservari posset, occidit.* Item lib. IV. *Licet felicitas adspirare videatur, tamen ad ultimum temeritati non sufficit.* Valerius Max. lib. VI. c. 5. *Aliquandiu repugnavit. Ad ultimum precibus populi victus suo prius, deinde filii oculo eruto, usum videndi utrique reliquit.* In his *ad ultimum* & id genus cetera, sunt pro *tandem*, *denique*, *postremo*. Quandoque tamen paulo etiam aliter usurpantur, & *ad*

ultimum

ultimum dicitur pro *usque ad ultimum*. Livius lib. II. *Patres ad ultimum dimicationis rati rem venturam*, h. e. usque ad ultimam & periculosissimam dimicationem. Idem lib. XLV. *Pietatem constantiamque laudaturos, si fidem ad ultimum fratri præstitissent*, h. e. ad finem usque.

Porro quomodo nos dicimus *zum höchsten*, ita Latini *ad summum*. Cicero pro Quinto: *Biduo, ad summum triduo*. Idem pro Milone: *Quatuor, ad summum quinque, sunt inventi*. Sed vocula *ad* tamen omittitur quoque, diciturque absque ea *summum*. Cicero epp. ad Att. *Scies cras, summum perendie*. Opponitur ei *minimum*. Varro de re rust. lib II. cap. 1. *Ita fiunt omnium partes minimum octoginta una*. An vero dicant etiam *ad minimum*, de eo nondum satis liquet. Certe analogia non repugnat.

Frequentamus nos nostram vocalam *zu* post nomina quædam adjectiva, dicimusque *leicht zuthun, schwehr zuthun, nöthig zuthun*. Latini vero in talibus supinum suum posterius usurpant, dicuntque *facilis factu, difficilis factu*. Cicero de Nat. D. *Difficile factu est me id sentire quod tu velis*. Deinde præsens infinitivi usurpant, dicuntque *Capi facilis, corrumpi facilis*: quibus Lucanus & Tacitus utuntur. Cornelius Nepos quoque Attico: *Cum æqualibus suis sic vixit, ut judicari difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus*. Sed usurpant etiam vocalam *ad* in talibus, dicuntque *facile ad credendum, difficile ad perficiendum*, quemadmodum nos dicimus, *leicht zu glauben, schwer zu glauben, schwer zu verrichten*. Quæ ne cui sint suspecta, en ex Auctoribus optimis earundem φάσεων exempla. Lucretius lib. II.

Sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum
Difficilis magis ad credendum constet. -- --

Cicero I. Tusc. *Quod non modo facile ad credendum*

est. Item lib. XI. ep. 11. ad Att. Θέσεις *meas commentari non desino: sed sunt quædam earum perdifficiles ad judicandum.* Rursus lib. III. de Off. *Hæc sunt ad judicandum facillima.* Et II. de Orat. *Materia facilis ad exardescendum.* Rursus epist. I. ad Brutum: *Multa ejus indicia, sed ad scribendum non necessaria.* Denique lib. I. de Divinat. *Quæ prætermittam, tibi enim nota sunt: mihi ad commemorandum non necessaria.* Ac de talibus Gallos quoque monendos putavit Henricus Stephanus; ne videlicet & ipsis sint suspecta, propterea quod & illi talem loquendi formam frequentant, dicuntque, *difficile à croire.* Vide librum ejus de Latinitate falso suspecta, cap. I.

Nominibus voluntatem aut facultatem significantibus si jungenda sint ipsa verba quibus actio quædam exprimitur, solet id fieri intercedente vocula *zu.* Dicimus enim, *den willen haben einen umzubringen, gelegenheit haben etwas zu thun.* Latini vero in talibus Gerundiis suis in *Di* utuntur. Cicero I. de Orat. *Habere voluntatem nocendi.* Sed utuntur tamen etiam vocula sua *ad* dicuntque *habere voluntatem ad nocendum.* Cicero pro Fontejo: *Quantum voluntatem habeat ad hunc opprimendum.* Sic *argumentum ad scribendum* dicunt pro *argumentum scribendi.* Cicero lib. IX. ep. 6. ad Att. *Extremum est, ut tibi argumentum ad scribendum fortasse jam desit.* Alibi passim dicit *argumentum scribendi.* Pari modo dicunt *causa ad objurgandum.* Terentius Andr. Act I. sc. 1. *Non satis ad objurgandum causæ.* Ibidem: *Ne hæc quidem satis vehemens causa ad objurgandum.* Sed ibidem loquitur & sic: *Et nunc id operam do, ut per falsas nuptias vera objurgandi causa fit.* Antea dixerat *Causa ad objurgandum:* nunc autem dicit, *causa objurgandi.* Cicero sæpe quoque dicit *facultas ad faciendum*, pro *facultas faciendi.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0172
DFG

endi. Ut pro Font. *Ne irato testi facultas ad dicendum data videatur.* Et pro Cluent. *Tamen multæ mihi postea ad satisfaciendum facultates dabuntur.* In epp. ad Att. *His ego duobus generibus facultatem ad se ære alieno liberandos dedi.* Ad eum modum & Cæsar lib. I. de Bell. Gall. *Idque oppidum natura loci sic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem.* Idem Cæsar III. de B. Civ. *Ut Cæsar aliquam ad insequendum facultatem haberet.* Cicero rursus de Amic. *Quin etiam necesse erit cupere & optare, ut quam sæpissime peccet amicus, quo plures det sibi tanquam ansas ad reprehendendum.* Viden *ansa ad reprehendendum* esse pro *ansa reprehendendi.* Similiter Seneca *occasio ad se proferendum* dicit pro *occasio ad se proferendi.* Verba ejus cap. III. de tranq. an. *Ut scias & in afflicta republica esse occasionem sapienti viro ad se proferendum.* Eadem ratione *cupiditas ad venandum* dicit Curtius. Verba ejus sunt lib. IX. c. 1. *Tantam in illis animalibus ad venandum cupiditatem ingeneravisse naturam.* Vocabula quæ significant tempus, eodem modo constructa reperiuntur. Cicero Orat. V. in Verr. *Etiamsi spatium ad dicendum nostro commodo, vacuosque dies habuissemus, tamen oratione longa nihil opus fuisse.* Justinus lib. VIII. cap. 5. *Sed neque spatium erat instruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia: & Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio.* Hic *tempus ad contrahenda auxilia* nihil aliud est quam *tempus auxilia contrahendi.* Sic & Terentius *ætas ad ducendum* dixit pro *ætas ducendi.* Phormionis Act. II. sc. 3. *Tua jam præterierat ad ducendum ætas.* Sæpe quoque legitur, *sumere tempus ad aliquid faciendum.* Cæsar lib. I. de B. Gall. *Legatis respondit, diem se ad deliberandum sumpturum.* Cicero lib. IV. de fin. *Spatium sumamus ad cogitandum.* Idem ad

Quint. Fr. *De interpellatione tantum sumam a vobis temporis ad scribendum quantum dabitis.* In quibus proximis vocula *ad* non negligi aut omitti posse videtur; quomodo sane in alteris poterat. Quod Terentius dicebat *causa ad objurgandum*, pro eo utique dici potest, & Terentius quoque dixit, *causa objurgandi.* Sic & quod Cicero scripsit *dare ansas ad reprehendendum* pro eo recte dicetur *dare ansas reprehendendi.* Græci quoque in talibus præpositionem fere negligunt, & nomini substantivo voluntatem aut facultatem significanti solum infinitivum cum articulo secundi casus adjungunt, dicuntque exempli causa ἐπιθυμία τοῦ ποιεῖν *cupiditas faciendi.* Sed interdum tamen præpositionem & ipsi interponunt. S. Paulus Phil. I, 23. Ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι *desiderium habens ad migrandum*, *ad discedendum.* Epistolæ ad Rom. cap. XV, 23. sine præpositione scripsit, Ἐπιποθίαν ἔχων τοῦ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, *desiderium* vel *cupiditatem habens veniendi ad vos.* In epistola ad Hebr. cap. XI. v. 11. scriptum est δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε *facultatem ad emissionem seminis accepit*, pro eo, quod potuisset scribi, δύναμιν τοῦ καταβαλεῖν σπέρμα ἔλαβε, *facultatem emittendi semen accepit*, vel δύναμιν εἰς τὸ καταβαλεῖν ἔλαβε, *facultatem ad emittendum semen accepit.* Nimirum nomen καταβολὴ positum ibi pro verbo infinito καταβαλεῖν. Et discrepantia sane levis est. Verbum infinitivum enim vim plane nominis substantivi habet, & sæpe pro eo usurpatur.

Quomodo nos dicimus *zudem*, cum efferendum est Latinorum *præterea*, *insuper:* ita & Latini nonnunquam dicunt *ad hoc.* Vellejus Paterculus lib. II. *Pluribus quam decem veteranorum millibus, ad hoc magno voluntariorum numero.* Auctor Orationis I. ad C. Cæsarem de rep. ord. *Ad hoc providendum*

dum est, quonam modo Italia atque provinciæ tutiores sint. Plinius Paneg. *Ad hoc audiebas senatus populique consensum.* Quandoque *ad hoc* idem est quod *ad hunc finem.* Ulpianus, ut est in l. I. Digest. de quæst. scripserat sic: *Si servus ad hoc erit manumissus, ne torqueatur: dummodo in caput Domini non torqueatur, posse eum torqueri divus Pius rescripsit.*

Cum demonstrandum est tempus, quo factum sit quippiam, dicimus *zu derselben zeit.* At Latini nudo fere casu sexto utuntur, dicuntque *eo tempore.* Sed usurpant tamen & hic voculam suam *ad*, dicuntque *ad id tempus*, pro *eo tempore.* Quod ne cui sit suspectum, en auctoritatem ipsius Cæsaris. Libro I. de B. Civ. habet ille sic: *Quem Cæsar ad eum remittit cum mandatis; quoniam ad id tempus colloquendi facultas non fuerit, atque ad se Brundisium sit venturus, interesse Reip. & communis salutis, se cum Pompejo colloqui.* Ad eundem modum Virgilius in Culice *solitum ad tempus* dixit pro *solito tempore.* Verba ejus sunt: *Nam solitum volvens ad tempus tractibus iisdem Immanis serpens.* Cicero in epist. ad Att. *Tu quoniam iturum te in Asiam esse putas, ad quæ tempora te expectem, facias me certiorem velim*, pro *quibus temporibus te expectem.* Nec mirum sane Latinos hic quoque vocula sua *ad* uti. Nam & alias, cum certam diem designant qua aliquid factum aut futurum sit, dicunt *Ad eam diem.* Cicero pro Rosc. Am. *Opinor esse in lege, quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant, nimirum ad Cal. Junias.* Ceterum dicunt etiam *ad diem* sine pronomine: quod idem est quod *ad præstitutam diem.* Cicero IV. in Ver. *Quando illa frumentum quod deberet, non ad diem dedit.* Dicunt etiam *ad tempus*, non addito itidem pronomine. Quæ quidem

dem ῥῆσις non unam, sed multiplicem vim habet. Primo est idem quod *tempore constituto*, aut *præstituto*. Cicero in epp. ad Att. *Sæpe ii qui debent, non respondent ad tempus.* Salustius B. Jugurth. *Is postquam magnitudine facinoris percussus ad tempus non venit.* Nostri dicunt, *zu bestimter zeit.* Deinde *ad tempus* etiam idem est quod *oportune*, & quod nos dicimus *zu rechter zeit, zu gelegener zeit.* Tertio idem est quod *ad aliquod tempus*, & quod nos dicimus *auf eine zeit, eine zeit lang:* ubi tum vocula *ad* non sic ut in prioribus nostræ voculæ *zu* respondet. Cicero de Off. *Perturbatio animi quæ plerumque brevis est & ad tempus.* Denique *ad tempus* idem etiam est quod *secundum tempus, prout tempus fert.* Plancus in Ep. ad Cic. *Ad tempus consilium capiam.*

Porro notetur quod dicunt *coquere ad nuptias* ut nos *zur hochzeit kochen.* Plautus Aulularia: *Venimus coctum ad nuptias.* Pari modo, *argentum dare ad nuptias.* Terentius Heaut. Act. IV. sc. 5. *Argentum dabitur ei ad nuptias.* In his talibus vocula *ad* denotat usum. Qua notione dicunt etiam *conferre pecuniam ad aliquid.* Cicero V. in Verr. *Unum, inquam, da mihi ex illis aratoribus, qui vel ad statuam pecuniam contulerunt, qui sibi dicat pro frumento omne esse quod oportuerit solutum.*

Dicunt etiam *Ad paupertatem accessit infamia*, pro *Præterquam quod pauper fuit, etiam infamiæ notatus fuit*: & habet illud Plautus in Persa. Pari modo Terentius in Andria: *Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam.* Corn. Nepos Epamin. *Ad corporis firmitatem plura etiam animi bona accesserant.* i. e. *præterquam quod habebat firmitatem corporis, etiam plura animi bona habebat.* Cicero pro Planc. dicit *ad reliquos labores etiam hanc molestiam assumere.* Verba ejus sunt: *Equidem ad reliquos labores, quos in hac*

in hac causa majores suscipio quam in ceteris, etiam hanc molestiam assumo.

Notetur denique quod dicunt *ad voluntatem loqui*, quomodo nos *zu willen, zugefallen reden.* Tullius pro Quintio: *Fatetur se non belle dicere: non ad voluntatem loqui posse.* Cæsar lib. de B. Gall. *Si qua res non ad nutum aut ad voluntatem ejus facta sit.* Ubi apparet *ad* poni pro *secundum:* nec in his posterioribus vertendis nostra vocula *zu* uti possis; sed vertendum potius sic fuerit, *Wo etwas nicht nach seinem willen geschehen wäre.*

Porro & de quibusdam voculæ *apud* usibus videamus. Ut quod dicunt *Est mihi fides apud illum*, quomodo nos dicimus *ich habe glauben bey ihm*, pro *ille mihi credit* vel *fidem habet.* Fides quam quis apud alterum habet, non est in habente illo; sed est in altero, apud quem habet. Et tamen non ille alter fidem illam habere dicitur. Plinius Amphitr. Act. II. sc. 1. *Jam tuatim facis, ut tuis nulla apud te sit fides.* Nostri dicerent, *Du machst es nach deiner art, daß deine knechte gar keinen glauben bey dir haben.* Terentius Phorm. Act. V. sc. 3. *Itane parum mihi fidem esse apud te.*

Deinde notentur ista, *aliquid valere apud aliquem, plurimum posse apud aliquem, nihil valere apud aliquem.* Cicero l. XI. ep. 11. ad Att. *Si aliquid apud te valet gener tuus.* Cæsar lib. I. de B. Gall. *Plurimum poterat apud Sequanos gratia & auctoritate.* August. contra ep. Manich. c. 5. *Nihil apud me valebit, quicquid inde protuleris.* Seneca ep. LXXII. *Si quid habeo apud te auctoritatis.*

CAPUT XXI.

De præpositionum in *&* inter *usibus falso suspectis.*

VOculæ *in* quoque usus aliqui suspecti esse posse videntur. Ut quod dicunt *in pueritia*, *in adolescentia*, *in senectute*, quomodo nos *in der kindheit*, *in der jugend*, *in alter*. Plautus in Mercatore: *Amavi equidem ego olim in adolescentia.* Item Bacchid. Act. III. sc. 3. *Feci ego isthæc itidem in adolescentia.* Cornelius Nepos Attico: *Qua ex re in pueritia nobilis inter æquales ferebatur.* Item Phocione: *Adversus populi commoda in senectute steterat.* Alibi vocalem *in* omittit. Ut in de Regibus: *Darius senectute diem obiit supremum.* Dicunt alias, *Ille fecit hoc adolescens*, *fecit hoc puer*, pro *cum esset adolescens*, *cum esset puer*. Corn. Nepos Att. *Nullo ille adolescens æquali familiarius usus est quam hoc sene.* Item: *Humanitatis vero nullum afferre majus testimonium possum*, *quam quod adolescens idem seni Syllæ fuerit jucundissimus*, *senex adolescenti M. Bruto.* Cicero pro Arch. *Nam & Cimbricas res adolescens attigit.*

Porro notetur quod dicunt *in absentia*, uti nos *in abwesen*. Curtius lib. VI. *Qui præsentes metuunt*, *in absentia hostes erunt.* Alias dicunt *Absens hoc facit* pro *in absentia hoc facit.* Justinus dicit *per absentiam ejus* pro *in absentia ejus*, *illo absente.* Libro XXXIX. cap. 9. *Regnum Syriæ*, *quod per absentiam ejus Trypho occupaverat*, *restituturum promittit.*

Dicunt etiam *in lætitia degere diem*, quomodo nos *den tag in freuden zubringen*: & *in magna paupertate decedere*, quomodo nos *in grosser armuth sterben.* Corn. Nepos in Arist. *In tanta paupertate decessit*, *ut*, *qui efferretur*, *vix reliquerit.* Item Phoc. *Difficile est in summa paupertate paternam tueri gloriam.* Terentius

rentius Adelph. Act. IV. sc. 1. *Hunc diem misere nimis perpetuum, ut cœpi, cupio in lætitia degere.*

Observandum quoque quod dicunt *ter in anno, ter in die*, quomodo nos *dreymahl im jahr, dreymahl im tage*: Cicero pro S. Rosc. *Unde vix ter in anno audire nuncium possunt.* Cato de re rust. cap. 89. *Bis in die farciat, & meridie bibere dato.* Plaut. Stich. Act. III. sc. 2. *Decies in die mutat locum.* Quandoque voculam *in* omittunt; præsertim Poëtæ. Virgilius Eccl. III. *Bisque die numerant ambo pecus.* Sic & Ecl. II. *Bina die siccant ovis ubera.*

Sed & de cetero nominibus temporis voculam *in* adjiciunt, dicuntque exempli gratia *in brevi spatio*, quomodo nos *in kurtzer zeit*. Habet id Suetonius in Tiberio. Qui idem & in Julio Cæsare dicit, *In tam diuturno spatio*, quomodo nos *in so langer zeit*. Dicunt etiam *hoc in tempore, eo in tempore, in his diebus*. Corn. Nepos Milt. *Hoc in tempore nulla civitas Athenienſibus auxilio fuit præter Platæenses.* Suetonius in Claudio dicit *in tempore hiberno*. Plautus Capt. Act. I. sc. 2. *Illum confido domum in his diebus me reconciliaſſere*, i. e. *domum reducem facturum.* Salustius B. Jugurth. *Ii decrevere, ni regnum ipsumque deditum veniſſent, uti in diebus proximis decem Italia decederent.* Nostri, *in den nechsten zehn tagen.* Terentius Andria: *In diebus paucis, quibus hæc acta sunt, Chrysis moritur.* Nostri, *in wenig tagen stirbet die Chrysis.* Catullus: *Si reditum retuliſſet is haud in tempore longo.* Sæpe quoque vocula *in* omittitur, ac modo subaudienda relinquitur. Catullus:

Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dii favent, diebus.

Plautus in Pœnulo: *Aruspex dixit paucis diebus nos fore liberas.* Propertius: *Venturum paucis me tibi Luciferis.* Item:

At

At tu etiam juvenem spernis me perfida, cum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die.

Sed Paschasius Grosippus, id est, Caspar Scioppius, uti Mariangelus a sano Benedicti in Auctario ad Grammaticam Scioppii philosophicam, & quidem in epistola ad Lucam Holstenium, scribit, in istis proximis voculam *in* idem quod *post* esse putavit. Quod quidem nobis verum non videtur. Sint potius *in paucis diebus*, *in tempore haud longo*, *in die haud longa*, pro *intra paucos dies*, *intra tempus haud longum*, *intra diem haud longam*. Sane ipsam phrasin *intra paucos dies* habet Livius. Quidni ergo credamus, *in paucis diebus* dictum potius esse pro *intra paucos dies*, quam *post paucos dies?* Deinde in verbis Salustii quæ paulo ante produximus, *in diebus proxumis decem* manifeste est pro *intra dies proxumos decem*. Debuerunt non post dies proxumos decem; sed omnino intra totidem dies Italia decedere.

Vocula *inter* quoque usus quosdam habet qui nostris hominibus suspecti esse possunt. Exempli gratia quod nos dicimus *ich habe unterwegs daran gedacht*, id an Latine efferre liceat sic, *cogitavi de eo inter vias*, multi dubitent. Verum enim vero nihil errabit qui sic locutus fuerit. Plautus Aulul. Act. II. sc. 8. *Deinde egomet mecum cogitare inter vias occepi: festo die siquid prodegeris, profesto egere licebit, nisi peperceris.* Item Pœnuli Act. V. sc. 3. *At ne inter vias præterbitamus, metuo.* Terentius item Eun. Act. IV. sc. 2. *Cœpi mecum inter vias aliquam rem ex alia cogitare.* Est autem *inter vias* nihil aliud quam *in via:* & *inter* idem hic valet quod *in*. Sic & sæpe alias *inter* pro *in* ponitur. Plautus Cist. Act. II. sc. 1. *Inter novam rem verbum usurpabo vetus.* Idem Trucull. II. 6. *Inter tot dies quidam hercle jam actum aliquid oportuit.* Cæsar lib. I. de B. Gall. *Quod*

invicti

invicti Germani, exercitatissimi in armis, qui inter annos quatuordecim lectum non subiissent, possint. Tullius pro L. Manil. *Qui inter tot annos unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant.* Et pro Qnintio: *Qui inter tot annos ne appellavit quidem Quintium.* Gellius Noct. Att. lib. XIII. cap. 7. *Lænas inter omnem vitam semel parere Herodotus in tertia historia scriptum reliquit.* Idem lib. IX. cap. 4. *Plus cernunt oculis per noctem, quam inter diem.* Ubi *inter diem* nihil est aliud quam *in die, de die, per diem;* & quod nos dicimus *bey tage.* Atque ex ipsis illis vocibus *inter diem*, facta est vox composita *interdiu:* ita quidem ut aliqua etiam vocis corruptio sit facta. Nam pro accusativo *diem* posuere *diu.* Pari modo cum ex *quotquot* facerent *quotidie*, componendo voces, nonnihil eas & corruperunt. Plauti ævo dixerunt & *interdius:* qua quidem voce ille usus est non semel.

Quod nos dicimus *unter dem essen, unter der mahlzeit*, id Latini dicunt *inter cœnam.* Cicero ad Quint. lib. III. ep. 1. *Hæc inter cœnam Tironi dictavi.* Sic & Philipp. II. Est autem *inter cœnam* nihil aliud quam *in cœna.* Qui vocula *inter* usus apud Latinos plane frequens est. His quæ jam congessimus addi potest illud Plauti Stich. Act. I. sc. 3. *Quod autem prandia! quæ inter continuum perdidi triennium.* Titinnius: *Quæ inter decem annos nequisti unam togam detexere.* Tibullus: *Atque hæc seu nostras inter sunt cognita terras.* Lucanus Paneg. ad Pisonem: *Mira subest gravitas inter fora.* Vide Ioh. Phil. Paræi Lexicon Plautinum voce *inter.* Sed nostrum *unter* non usquequaque respondet. Tantum quod Latini dicunt *inter vias* & *inter cœnam*, id Germani dicunt *unter weges*, & *unter der mahlzeit.* Quod autem dicunt *inter triennium*, & *inter decem annos*, id nostri non

non dicunt *unter drey jahren, unter zehen jahren*; sed *in drey jahren, in zehen jahren.*

Sed videamus & plura in quibus vox latina & nostra sibi invicem respondent. Dicimus nos *etwas unter händen haben.* Ad eundem modum Latini *inter manus habere.* Plinius lib. V. ep. 5. *Occurrunt animo mea mortalitas, mea scripta. Nec dubito, ne quoque eadem cogitatione terreri pro istis quæ inter manus habes.* Ceterum dicunt etiam *habere opus in manibus*; ut supra ad verbum *habere* monuimus. Notetur vero & ille usus quo dicitur, *inter manus aliquem abripere, auferre, domum referre.* Cicero V. in Verr. *Ut alius inter manus e convivio tanquam e prælio auferretur.* Plautus Most Act. II. sc. 1. *Abripite hunc intro actutum inter manus.* Phædrus de tibicine qui crure fracto domum ablatus fuit: *Inter manus sublatus & multum gemens domum refertur.*

Quomodo nos dicimus *Wir haben unter uns davon geredet:* ita Latini, *Nos inter nos ea de re locuti sumus.* Cicero ep. ad Att. *De ea re nos inter nos locuti sumus.* Et alibi: *Ut nosmetipsi inter nos conjunctiores simus.* Dicimus nos quoque *unter einander*, ubi Latini *inter nos, inter vos, inter se.* Ex causa, *Wir haben uns untereinander geliebet, ihr habet euch untereinander geliebet, sie haben sich untereinander geliebet.* Quæ latine sic effere licet, *Amavimus inter nos, Amavistis inter vos, Amaverunt inter se.* Cicero lib. I. de Divin. *Nosque inter nos esse complexos.* Item de Amic. *Neque solum colent se inter se ac diligent, verum etiam verebuntur.* Sed plerumque prius *se* omittitur, diciturque *Colent inter se, diligent inter se.* Cicero de Nat. D. *Dii inter se diligunt.* Et in Epistolis ad Att. *Cicerones pueri amant inter se.* Sic &, cum pro *inter se* ponitur *invicem*, pronomen reciprocum *se* vel additur, vel omittitur. Justinus

lib.

lib. XI. c. 9. *Conspectis armatis invicem se amplexæ velut statim morituræ complorationem ediderunt.* Potuisset etiam dicere *Invicem amplexæ.* Ad hunc modum enim alibi *Invicem metuentes* pro *se invicem metuentes* dicit.

De voce *intra* notetur, quod dicant *intra paucos dies*, quomodo nos *innerhalb wenig tagen.* Et habet id alicubi Livius. Pari modo Plautus, *intra viginti dies:* & Plinius, *intra hos proximos decem annos.* Supra quoque in pag. 150. ex Paterculo citavimus: *Cum intra quinque consummati tanti operis dies funestæ ex Germania epistolæ.* Sed pro *intra* quandoque usurpant *in*, & pro *intra paucos dies* dicunt *in paucis diebus*; ut paulo ante contra Casp. Scioppium, & Mariangelum a fano Benedicti, monuimus.

CAPUT XXII.

De præpositionum pro, præ *&* ante *usibus falso suspectis.*

VOcula *pro* quoque nostris subinde suspecta est. Ut si dicatur *pro certo habere, pro certo scire, pro certo dicere*, quomodo nos *vor gewiß halten, vor gewiß wissen, vor gewiß sagen.* At enim ipsi veteres passim ita sunt locuti. Cicero ep. V. ad Brutum: *Non nunciabatur quicquam quod pro certo haberemus.* Et lib. VIII. ep. 4. ad fam. *Nunciatum nobis, & pro certo jam habetur.* Rursus lib. II. de Nat. Deorum: *Nec enim hunc ipsum mundum pro certo rotundum esse dicitis.* Terentius Adelph. Act. III. sc. 4. *Pro certone tu istæc dicis?* Dicunt etiam *pro certo putare, pro certo polliceri, pro certo negare, pro certo credere, pro certo sumere, pro certo concedere, pro certo scribere, pro certo ponere.* Cicero l. IX. ep. 18. ad Att. *Nunciatum est nobis Cæsarem ad VIII. Kal. Capuæ*

(mansu-

(manſurum) *hoc pro certo putamus.* Item Orat. II. in Rullum: *Pro certo polliceor hoc verbis atque confirmo.* Livius lib. VIII. ſimili forma dicit, *Pro haud dubio habitum eſt.* Porro ut nos dicimus *vor nichts halten:* ita Latini *pro nihilo putare, pro nihilo habere.* Cicero lib. de Divinat. *Idque viſum pro nihilo habendum eſſe dixiſſet.* Item Philipp. X. *An vero hoc pro nihilo putas, efferri hoc foras, & ad Reip. aures pervenire?* Item Philipp. XIII. *Nos pro nihilo putavit.* Phraſin alteram habet in Philipp. I. Plautus Perſ. Act. IV. ſc. 4. dicit *pro nihilo ductare,* id eſt, *ducere. Omne ego pro nihilo ducto,* inquit, *quod fuit quando fuit.* Ceterum *pro nihilo ducere* habet quoque Cicero IV. in Verr. Sed voculæ *pro* variæ quoque aliæ voces junguntur, cum ſignificanda eſt exiſtimatio. Dicunt nim. *pro ſtercore habere:* quod Plautus habet in Truculento. Item: *pro indigno habere, pro dedecore habere, pro ſupervacaneo atque inutili habere, falſa pro veris habere, rem non factam pro facta habere, pro hoſte habere, pro beneficio habere,* & infinita id genus alia. Cicero lib. V. ep. 20. ad Fam. *Rem non factam pro facta habeo.* Et lib. XII. ep. 1. ad Att. *Jam iſtuc pro facto habeo.* Item ep. XVI. ad Brut. *An hoc pro beneficio habendum?* Livius l. X. *Quin alter conſul pro ſupervacaneo atque inutili habebatur.* Iem lib I. habet *pro indigno habere:* & lib. II. *pro hoſte habere:* alibi vero *fœdus habere pro rupto.* Sic & per alterum verbum dicunt *pro prætura putare, pro ridiculo putare.* Cicero XI. Philipp. *Beſtia damnationem pro præturaputat.* Et pro Milone: *Vulnus quod acu punctum videatur, pro ictu gladiatoris putari.* Terentius Heautont. Act. V. ſc. 1. *Qui ſibi me pro ridiculo & delectamento putat.* Pertinet huc etiam phraſis *pro felici aſpicere,* quam jam ſupra pag. 101. attigimus. Seneca in libro de gubern. m. dicit, *Quos pro felicibus aſpicitis*

aspicitis pro *quos pro felicibus habetis* aut *putatis*. Est quoque hujus generis quod Livius alicubi dicit *pro comperto afferre:* & Cicero lib. V. Tusc. *pro concesso sumere:* id quod respondet nostro *für bekant annehmen.*

Porro quod dicimus *Das ist für mich*, id Latini similiter efferunt *Hoc est pro me.* Cicero III. de Orat. *Hoc non modo non pro me, sed contra me est potius.* Curtius lib. IV. *Quæ antea pro illis erant, in contrarium conversa sunt.* Item lib. VII. *Ut solum pro eo esset quod maxime læserat.* Atque ea de re Henricus quoque Stephanus in pag. 252. sui de Latinitate falso suspecta libri monendos putavit Gallos suos; ne videlicet suspectum habeant si quis Latine dicat *Hoc est pro me*, quomodo ipsi *Ceci est pour moy.*

Dicunt etiam *pro aliquo loqui, pro aliquo rogare, pro aliquo disputare, pro aliquo curam habere*, uti nos *für einen reden, für einen bitten, für einen sorgen.* Livius lib. II. *Consul pro gente loquitur.* Cicero pro Marc. *Ut pro aliis loquar, de me ipse sentio.* Item lib. III. de Orat. *Pro omnibus & contra omnes disputare.* Vegetius lib. II. cap. 20. *Miles qui sumptus suos scit apud signa depositos, de deserendo nil cogitat, magis diligit signa, pro illis in acie fortius dimicat, more ingenii humani, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus suam videt positam substantiam.* Plinius lib. X. ep. 2. *Ex rescripto intelligo, libentius hoc ei te præstitisse, quia pro me rogabat.*

Cum scire volumus quanti emptum quippiam sit, dicimus *Wie viel hast du dafür gegeben.* Ad quem modum Plautus Mostell. Act. III. sc. 2. dicit, *Tres minas pro istis duobus* (postibus) *præter vecturam dedi.* Interrogatum fuerat, *Quanti hosce* (postes) *emeras?* Ad quod responderi potuisset, *Emi tribus minis.* Verum responsum est convenienter

noſtræ linguæ, *Tres minas pro iſtis duobus poſtibus dedi.* Henricus Stephanus pag. 252. ſui de Latinitate falſo ſuſpecta libri ex eodem Plauto citat, *Pecunia pro aſinis.* Dicunt etiam *tres minas pro aliquo poſcere*, cui itidem nos gemina habemus. Plautus Curc. Act. I. ſc. 1. *Alias me poſcit pro illa triginta minas, alias talentum magnum.* Notentur vero & hæc, *pignus pro aliquo relinquere, pignori pro aliquo ponere.* Idem Plautus Capt. Act. V. ſc. 2. *Poſtulo abs te, ut mihi illum reddas ſervum, quem hic reliqueram pignus pro me.* In eadem comœdia eſt, *Et meam eſſe fidem pro te poſitam pignori.*

Dicimus nos *er iſt vor todt liegen blieben, vor todt weggetragen.* Et pari modo Latini *pro occiſo relictus eſt, pro occiſo aſportatus eſt.* Quorum prius ipſe Cicero habet in Oratione pro Sextio. Qua de re Henricus quoque Stephanus in prædicto libello ſuo Gallos monuit; ne videlicet ſuſpectum habeant, ſi quis latine dicat, *Pro occiſo relictus eſt*, quomodo ipſi, *Illa eſté laiſſé pour mort.* Addit quoque, illud *pro occiſo* perinde eſſe ac ſi diceretur *tanquam occiſus*: quod ſane & verum eſt. Sic & quod Terentius in Eunucho dicit, *Eduxit mater pro ſua*, & in Adelphis, *Eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo*, in iis, *pro ſua & pro meo* idem ſunt quod *tanquam ſuam, tanquam meum.* Pari modo dicunt *uti pro ſuo* pro *uti tanquam ſuo.* Terentius Prol. Andr. *Quæ convenire, in Andriam ex Perinthia fatetur tranſtuliſſe, atque uſum pro ſuis.*

De vocula *præ* hic notetur, quod notet etiam cauſam, quæ aliquid impediat: dicaturque *præ ira, præ gaudio, præ metu, præ lacrymis*, quomodo nos *für zorn, für freuden, für furcht, für thränen.* Cicero pro Mil. *Sed finis ſit, neque enim præ lacrymis loqui poſſum*, i. e. propter lacrymas loqui non poſſum,

lacrymæ

lacrymæ impediunt, ne loqui possim. Terentius Heaut. Act. V. sc. 1. *Præ iracundia non sum apud me.* Alibi: *Præ gaudio, ubi sim, nescio.*

Voculæ *ante* quoque usus aliquot notandi sunt. Ut quod dicunt *ante omnia*, quomodo nos *vor allen dingen:* & *amare aliquem ante alios*, quomodo nos *einen für andern lieben*: & id genus alia. Virgilius Eccl. II.

-- -- *Pallas quas condidit arces,*
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia sylvæ.

Plinius lib. X. ep. 7. *Impense rogo, ut Actium Suram prætura exornare digneris, cum locus vacet, ad quam spem alioqui quietissimum hortatur natalium splendor, & summa integritas in paupertate, & ante omnia felicitas temporum.* Rursus Virgilius Ecl. III. *Phyllida amo ante alias.* Cornelius Nepos Attico: *Unus ante alios fuerit carissimus.* Passim quoque dicunt *ante oculos esse, ante oculos proponere, ante oculos habere, ante oculos se offerre.* Nepos Chab. *Non libenter erat ante oculos civium suorum.* Livius lib. II. *Proponam tibi ante oculos mortem ejus.* Et l. V. *Ante oculos habeo urbem.* Dicunt etiam *ante pedes esse.* Terentius Adelph. Act. III. sc. 4. *Isthuc est sapere, non quod ante pedes modo est, videre, sed etiam illa quæ futura sunt prospicere.* Notetur quoque quod dicunt *statuam esse ante januam alicujus:* quod nos dicimus, *vor jemandes thür stehen.* Nepos Alcib. *Hermes qui ante januam Andocidis erat.*

CAPUT XXIII.

Adhuc de usibus præpositionum falso suspectis.

VOculæ *cum* quoque usus quosdam videamus. Ut quod dicunt *cum luce, cum prima luce, cum ortu solis, cum occasu solis*, quomodo nos *mit dem tage, mit der sonnen aufgang, mit der sonnen niedergang.*

Virgilius lib. VII. *Primo cum lumine ſolis.* Plautus Ciſtell. Act. II. ſc. 1. *Poſtea autem cum primo luci cras niſi ambo occidero.* Ubi *luci* eſt pro *luce*, ut *parti* pro *parte*. Deinde *lux* genere maſculino uſurpatum per archaiſmum: quomodo & alibi idem Plautus habet *luce claro*. Ceterum & Terentius Adelph. Act. V. ſc. 3. habet, *Ceterum rus cras cum filio cum primo luci.* Ubi tamen alii legunt *primo lucu*, aut *prima luce*. Cæſar absque vocula *cum* dicit *prima luce*. Rurſus voculam iſtam addit Saluſtius B. Jugurth. quod dicit: *Legionem cum qua hiemabat, & quam plurimos poteſt Numidas equites pariter cum occaſu ſolis expeditos educit.* Item: *Jamque nocturno itinere feſſis omnibus, Sulla pariter cum ortu ſolis caſtra metabatur.* Qua forma idem Saluſtius ibidem dixit etiam, *Pariter cum capta Thala legati venerunt.* Et videtur illud *pariter* Græcum ἅμα referre, cum Græci dicunt ἅμ' ἡμέρᾳ διαφωσκούσᾳ. Lucilius, ut eſt apud Diomedem Grammaticum, dixit *Cum mane expergitus*, pro *cum luce* vel *cum prima luce expergitus.*

Porro notetur quod dicunt *partiri cum aliquo*, *dividere cum aliquo*, quomodo nos *mit einem etwas theilen.* Horatius lib. II. Satyra 5.

Sic tibi Penelope frugi eſt: quæ ſi ſemel uno
De ſene guſtarit, tecum partita lucellum,
Ut canis a corio nunquam abſterrebitur uncto.

Seneca ep. 89. *Quid mihi prodeſt ſcire agellum in partes dividere, ſi neſcio cum fratre dividere?* Juſtinus lib. VI. *Tunc vectigal publicum, cum urbano populo dividi cœptum eſt.*

Denique notetur, quod non tantum dicant *magna cura*, *ſumma fide aliquid agere*, ſed & vocula *cum* addita dicant *cum magna cura*, *cum ſumma fide*, quomodo nos *mit groſſem fleis*, *mit hochſter treue.* Livius lib. XLIV. *Pacem cum ſumma fide adverſus eum coluimus.*

imus. Idem lib. II. *Speculatur omnia cum cura.* Seneca ep. XC. *Alia hamis, alia laqueis, alia retium variis generibus cum magno labore persequitur* (gula.) Pari modo dicunt *orare cum lacrymis, disputare cum iracundia.* Cicero I. de fin. b. & m. *Neque disputari sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinacia recte disputari potest.* Livius lib. V. *Orare cum lacrymis cœperunt.*

Accedamus porro ad vocem *super*, quæ & ipsa varios usus habet qui suspecti esse possunt. Et primo quidem notandum, quod dicant *Milites fuerunt super mille*, quomodo nos, *Es sind über tausend Soldaten gewesen.* Suetonius Aug. c. 35. *Erant super mille* (senatores) Et cap. 38. *Super triginta ducibus justos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit.* Idem Jul. Cæs. cap. 34. *Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos super bina sestertia dedit.* Tacit. lib. III. Annal. *Ruminalis arbor in comitio, quæ super octingentos & quadraginta annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus & arescente trunco deminuta.* Atque hunc vocularum *super* usum non notavit in Indice suo Vir clarissimus, qui tum in istum Auctorem, tum in alios quosdam elegantes Indices fecit. Et sunt sine dubio infinita adhuc alia in Indice isto omissa. Quæ si ceteris adjicere quis vellet, quomodo nos in Indice in Cornelium Nepotem fecimus, studiis literarum non male is consuleret. Neque vero verendum ei adeo erit, ne malam gratiam initurus sit opera sua, quomodo nos nostra intelleximus iniisse ab his qui Indicem in Cornelium Nepotem primi adornarant, maluissentq; eum imperfectiorem quam nunc est semper manere, quam commodo juventutis a nobis quicquam ei adjici. Quod ad vocem Græcam ὑπὲρ attinet, unde vox Latina *super* originem

nem trahit, nihil dubitandum videtur, quin & illa Scriptores Græci ita usi fuerint, quomodo Latina *super* Suetonium atque Tacitum usos esse ostendimus: quanquam exempla ejus in præsentia quidem non succurrunt. Ceterum vocis ἐπάνω, quæ Latinæ *supra* respondet, ita usurpatæ exempla proferre sane habemus. Marci XIV. 5. Ἠδύνατο τοῦτο πραθῆναι ἐπάνω τριακοσίων δηναρίων. *Poterat hoc vendi trecentis amplius denariis.* Item 1. Cor. XV. 6. Ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς. *Apparuit plus quingentis fratribus.* Nimirum Latini plurimum ad exprimenda talia vocibus *plus*, *magis*, *amplius* utuntur. Terentius Adelph. Act. II. sc. 1. *Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.* Item Heautontimorumeno: *Ancillas secum adduxit plus decem.* Sed in talibus aliquid est subaudiendum: & *plus quingentos colaphos* dictum pro *plus quam quingentos colaphos.* Deinde *plus quam quingentos colaphos* est pro *plures quam quingentos colaphos.* Eadem vocula *quam* subaudienda quoque sæpissime est, cum voces *magis* & *amplius* usurpantur. Cicero pro Rosc. *Annos natus magis quadraginta* pro *annos natus magis quam quadraginta.* Corn. Nepos Pelopida: *Cum omnino non essent amplius centum* pro *amplius quam centum*: & hoc porro pro *plures quam centum.* Sic & in Datame, *Non amplius hominum mille:* & in Attico, *Non amplius quaternis versibus.* Subinde vero voculam *quam* idem Nepos diserte adjiciti. Ut in Phocione: *Nolo amplius quam centum jugera.* Et in Attico: *Non amplius quam terna millia æris.*

Porro notandus & ille vocabuli usus quod *super cœnam* dicunt pro *inter cœnam* vel *in cœna*, quomodo nos *über der mahlzeit.* Suetonius Aug. c. 77. *Non amplius ter bibere solitum eum super cœnam in castris apud Mutinam, Corn. Nepos tradit.* Item Vespasiano: *Recorda-*

Recordatus super cœnam. Plinius item lib. III. ep. 5. *Super cœnam liber legabatur.* Juvenalis Sat. XV. *Tale super cœnam facimus narraret Ulysses.* Curtius quoque lib. VI. *Hæc Hegelochus dixit super cœnam.* Qui idem in lib. VIII. dicit etiam *super vinum & epulas.* Et quod magis mirere, dicit quoque *super mensam*, quomodo nos *über tisch.* In qua φράσι non modo usus vocis *super*, sed & usus vocis *mensæ* suspectus esse potest. Et monuimus proinde de ipso quoque vocis *mensa* usu supra in capite tertio. Verba Curtii libro III. sunt: *Debellaturus* (Bessus) *super mensam Alexandrum.*

Illud quoque non negligendum, quod dicunt *stare super aliquem*, *sedere super aliquem*, quomodo nos *über einen stehen*, *über einen sizzen.* Sane Curtius lib. VIII. dicit: *Polypercon qui cubabat super regem.* Valerius Maximus lib. VIII. cap. 10. *Inhærent illi voci posterioris Africani, septem C. Marii consulatus, ac duo amplissimi triumphi. Qui cum apud Numantiam sub eo duce stipendia equestria mereret, & forte inter cœnam quidam Scipionem interrogasset, si quid illi accidisset, quemnam resp. æque magnum habitura esset: imperator ipsum respiciens supra se cubantem, Vel hunc dixit.* Phrasi *cubare supra aliquem* alluditur ad morem discumbendi veterum. Ceterum nihil vetat, quo minus, ut dixi, dicatur etiam *super aliquem sedere*, *super aliquem stare.* Suetonius August. cap. 43. dixit *collocare aliquem super se.* Verba ejus sunt: *Parthorum obsides, tunc primum missos, super se subsellio secundo collocavit.* Græci quoque suo ὑπὲρ sic utuntur. Josephus lib. XIX. Ἀρχαιολ. cap. I. Μινυκιανὸς ὑπὲρ τῦ Γαΐυ καθεζόμενος: *Minucianus super Cajum sedens.*

Illud quoque huc pertinet quod *super* subinde ponitur pro *præter*, & sic itidem nostro *über* respondet.

det. Plinius lib. V. ep. 5. *Nunciatum mihi est, C. Fannium decessisse. Qui nuncius gravi me dolore confudit: primum quod amavi hominem elegantem & disertum: deinde, quod judicio ejus uti solebam. erat enim natura acutus, usu exercitatus, varietate promptissimus. Angit me super ista casus ipsius. Decessit veteri testamento. omisit quos maxime diligebat: prosecutus est quibus offensior erat.* Justinus lib. IX. cap. 4. *Super hæc Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amicitiamque jungerent, Athenas misit.* Livius lib. II. *Super bellum annona premente.* Et lib. XXI. *Apud Romanos haudquaquam tanta alacritas erat, super cetera recentibus etiam territos prodigiis.* Suetonius Tib. c. 55. *Super veteres amicos ac familiares viginti sibi è numero principum civitatis depopposcerat.* Tacitus lib. II. Annal. *Cum super Agrippinam & Drusum & Claudium ceteri quoque consanguinei nominatim præscripti sint.* Item lib. II. Hist. *Super hos è prætorio auxiliisque mille equites ducebantur.*

Eadem fere vocis *super* vis est, cum dicunt *alia super alia*, quomodo nos *eines über das ander*. Plinius lib. VII. ep. 8. *Exprimere non possum, quam jucundum sit mihi, quod Saturninus noster summas tibi apud me gratias aliis super alias epistolis agit.* Idem Panegyrico: *Cum aliis super alias expeditionibus itinere illo munere aliquo dignus inveniretis.* Livius lib. III. *Quæ impie alia super alia es ausus.* Item: *Alii super alios trucidantur.* Et lib. IX. *Nec jam procul abesse alii super alios nunciarent.* Plautus dicit *suavia super suavia* pro *alia suavia super alia:* atque ita nomen substantivum geminat; vocem *alia* autem prorsus omittit. Verba ejus sunt in Pseudoli Act. IV. sc. 1. *Ibidem una aderit mulier, lepida, tibi savia super savia quæ det.* Cui geminum fere est

quod

quod S. Paulus ad Philipp. II. 27. Græce sic scripsit: Ινα μὴ λύπην ἐπὶ λύπῃ σχῶ, *ne tristitiam habeam ad tristitiam* vel *super tristitiam*. Item quod Philo alicubi scripsit, Κακὰ ἐπὶ κακοῖς ἀμύθητα. Nec multum discrepat quod Ælianus lib. IV. cap. 18. habet, πολλὰ ἐπὶ πολλοῖς ἐπιστείλαντος τῷ Διονυσίῳ, *Dionysio multa super multa mittente*, id est, ut Plinius loquebatur, *aliis super alias epistolis*.

Denique & ille vocis *super* usus huc revocandus est quem jam supra in pag. 119. ostendimus, cum de verbo *ponere* ageremus; quod nimirum dicunt *positus super armamentarium*, quomodo nos *über das zeughauß gesezt*. Verba Curtii in libro VI. sunt: *Cebalinus nobili juveni, Metron erat ei nomen, super armamentarium posito, quod scelus pararetur, indicat*. Eadem notio vocis *super* est quod Inscriptio vetus apud Gruterum habet *superposito medicorum* pro *posito super medicos*. Item quod aliæ Inscriptiones habent *supra velarios* pro eo qui est positus super velarios, seu qui velariis est præpositus: & *supra coquos* pro eo qui est positus super coquos, seu qui coquis est præpositus. Nec discrepat quod Ælius Spartianus in Hadriano dicit *super pædagogos puerorum* pro eo qui super pædagogos puerorum est positus. Sed monendum supra in pag. 119. & hoc erat, vulgares codices habere *per pædagogos puerorum*. de altera vero lectione, ut de infinitis aliis, feliciter conjecturam fecisse virum maximum, Claudium Salmasium, deque ea in Commentario suo monuisse. Denique ea quam novissime diximus, vocis *super* notio apparet etiam in eo quod Suetonius vocabulo composito *superjumentarius* pro eo qui super jumenta; & Optatus Milevitanus *superstationarius* pro eo qui super stationarios positus est, dixit. Vide sis quoque super his paginam superiorem 119.

Porro ad voculam *extra* veniamus, & hujus quoque unum atque alterum usum videamus; quod nimirum dicunt *extra jocum*, quomodo nos *ausser schertz*, & *extra periculum*, quomodo nos *ausser gefahr*. Cicero lib. VII. ep. 16. *Ego si foris cœnitarem, Cn. Octavio, familiari tuo non defuissem: cui tamen dixi, quum me aliquoties invitaret. Oro te, quis tu es? Sed me hercule, extra jocum, homo bellus est: vellem eum tecum abduxisses. Extra periculum* habet idem Cicero in epistolis ad Atticum.

De vocibus *circa* & *circum* notetur, quod dicunt *circa aliquem esse*, quomodo nos *üm einen seyn*; & *aliquem circa se habere*, quomodo nos *einen um sich haben*. Cornelius Nepos Eumene: *Non passi hi qui circa erant*. Sed hic nomen casus quarti non est additum. Notetur igitur illud quoque Terentii Eun. Act. III. sc. 5. *Adducit secum ancillas: paucæ quæ circum illam essent, manent novitiæ*. Alteram phrasin habet Livius. Ut lib. II. *Quem circa se habebat*. Et lib. VIII. *Exsules circa se pro fidis habebat, ut pleraque ejus generis ingenia sunt, cum fortuna mutabilem gerentes fidem*.

Denique & de voce *contra* videamus. Dicunt Latini *contra naturam suam*, uti nos *wider seine natur*. Item *contra voluntatem ejus*, quomodo nos, *wider seinen willen*. Et *contra consuetudinem meam*, quomodo nos *wider meine gewohnheit*. Cato in epistola ad Ciceronem, quæ est quinta libri XV. epistolarum Ciceronis ad fam. *Atque hæc ego idcirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi*. Livius alicubi: *Contra naturam suam in me mitis est*. Terentius Adelph. Act. V. sc. 5. dicit *præter naturam. Jam nunc hæc tria*, inquit, *primum addidi præter naturam*. Ubi & vocis *natura* significatio ista notanda, ne suspecta aliquando sit. In Phormionis Act. III.

sc. 2.

sc. 2. idem Terentius dicit *adversus ingenium meum.* Phrasin *contra voluntatem ejus* invenias in Orat. I. Philipp. Ciceronis.

CAPUT XXIV.

De Conjunctionum quod *&* ut *usibus falso suspectis.*

VErbis intellectus, itemque dicendi & significandi, subjiciunt Latini accusativum cum infinitivo, dicuntque exempli gratia, *Scio illum hoc fecisse.* Sed annon etiam convenienter nostræ linguæ dici potest, *Scio quod ille hoc fecerit;* ut nimirum nostræ voculæ *daß* aliquid respondens adhibeatur? Caspar Scioppius in dissertatione de vocula *Quod*, quam Auctario Grammaticæ Philosophicæ adjecit Mariangelus a fano Benedicti, de modo isto loquendi ita: *Plerique omnes qui haud vulgariter didicisse literas cum sibi, tum cæteris videntur, hoc loquendi genus* (Scio quod sis doctus, Credo quod sis doctus, Dico quod sis doctus) *velut minime Latine* (Latinum) *explodunt, ejusque loco* Scio, Credo, Dico te esse doctum *usurpandum esse contendunt: præcipue vero magister meus Franciscus Sanctius in Minerva ei se generi infestum præbuit, utque barbarum esse & locupletibus linguæ Latinæ auctoribus ignotum fuisse vinceret, summis viribus annisus est. Ratione eam ad rem hac utitur,* Quod *apud Latinos semper esse nomen relativum, in quo substantivum, ad quod refertur, subaudiri necesse sit. Relativum esse in isto Ciceronis:* Quod epistolam consciissam doles, noli laborare. *Ordinem enim & sensum esse: Noli laborare circa id quod, vel ex eo quod, vel propter id quod. Eandem esse rationem in his Terentii verbis Hec. Act. 2. sc. 3.* Nam quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam. *Ubi relationem esse*

ad

ad nomen quod subauditur, hoc modo Donatus agnoscit: Deest in eo: ut sit, in eo quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam. An deest Quod, ut sit propter quod? Quod igitur Franciscus Sanctius voculam *quod* semper pronomen relativum esse contendit, Caspar Scioppius facile ei concedit: ceterum in ipsis quoque illis quæ a Sanctio damnantur loquendi generibus relationem esse, & voculam *Ad* subaudiri censet. Qua de re quid sentiendum sit, non operose nunc exquiremus. Ceterum illud intellexi-mus, quod Caspar quoque Scioppius observarit, prædictum illum voculæ *Quod* usum multis suspectum esse. Sed & Henr. Stephanus animadvertit, eundem illum voculæ *Quod* usum suspectum esse hodiernis Gallis; ac proinde eosdem de eodem & monendos putavit. Et sane occasio suspicandi hodiernis Gallis meisque Germanis, plane eadem est. Nimirum quia vident, Latinos post prædicta illa verba *Scio, Credo, Dico*, plerumque uti accusativo cum infinitivo, suspicantur illos semper & perpetuo ita facere, nec unquam hodiernæ linguæ Gallicæ convenienter loqui, ut videlicet in talibus voculam *quod* usurpent, quomodo Galli *que*, & Germani *dass*. Ceterum quibus auctorum locis Scioppius atque Stephanus usi sunt, iisdem uti & nos possumus; sed ita tamen ut delectum quendam habeamus. Nam inter ea quæ Scioppius produxit, nonnulla sunt quæ nihil ad rem faciunt. Plautus Asinariæ Act. I. sc. 1. *Equidem scio jam, filius quod meus amet istanc meretricem e proximo Philenium.* Hic manifeste *scio quod meus filius amet* dictum pro *scio filium meum amare.* Idem Aul. Act. II. sc. 1. *Scio quod dictura es, hanc esse pauperem* pro *scio te dicturam esse.* Atque ita in optimæ notæ membranis esse Caspar Scioppius testatur; cum in vulgatis editionibus sit, *scio, quid dictura es.*

es. Rursus in Pœn. Act. III. sc. 1. *Scitis rem, narravi vobis, quod vestra opera mihi opus fiet*, pro *vestra opera mihi opus esse*. Cicero l. X. ep. 4. ad Att. *Jurarat ad summam, quod nullo negotio faceret amicissimum mihi Cæsarem, mihi amicissimum facturum*. Item: *Affirmabat, cum scripsisset, quod me cuperet ad urbem venire, illum quidem gratias agere maximas, & non modo probare, sed etiam gaudere*, pro *cum scripsisset, se cupere me ad urbem venire*. Rursus Lib. I. Off. *Illud animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, hostis vocaretur*, pro *animadverto eum qui proprio nomine perduellis esset, hostem vocatum esse*. Et I. in Verr. *Is mihi etiam queritur, quod a nobis novem solis diebus prima actio judicii transacta sit*, pro *queritur actionem judicii transactam esse*. Cato apud Plinium lib. XXIX. cap. 1. *De Græcis istis dicam, quod bonum sit eorum literas inspicere, non perdiscere*, pro *dicam bonum esse*. Varro I. de re rust. c. 7. *Cato quidem gradatim præponens, alium alio agrum meliorem dicit esse in novem discriminibus. Quod sit primus, ubi vineæ possunt esse bono vino & multo: secundus, ubi hortus irriguus: tertius, ubi salicta*, pro *Cato dicit, agrum primum esse: secundum esse: tertium esse*. Livius lib. XLV. *Quam feliciter remp. administraverim, & quod duo fulmina per hos domum meam perculerint, non ignorare vos Quirites arbitror*, pro *duo fulmina domum meam perculisse, non ignorare vos arbitror*. Seneca II. Cont. 5. *Apparet quod utique non oportuit, si ne licuit quidem*, pro *apparet non oportuisse*. Fuscus Arellius, æqualis Horatii, apud Senecam I. Contr. 2. *Probabo quod non sit pudica*, pro *probabo eam non esse pudicam*. Hyginus, Augusti libertus, in Astronomico: *Nonnulli dicunt, quod hæc prima fuit Herculis concertatio*, pro *dicunt hanc fuisse primam concertationem*. Item:

De

De ceto dicitur, quod a Neptuno sit missus, ut Andromedam interficeret, pro *de ceto dicitur, eum a Neptuno missum esse*. Horatius lib. II. ep. 2.

Si tibi nulla sitim finiret copia lymphæ,
Narrares medicis: quod quanto plura parasti
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?

pro *Nulline audes fateri, te tanto plura cupere, quanto plura parasti?* Suetonius in T. Vesp. *Recordatus super cœnam, quod nihil toto die cuiquam eorum præstitisset*, pro *recordatus se nihil præstitisse*. Ex Ulpiano quoque multa hujus generis producit Stephanus. Ut quod dicit: *Sufficit mulieri notum facere, quod sit prægnans*, pro *notum facere, se esse prægnantem*. Item: *Mariti est jam aut mittere custodes, aut eidem renunciare, quod non sit ex eo prægnans*. Rursus: *Illud notandum est, quod denunciatio a marito non incipit, sed a muliere*, pro *notandum est, denunciationem non incipere*. Denique: *Quæ causa si fuerit acta apud judicem, & pronunciaverit, quod ex eo prægnans fuerit*, pro *pronunciaverit, se ex eo prægnantem esse*. Et apparet igitur, quam verum sit quod dicebamus, post verba *scio, dico, credo*, & id genus alia, Latinos non semper accusativum cum infinitivo, sed quandoque, nec raro sane, voculam *quod* cum casu recto & verbo finito ponere; idque nostræ & hodiernæ Gallicæ, imo ipsi Hebraicæ ac Græcæ linguæ convenienter. Hebræi quidem voculam suam כי hic usurpant, dicuntque exempli causa ידעתי כיאתה עשיתה זאת, Græci vero suum ὅτι frequentant, dicuntque οἶδα ὅτι σὺ πεποίηκας τοῦτο. Hodierni Galli suo *que* utuntur, dicuntque *Je sçay que vous avez fait cela*. Et denique nos nostrum *daß* frequentamus, dicimusque *Ich weiß, daß du dieses gethan hast*. Si igitur Latini quoque non ut alias solent dicant, *scio te hoc feciſſe*; sed *scio quod*

tu

tu hoc feceris: idiotismum suum negligunt, & aliis linguis convenienter loquuntur. Quam sæpe autem eveniat, ut idiotismi linguarum negligantur, & hoc vel illud linguis aliis convenienter efferatur, id supra in cap. decimo ubi de phrasi *damnum pati* egimus, productis tum Hebrææ, tum ipsius latinæ linguæ exemplis ostendimus.

Sed nunc dicam quod magis mirere, ipsam quoque voculam *ut* in prædicto illo usu nostræ voculæ *daß* respondere. Cornelius Nepos Hannibale: *Si verum est quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est inficiandum, Hannibalem tanto præstitisse ceteros Imperatores prudentia, quanto populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes.* Hic *si verum est, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit,* scriptum pro *si verum est populum Romanum omnes gentes virtute superasse.* Justinus lib. V. cap. 3. *Sperans ut aut concordante civitate dux belli ab omnibus legeretur, aut discordia inter ordines facta ab altera parte in auxilium vocaretur,* pro *sperans se ducem belli lectum iri, se in auxilium vocatum iri.* Item lib. VI. c. 1. *Hanc rem Pharnabazus apud communem regem criminatur, ut Lacedæmonios Asiam ingressos non repulerit armis, sed impensis regis aluerit,* pro *non repulisse Lacedæmonios, sed aluisse.* Plinius in Panegyrico in Traj. *An dubium est, ut dare non posset imperium imperator, qui reverentiam amiserat?* pro an dubium est, *Imperatorem qui reverentiam amiserat, imperium dare non potuisse.* Nam post *non dubito, non dubium est,* poni accusativum cum infinitivo, nihil novi est. Virgilius lib. XI. Æneidos:

Non hæc, O Palla, dederas promissa parenti,
Cautius ut sævo velles te credere Marti.

pro *te cautius crediturum te sævo Marti.* Varia hujus generis

generis prædicto loco Caſpar quoque Scioppius congeſſit : quorum etiam nonnulla huc afferemus. Livius lib. XXII. *Ex animi ſententia juro, ut ego remp. non deſeram* pro *me remp. non deſerturum.* Terentius Hec. Act. III. ſc. 4. *Voviſſe hunc dicam, ſi ſalvus domum rediſſet, ut me ambulando rumperet.* Ubi *vovit ut me ambulando rumperet* pro *vovit ſe rupturum*, id eſt, defatigaturum *me ambulando.* Hyginus Aſtronomico: *De Caſſiopeja plures dixerunt, ut gloriata ſit, ſe forma Nereridas ſuperare*, pro *eam gloriatam eſſe.* Item: *De Phaëthonte plures ſcripſerunt, ut patris curru vectus terras incenderit*, pro *ipſum incendiſſe terras.* Varro lib. I. de re ruſt. c. 2. *Verum dicit ut ille hoc ſcripſerit.* Cicero pro S. Roſc. *Non eſt veriſimile ut Chryſogonus horum litteras adamarit*, pro *Chryſogonus horum literas adamaſſe.* Item l. IX. ep. 11. ad Att. *De Domitio ita opinor eſſe, ut in Coſano ſit & conſilium ejus ignoretur*, pro *illum in Coſano eſſe & conſilium ejus ignorari.* Plautus Bacchid. Act. II. ſc. 2. *Scis tu ut confrigi vas cito Samium ſolet*, pro *ſcis vas Samium cito confrigi ſolere.* Item Amphit. Act. II. ſc. 2. *Quis niſi vos narravit mihi, illic ut fuerit prælium? Audivi ut Pterelam regem tute occideris*, pro *narravit illic fuiſſe prælium, audivi te occidiſſe Pterelam.*

Ut ad voculam *quod* redeamus, ille quoque ejus uſus hic notandus eſt, quod poſt vocabula temporis ponitur, & dicitur exempli gratia, *Biennium eſt, quod hoc eſt factum*, quomodo nos, *Es ſind zwey jahr, daß ſolches geſchehen.* Exempla collegit Henricus Stephanus: & ſunt quidem iſta. Plinius lib. IV. ep. 27. *Tertius dies* (eſt) *quod audivi recitantem Sentium Augurinum cum ſumma mea voluptate.* Plautus Trinummi Act. II. ſc. 2.

Minus

Minus quindecim dies sunt, quod pro his ædibus
Minas quadraginta accepisti a Callicle.

Item initio cujusdam scenæ Mercatoris: *Syra non redit: quam accersitum patrem jamdiu est quod miseram.* Ovidius in epistola Leandri:

Septima nox agitur, spatium mihi longius anno,
Sollicitum raucis quod mare fervet aquis.

In verbis Plauti quidem prioribus quædam editiones habent *quum* pro *quod*; & in verbis Ovidii *ut* pro *quod:* verum non moveri tamen se passus est Stephanus, ut alteras lectiones non recte habere crederet; sed veterum codicum auctoritate eas stabilivit.

Sed est & aliud de quo exemplo Henrici Stephani hic monendum est; quod videlicet vocula *quod* ponatur etiam post *excepto*, dicaturque *excepto quod*, quomodo nos *ausgenommen daß*, & Galli, *excepte que.* Verba Stephani hac de re sic habent: *Particula* quod *habet etiam locum post participium ablativi casus* Excepto, *eodem modo quo vocula nostra* que *subjungitur nostro participio* Excepte, *quod ex Latino illo factum est. Dicunt enim* (*quod novum esse nonnullis possit*) Excepto quod, *sicut nos* Excepte que. Deinde exempla affert quæ subjicimus. Plinius lib. IIX. ep. 1. *Iter commode explicui, excepto quod quidam ex meis adversam valetudinem ferventissimis æstibus contraxerunt.* Fabius Quintilianus lib. IX. c. 4. *Et quidem Ciceronem sequar. nam is eminentissimos Græcorum est sequutus, excepto quod pedes trisyllabos non videtur excedere.* Ovidius de Ponto lib. IV. el. 1.

In quibus, excepto quod adhuc utcunque valemus,
Nil me præterea, quod juvet, invenies.

Horatius lib. I. ep. 10.

Hæc tibi dictabam post fanum putre Vacunæ.
Excepto quod non simul esses, cetera lætus.

Ostendit quoque exemplum, quod vocula *quod* post

excepto sit nomen. Et quidem ex eleg. 6. lib. III. Tristium Ovidii citat:

Cuique ego narrabam secreti quicquid habebam,
Excepto, quod me perdidit, unus eras.

Deinde docet, quod post *excepto* ponant etiam *si*, dicantque *Excepto si*, quomodo Galli *Excepte si*. Fabius lib. IIX. cap. 3. *Sed ne inornata sunt quidem, nisi quum sunt infra rei de qua loquendum est dignitatem: excepto si obscœna nudis nominibus enuncientur.*

Ille quoque usus voculæ *quod* notetur, quod dicunt, *Quod dicas mihi*, cum anticipare volunt excusationem qua quis usurus videtur, eamque repudiare. Terentius Eun. Act. V. sc. 9.

Si in platea hac te offendero post unquam, quod dicas mihi,
Alium quærebam, iter hac habui: periisti.

Ita plane & nos, *Daß du sagen wolteſt, ich ſuche jemand.* Plautus Asin. Act. IV. sc. 1.

Alienum hominem intromittat neminem.
Quod illa aut amicum aut patronum nominet,
Aut quod illa amicæ suæ amatorem prædicet:
Fores occlusæ omnibus sient, nisi tibi.
Quod illa dicat, pergere allatam epistolam,
Ne epistola quidem ulla uspiam sit in ædibus.

Item Aulul. Act. I. sc. 2.

Cave quenquam alienum in ædes intromiseris,
Quod quispiam ignem quærat, extingui volo.

Rursus Milit. glor. Act. II. sc. 2.

Quemque a milite videritis hominem in nostris tegulis,
Extra unum Palæstrionem, hunc deturbatore in viam.
Quod ille gallinam aut columbam se sectari, aut simiam
Dicat, disperistis, ni usque ad mortem male multassitis.

Ad quem locum Taubmannus: *Venusta & antiqua locutio:*

locutio: quæ sic explicanda: Quantum ad illud attinet, quod id causari velit, se gallinam, aut columbam, aut simiam quæ domo aufugerit, persequi: nullam accipio causam, actum est de vobis, nisi ad mortem verberaveritis.

CAPUT XXV.

De variis phrasibus ac formulis falso suspectis; sed quæ recensitæ sunt promiscue.

HActenus vocabula & phrases Latinas quæ suspectæ esse posse videbuntur, in certas classes distinctas recensuimus: quæ vero id genus adhuc alia proferre habemus, ea deinceps promiscue congesturi sumus. Et primo quidem expendendam proponimus phrasin *Do tibi bibere*, quæ nostræ phrasi *Ich gebe dir zu trincken* respondet. Et hoc tantum Germani a veteribus Latinis discrepamus, quod voculam *zu* interponimus, cui Latini nihil respondens habent: quomodo etiam interponimus, cum dicimus *Ich pflege das zu thun;* cum Latini verbum infinitum verbo alteri simpliciter adjiciant, dicantque *soleo facere.* Sed exempla afferamus. Terentius Andr. III. 2. *Post deinde quod jussi, date ei bibere.* Cato de re rust. cap 89. *Bis in die farciat, & meridie bibere dato, gallinaceis puta & anseribus.* Nec dicunt tantum *do bibere, do edere*; sed & eadem forma dicunt *do habere, do ferre, do diffundere:* imo & *dono habere,* Virgilius lib. I. Æn. *Venatrix, dederatque comas diffundere ventis.* Item lib. V. *Argenti magnum dat ferre talentum.* Et lib. I. *Ille suo moriens dat habere nepoti,* cingula puta. Rursus lib. V. *Auro trilicem loricam donat habere viro.* Eandem loquendi formam usurpant & Græci, dicuntque δίδωμι πιεῖν, δίδωμι φαγεῖν.

Quid porro videtur phrasis *Abi tu tuam viam?*

Congruit illa cum eo quod nos dicimus *Gehe du deinen weg*, vel *Gehe du deines weges*. Verum non continuo suspecta ideo esse debet. Siquidem ipsi Auctores Latini antiquissimi ea usi deprehenduntur. Nobis nunc succurrit locus Plauti Rud. Act. IV. sc. 3. *Sine me hinc abire: tu abi tacitus tuam viam.*

Vocabula comparativi gradus geminamus nos, cum significandum est, rem procedente tempore intendi ac majorem fieri: & dicimus exempli causa *mehr und mehr, weniger und weniger, lieber und lieber.* Pari modo & Latini faciunt, dicuntque *magis magisque, plus plusque, minus minusque, carior cariorque.* Apulejus VIII. Metamorph. *Nonnunquam etiam cœna populoque communi carior cariorque factus.* Silius Italicus lib. XV. *Consul ovans major majorque videri.* Tibullus lib. I. carm. 8.

At tu natalis multos celebrande per annos
Candidior semper candidiorque veni.

Plautus Prol. Aulul. *Atque ille vero minus minusque impendio curare, minusque me impartire honoribus.* Et Act. III. sc. 6. *Dii plus plusque isthuc sospitent quod nunc habes.* Addit hic vocem *impendio*, dicitque *minus minusque impendio.* Atque eam vocem subinde quoque alias usurpant, ubi rei augmentum est denotandum: & ubi vocabulum comparativi gradus vel nullum, vel unum tantum apparet. Symmachus lib. I. ep. 91. *Ea res impendio augebat dolorem.* Et lib. III. ep. 67. *Cum literas impendio flagitaret.* Gellius lib. I. c. 2. dicit, *impendio loquacior.* Et Cicero in epistolis ad Att. *Ille impendio magis odit senatum.* Terentius Eun. Act. III. sc. 5. *Impendio magis animus gaudebat mihi.* Ubi Janus Guilielmus legi malit *impendio magis magisque* geminato comparativo: ut plane geminum sit Plautinis illis *minus minusque impendio.* Daniel Vechnerus in Helleno-

Hellenolexia istam comparativorum geminationem ad Græcismos refert. Et sane ipsos quoque Græcos tali geminatione usos constare potest. Josephus Scaliger, qui geminationem istam comparativorum & ipse locutionem Græcanicam vocat, in Castigationibus ad Tibullum ex Xenophonte profert: Ὁ δὲ ὄχλος πλείων καὶ πλείων ἐπέρρει. Et ex Eupoli: Πῶς Ζεὺς μὲν ἐπινεφεῖ τὸ πρῶτον ἡσύχως, ἔπειτα μᾶλλον μᾶλλον. Ipse quoque S. Paulus cap. I. ep. ad Philipp. ista loquendi forma usus est scripsitque: προσεύχομαι, ἵνα ἡ ἀγάπη ὑμῶν ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον περισσεύῃ. Ubi Interpres noster vertit, *Daß eure liebe jemehr und mehr reich werde.* Notandum vero & illud quod Tibullus dicebat *Candidior semper candidiorque veni*, atque ita voculam *semper* adjiciebat. Ita plane & nos, *er will immer mehr und mehr haben.* Sed dicunt etiam *semper major*, comparativo non geminato. Plinius Paneg. *Nonne apud eos semper major & clarior, quibus postea contigisses?* Dicunt etiam *indies magis, quotidie plus*: ac deinde comparativo geminato, *in dies magis magisque, quotidie in dies singulos minus minusque.* Cicero l. III. ep. I. ad Quint. *Quod scribis te a Cæsare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo.* Salustius B. Catilin. *Ceterum mihi indies magis animus accenditur, cum considero, quæ conditio vitæ futura sit, nisi nosmet-ipsos vindicemus in libertatem.* Idem B. Jug. *Imperator omnis fere res asperas per Jugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum indies amplecti.* Augustinus in Ps. XXXVIII. *Quotidie in dies singulos minus minusque remanebunt.*

Habemus hoc Germani, ut cum laudare aut culpare quempiam volumus, utamur vocabulis superlativi gradus, dicamusque, *er ist nicht der geringste, er ist nicht der beste, er ist nicht der gelehrteste.* Qua forma loquendi an in sermone quoque latino uti licet, & dicere exempli causa, *Non est minimus, non*

est optimus, non est eruditissimus? Possumus sane de his quoque securi esse: quoniam constat, ipsos rursus veteres sic locutos esse. Cicero lib. II. de Oratore: *Poëtas omnino quasi aliena quadam lingua locutos non conor attingere. Cum his me, ut dixi, oblecto, qui res gestas, aut qui orationes scripserunt suas, aut qui ita loquuntur, ut videantur esse voluisse nobis, qui non sumus eruditissimi, familiares.* Viden hic eadem forma, qua superiora illa, dictum esse, *Qui non sumus eruditissimi?* In eodem libro Ciceronis & hæc sunt: *Ut illa opinio quæ semper fuisset tolleretur, alterum* (Crassum) *non doctissimum, alterum* (Antonium) *plane indoctum fuisse.* Corn. Nepos Dione: *Dignitas corporis non minimum commendat.* Et Agesilao: *Eorum ornatus non modo in his regem neminem significabat, sed hominis non beatissimi suspicionem præbebat.* Cicero rursus lib. II. de fin. *At multis* (Epicurus) *se probabit, & jure fortasse: sed tamen non gravissimum est testimonium multitudinis, in omni enim arte vel studio, vel quavis scientia, vel in ipsa virtute, optimum quidque rarissimum est.* Priscianus in lib. XIIX. ex Orat. I. in Verr. citat, *Ad hominem non inertissimum.* Cujus generis & ex quinta in Verr. proferre potuisset, *Homo non acerrimus neque fortissimus.* Sulpitius quoque in epistola ad Ciceronem quæ est in libro IV. epistolarum Ciceronis ad familiares numero quarta, eadem forma usus scripsit: *Etsi scio non jucundissimum me nuncium vobis allaturum.* Sed & superlativi gradus adverbiis voculam *non* adjiciunt, dicuntque *non optime, non constantissime.* Cicero lib. XV. ep. 4. *Sacerdotium cum non difficillime consequi possem.* Et lib. II. de Orat. *Hic Pœnus non optime Græce, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem.* Item: *Alterum, vel non facere quod non optime possis, vel facere*

facere quod non pessime facias, humanitatis. Rursus in lib. V. quæst. Tusc. *Quanquam non constantissime dici mihi videntur.* Ibidem vero & sic habet: *Epicurus cupiditatum genera divisit, non nimis fortasse subtiliter, utiliter tamen.* Ubi *nimis subtiliter* est pro *valde subtiliter*, id est, *subtilissime:* atque adeo *non nimis subtiliter* est pro *non subtilissime.* Græci quoque istiusmodi forma usi deprehenduntur. Priscianus in lib. XIIX. ubi illud Ciceronis *Ad hominem inertissimum* profert, cum eo confert quod Græci dicunt οὐκ ἀδυνατώτατος. Herodotus in l. IV. Pythagoram vocat Ἑλλήνων οὐ τὸν ἀξυνετέστατον σοφιστὴν *inter Græcos non infirmissimum sapientiæ doctorem:* & in lib VII. Spartam vocat οὔτ' ἐλαχίστην οὔτ' ἀξυνετεστάτην *nec minimam, nec infirmissimam.* Homerus quoque iliad. o ejusdem generis illud habet: Ἐπεὶ οὔ μιν ἀφαυρόταλος βάλ' Ἀχαιῶν, *quoniam non minimus Grajorum ipsum prostravit.* Sed quis genuinus harum locutionum est sensus? Sane quod Cicero dicebat *Qui non sumus eruditissimi*, perinde videtur esse, ac si dixisset, *Qui non valde eruditi sumus, qui parum eruditi sumus.* Sic & quod Crassum *non doctissimum* vocabat, sensus sine dubio est, non valde doctum, aut parum doctum eum fuisse. Pari modo Cornelio Nepoti *homo non beatissimus* est *homo non valde beatus, parum beatus.* Et quod Cicero per adverbia *non constantissime, non optime* dicebat, ea sunt pro *parum constanter, parum bene.* Item ubi vocem *nimis* usurpat, *non nimis subtiliter* est pro *parum subtiliter, non subtiliter*, i. e. crasse. Apparet in his talibus per vocem superlativi gradus cum præmissa vocula negativa significari fere gradum positivum contrarii: ut *non constantissime* sit idem quod *parum constanter, inconstanter;* non vero idem quod *inconstantissime.* In secundo de fin. Cicero habet sic: *Hæc dicuntur inconstantissime.* Quod autem in loco illo altero dicit,

Quanquam non constantissime dici mihi videntur, in eo *non constantissime* non est pro superlativo contrarii *inconstantissime*; sed modo pro positivo *inconstanter*. Sic & *non nimis subtiliter*, i. e. *non subtilissime*, non est pro superlativo contrarii *crassissime*, sed modo pro positivo *crasse*. Item *non optime Græce loqui* non est pro *pessime Græce loqui*, sed modo pro *male*. Et ut de nominibus quoque dicamus, *non doctissimus*, non est pro *indoctissimus*, sed pro *indoctus*; vel potius pro eo quod adhuc levius est, *parum doctus*. Atque hæc in vituperium ita sunt dicta. Cum vero in laudem ista loquendi forma utuntur, non gradum positivum contrarii, sed vel superlativum denotant. Quod Homerus Ajacem οὐκ ἀφαυρόβατον Ἀχαιῶν *non minimum Græcorum* vocat, non vult, eum fuisse modo fortem & clarum; sed vult, eum fuisse fortissimum atque clarissimum. Pari modo quod Herodotus Pythagoram Ἑλλήνων δὲ τὸν ἀξενέστατον σοφιστὴν vocat, non est sensus, Pythagoram bonum atque clarum doctorem sapientiæ fuisse; sed vult, eum fuisse excellentem plane & optimum. Ciceroni quoque *homo non inertissimus*, est homo excellens plane & summus. Sic & nos cum dicimus *er ist nicht der geringste*, ἐξοχὴν & præstantiam quandam denotatam volumus. Sed & ipsis positivis cum præmissa vocula negativa in eandem sententiam non nos tantum, sed & Latini utuntur. Dicimus nos *er ist nicht ungelehrt, er ist kein schlechter mensch*, cum aliquam alicujus hominis præstantiam denotare volumus. Cottam Cicero in Bruto oratorem vocat *minime ineptum*, i. e. haudquaquam ineptum. Quo quid sibi velit, apparet ex eo quod eundem ibidem *oratorem summum* vocat. Sic & quod Horatius lib. I. Od. 28. Pythagoram *non sordidum auctorem naturæ verique* dicit, Pythagoræ ἐξοχὴν & excellentiam

tiam denotatam voluit. Idemque Livius, quod in l. XXX. Polybium *auctorem non spernendum* dicit, eundem auctorem plane præstantem & eximium esse voluit. Vide quoque de his Joh. Gerh. Vossium lib. IV. Inst. Orat. cap. X. & quem Vossius citat, Isaacum Casaubonum Notis in fragmenta Polybii. Proximis illis geminum est quod Cicero lib. II. de Orat. Lælium Decimum *non illiteratum* vocat. Verba ejus sunt: *Quo etiam scripsit, Persium non curo legere (hic enim fuit, ut roramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus) Lælium Decimum volo: quem cognovimus virum bonum & non illiteratum; sed nihil ad Persium.*

Dicimus nos *er ist in aller leute mund*, cum significare volumus, passim de aliquo sermones haberi. Et pari modo Latini *In ore est omni populo.* Terentius Adelph. Act. I. sc. 2. *Clamant omnes indignissime factum esse. Hoc advenienti quot mihi, Micio, dixere? In ore est omni populo.* Sed annon dici quoque potest *In ore est omnis populi;* per casum secundum puta: ut planissime congruat cum nostra phrasi? Ego quidem nihil dubitem. Sane Græci dicunt, πολλῶν κείμενος ἐν στόμασι *multorum positus in ore:* idque habet Theogenes v. 240. Deinde Livius lib. II. dicit, *Ne in ora hominum pro ludibrio abiret.* Item: *Traductos per ora hominum.* Horatius quoque lib. I. ep. 3. *Quid Titius Romana brevi venturus in ora*, i. e. celebris futurus. Cicero ipsam phrasin *in ore omnium esse* usurpat in lib. II. de fin. b. & m. Verba ejus sunt: *Nunquam audivi in Epicuri schola Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themistoclem, Epaminondam nominari: qui in ore sunt ceterorum omnium philosophorum.* Ergo videmus phrasin & in partem bonam usurpari. Ibidem idem Cicero habet & sic: *At vero illa quæ Peripatetici, quæ Stoici*

dicunt, semper tibi in ore sunt. Ubi rursus dativus appareret, dictumque *tibi in ore sunt.* Ad eundem modum & Justinus lib. V. *Non Siciliæ illis adversa pugna in ore est, sed Græciæ victoria.* Virgilius dicit, *per ora virum volitare*, pro *celebrem esse.* Libro III. Georgicorum:

--- *Tentanda via est, qua me quoque possim*
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.

Sed & ante eum Ennius sic locutus fuerat, ut ex fragmentis quæ inter opera Ciceronis sunt, apparet. Ceterum quod dicunt *Tibi in ore est* pro *In ore tuo est*, id tale est, quale est, quod dicunt *Tibi in manu est* pro *In manu tua est.* Plautus Prol. Amphit. *Quibus est ea res in manu.* Terentius Hec. Act. III sc. 5. *Tibi id in manu est, ne fiat.* In aliis vero solum casum secundum usurpant. Ut quod dicunt non *venire alicui ad aures*; sed *venire* vel *pervenire ad aures alicujus:* qua de re supra in pag. 111. diximus. Rursus & genitivum & dativum usurpant, quo dicunt *Fractum est illi crus* & *Fractum est illius crus:* qua de re videndus Priscianus lib. XIIX.

Dicimus nos *zweimahl so viel, hundertmahl so viel.* Et pari modo Latini *bis tantum, centies tantum.* Varro lib. III. de re rust. c. 2. *Ut sexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villæ: bis tantum quam tuus fundus ducentum jugerum Reate reddit.* Græci similiter dicunt δὶς τόσος. Euripides Medea:

Τί δῆτα με πατέρα τῶνδε τοῖς τότων κακοῖς
Λυπῆσαν, αὐτὴν δὶς τόσα κτᾶσθαι κακά;
Quid attinet me patrem horum, malis horum
Contristantem, ipsam (me) *bis tanta mala nanciscì?*

Item: Δὶς τόσου ἂν τέρψειας ἡμᾶς, εἰ τεθνᾶσι παγκάκως. *Bis tanto delectaveris nos, si mortui sint pessime.* Rursus: πῦρ, ἐπεὶ κόμην ἔσεισε, μᾶλλον δὶς τοσόνδ' ἐλάμπετο. *Ignis, postquam comam concussit, magis bis tantum emicuit.* Sed & Latina ejus generis plura proferamus.

Plautus

Plautus Menæchm. Act. 4. sc. 3. *Ego redimam tibi bis tanto pluris pallam quam voles.* Item Amph. Act. III. sc. 2. *Inter eos rursum, si reventum in gratiam est, bis tanto amici sunt inter se, quam prius.* Rursus Pers. Act. I. sc. 3. *Ter tanto pejor est, quam illam esse vis.* Cicero Orat. in Verr. *Reperietis quinquies tanto, judices, amplius istum, quam quantum ei in cellam sumere licitum sit, civitatibus imperasse.* Nostri dicerent, *Mehr als fünfmahl so viel.* Plinius quoque alicubi eodem modo *vicies tanto addito aquæ.* Hactenus voci *tantus* vidimus adverbia addita: quomodo scilicet & nos addimus. Sed dicunt etiam *alterum tantum.* Corn. Nepos Eumene: *Illa autem* (via) *qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum.* Nostri dicerent, *Der weg war noch ein mahl so lang.* Plautus Bacch. Act. V. sc. 2.

Quadringentis Philippis filius me & Chrysalus circumduxerunt,
Quem quidem ego ut non excruciem,
Alterum tantum auri non meream.

Cicero lib. II. de Orat. *Pes qui adhibetur ad numeros, partitur in tria, ut necesse sit partem pedis aut æqualem esse alteri pedi, aut altero tanto, aut sesquimajorem esse.* Livius lib. I. *Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit, numero tantum alterum adjecit.* Lege XIV. Digest. de lib. & potest. *Ita secundum voluntatem defuncti filius altero tanto amplius habebit quam filia.* Nostri dicerent, *Mehr als noch einmahl so viel.* Atque hoc loquendi genus usurpasse etiam Græcos Petrus Nannius lib. V. Miscell. cap. 12. demonstravit verbis Demosthenis, quæ sunt in Oratione contra Midiam: Τιμᾶς δέ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δέκα ταλάντων ἐτιμήσατε, καὶ σκήπτωνι τοσούτων ἑτέρων. Plautus dicit *sexcenta tanta* pro *sexcenties tantum.* Ut in Pseud. II. 2. *Quasi mihi non*

non sexcenta tanta soleant credier. Et in Trinummo dicit *tria tanta* pro *ter tantum.* Sed pro *decies tantum* dicunt etiam *decimum*, & pro *centies tantum* dicunt *centesimum.* Varro lib. I. de re rust. cap. 44. *Quare observabis, quantum in ea regione consuetudo erit serendi: ut tantum facias, quantum valet regio & genus terræ, ut ex eodem semine aliubi cum decimo redeat, aliubi cum quintodecimo: ut in Hetruria & locis aliquot in Italia. In Sybaritano dicunt etiam cum centesimo redire solitum: in Syria ad Grada, & in Africa ad Byzacium irem ex modio nasci centum.* Plinius lib. V. cap. 4. *Ita appellatur regio CCL. M. passuum circuitu, felicitatis eximiæ, cum centesima fruge agricolis fœnus reddente terra.* Ergo dicunt *terram reddere fœnus cum centesima fruge, & redire cum centesimo.*

Notetur porro & illud, quod dicunt *Non habebat partem vicesimam militum*, quomodo nos, *er hatte nicht den zwanzigsten theil soldaten.* Corn. Nepos Datame: *Namque hujus partem non habebat vicesimam militum.* Plautus Capt. Act. II. sc. 3. *Isthic pol haud me centesimam partem laudat, quam ipse meritus est ut laudetur laudibus.* Cicero lib. II. ep. 4. ad Att. *Fecisti mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me misisti: ex quo quidem ego (quod inter nos liceat dicere) millesimam partem vix intelligo.*

Dicimus nos *wir zwene*, & *alle drey.* Nec aliter Latini *nos duo, omnes tres.* Plautus Mostellaria: *Quid hic vos duæ agitis?* Idem in Menæchmis dixit quoque: *Nescio quid vos velitati estis inter vos duos.* Observavit hæc Henr. Stephanus, & suos quoque Gallos de his monuit. Qui idem in suo de Latinitate falso suspecta libello etiam scribit, se diu dubitasse, an Latine dici possit, *Omnes tres hoc illi mandavimus:* itemq; *Omnes tres hoc illi mandaverunt*, pro *Tous les trois luy ont commandé*

mandé cela: itemque aliis quibuslibet locis similibus an ita *omnes tres, omnes quatuor, omnes quinque* dici posset; tandem vero incidisse in locum Martiani Capellæ, qui est in lib. VI. *Aut ἰσοσκελές, quod ex tribus lineis duas æquales habet, quibus quasi cruribus insistit. Denique æquicrurium vocitatur, aut σκαληνὸν, quod omnes tres lineas inter se inæquales habet.* Quum vero non eam esse hujus scriptoris auctoritatem sciret, qua fretus loqui sic & ipse posset, ideoque sublata ipsi dubitatio non esset, tandem in quendam Fabii, nec non in quendam Varronis, locum incidisse. Ceterum locum Varronis indicare non potuit. At Fabii locus, qui quidem est in libri III. capite 8. sic habet: *Qui ex duobus legitimis alterum in adoptionem dederat, alterum abdicaverat, sustulit nothum, instituto herede abdicato decessit: omnes tres de bonis contendunt.* Addit autem Stephanus, quemadmodum pronomen interdum a Gallis præfigatur, dicaturque *Nous avons faict cela tous trois*, ita in latino sermone minime præfigi posse videri. Nos his addere habeamus, quod Augustinus lib. II. de doctr. Christ. cap. 17. simili ratione dicit *omnes novem civitati placuisse.* Verba ejus sunt: *Dicit Varro, civitatem nescio quam (non enim nomen recolo) locasse apuud te tres artifices terna simulacra Musarum, quæ in templo Apollinis donum poneret, ut quisque artificum pulcriora formasset, ab illo potissimum electa emeret. Ita contigisse ut opera sua quique illi artifices æque pulcra explicarent, & placuisse civitati omnes novem, atque omnes emptas esse, ut in Apollinis templo dedicarentur: quibus postea dicit Hesiodum poëtam imposuisse vocabula.*

Dicimus nos *Es sind nur worte*, cum significare volumus, id, quod dicitur aut promittitur, minime eventurum. Et pari modo Latini *Verba isthæc sunt.*

sunt. Terentius Phorm. Act. III. sc. 3. *Haud longum est quod orat, Dorio: exoret sine. Idem hic tibi quod bene promeritus fuerit, conduplicaverit. D. verba istæc sunt.* Alibi dicit *verba ad rem conferre.* Ut Eun. Act. IV. sc. 6. *Usque eo ego illius ferre possum ineptias & magnifica verba, verba dum sint. Verum enim, si ad rem conferentur, vapulabit*, i. e. si id quod se facturum minatus est, facere aggressus fuerit. Sed possit, credo, eadem ῥῆσις etiam sic usurpari, ut sit idem, quod *promissa facere:* qua de phrasi supra p. 85. egimus. Et nunc addimus, Terentium quoque dicere *promissa perficere*, Andriæ Act. IV. sc. 1.

- - Imo id genus est hominum pessimum,
In denegando modo queis pudor est paululum:
Post ubi jam tempus est promissa perfici,
Tum coacti necessario se aperiunt & timent.
Et tamen res cogit eos denegare.

Porro Andr. Act. V. sc. 1. dicit *beneficium verbis initum re comprobare:* & Eun. Act. II. sc. 3. *facere, promissa appareant.* Plautus vero Stich. Act. II. sc. 1. idem effert sic, *honestare dicta factis:* & Cicero denique Act. I. in Verr. *promisso ac recepto satisfacere.*

Dicimus nos *mit willen, mit gutem willen*, cum significandum est aliis non invitis, nec contra eorum voluntatem, aliquid fieri. Et pariter Latini *voluntate.* Cæsar lib. I. de B. Gall. *Petierunt ut sibi consilium totius Galliæ in certam diem indicere, idque Cæsaris voluntate facere, liceret.* Item lib. I. B. Civ. *Curio omnium summa voluntate Igurium recipit.* Et lib. III. *Kalenus Delphos, Thebas, Orchomenum, voluntate ipsarum civitatum recipit.* Salustius B. Jugurth. *Urbes partim vi, alias voluntate, imperio suo adjungit.* Corn. Nepos Miltiade: *Non erat enim vi consecutus* (perpetuam denominationem) *sed suorum voluntate.*

tate. Terentius Phorm. Act. V. sc. 3. *Fac illa ut placetur nobis; sua voluntate id quod est faciendum faciat.* Phrasin *contra voluntatem alicujus*, quæ significat contrarium, notavimus supra, cum de voce *contra* ageremus, id est, pag. 186. Hic vero & illud notetur, quod dicunt *voluntatem alicujus facere*, quomodo nos *jemandes willen thun*, pro *facere id, quod vult aliquis.* Sane *voluntas*, & *id quod aliquis vult*, multum differunt. Nam voluntas est in ipso homine, qui aliquid vult, & est ejus actio quædam: at quod vult aliquis, id est voluntatis objectum; exempli causa, ut aliquis honeste vivat, ut literis incumbat. Sed quandoque ipsa vox *voluntas* significat *illud, quod aliquis vult*, ipsum voluntatis objectum: & *voluntatem alicujus facere* est idem quod *facere quod aliquis vult.* Sed ipsam phrasin tamen in auctore Latino vetere per nos demonstrare non possumus. Apponemus autem verba viri, qui, si quisquam, linguæ Latinæ veteris observans fuit. Est is Sebastianus Castalio: qui in Notis ad cap. 6. Evangelii Matthæi sic scripsit: *Est apud Latinos quoque usitatus hic loquendi modus* (Fiat voluntas tua, pro Fiat quod tu vis) *Itaque & Quintilianus facere voluntatem dixit: & Cicero conservare voluntatem, hoc est, id facere quod quis voluerit. Et idem Cicero Chaldæorum promissa consequi, hoc est, res promissas: & propositum assequi, hoc est, id quod tibi proposueris. Quale est illud Maronis, Sua nunc promissa reposci. Sic sæpe γραφὴ* pro *τὰ γεγραμμένα*, & *ἐλπὶς* pro *τὸ ἐλπιζόμενον*, & *ῥῆμα* sive *λόγος* pro *τὸ λεγόμενον.*

CAPUT XXVI.

Adhuc promiscue recensentur, quæ suspecta esse possunt.

Succurrunt adhuc plura quæ suspecta esse posse videntur. Quare illa quoque sed promiscue rursus,

rursus, ceteris adjiciemus. Dicimus nos *Wie meine gewohnheit ist.* Et pari modo Latini, *Sicut meus mos est.* Horatius lib. I. Sat. 9.

Iham forte via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.

Eodem modo dici quoque possit *sicut mea consuetudo est.* Sed & dicunt *consuetudinem aliquam habere,* & *consuetudinem suam tenere.* Cicero Orat. I. Philipp. *Si consuetudinem meam, quam in rep semper habui, tenuero.* Dicunt item, *consuetudo est apud aliquos,* quomodo nos, *bey ihnen ist die gewohnheit.* Cæsar lib. I. de B. Gall. *Quod apud Germanos ea consuetudo esset.*

Adverbio nostro *wohl* sæpe per pleonasmum fere utimur, dicimusque exempli gratia, *ich weiß es wohl.* Et pari modo Latini suo *bene* uti videntur. Ovidius lib. I. de arte am.

Scit bene venator, cervis ubi retia tendat;
Scit bene, qua frendens valle moretur aper.

Hic *scit bene,* judice quoque Henrico Stephano, nihil amplius est quam *scit;* & vox *bene* παρέλκει. Vide librum ejus de Latinitate falso suspecta, pag. 265. Quo eodem loco ejusdem Ovidii & hæc citat:

Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.

Item ex libro primo Tristium:

Scis bene cui dicam positis pro nomine signis.

Dicunt etiam *bene aliquem nosse.* Ut Horatius lib. I. ep. 18.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem præbere, professus amicum.

Nos hic dicimus *wo ich dich recht kenne.* Sed in eo vocula *bene* παρέλκειν Stephano non videtur: uti nec in hoc Ovidii:

Tum quoque non paucos, si te bene novimus, ures.

De aliis autem locis, ubi eadem locutio apparet, judici-

judicium suspendit. Ut quod Propertius lib. II. el. 29. vel 30.

Sed nudi fuerant: quorum lascivior unus,
Arripite hunc, inquit, nam bene nostis eum.

Et quod Ovidius alicubi dicit: *Nos quoque amicitiæ nomen bene novimus, hospes.* Porro quod dicunt *bene promittere*, vox *bene* itidem per pleonasmum aliquando usurpari videtur. Ut quod Plautus in Pœnulo dicit: *Bene promittis multa ex multis: omnia in cassum cadunt.* Pari modo nos non quidem adverbium *wohl*, sed tamen nomen adjectivum *gut* usurpamus, cum dicimus *gute zusage thun*, pro *zusage thun.* Qui promittit aliquid, proprie quidem accepto vocabulo, is promittit aliquid boni, sive jam verum bonum sit, sive apparens: & tamen addimus vocem *gut*, dicimusque *gute zusage thun.* De phrasi Latina notetur adhuc locus Ciceronis, qui est in lib. II. de divinat. *Quæ autem inconstantia Deorum est, ut primis minentur extis, bene promittant secundis.*

Dicimus nos *wie heissest du*, pro *wie ist dein nahme*, vel *welcher ist dein nahme.* Sic & Latini non tantum dicunt, *Quod tibi nomen est*, sed & *Qui vocare.* Terentius Adelph. Act. V. sc. 6. *Eccum Demeam. salvos sies.* D. *Oh, qui vocare?* G. *Geta*, scil. vocor. Plinius lib. X. ep. 5. *Vocatur ipse Harpocras.*

Notetur etiam illud, quod dicunt *Ferrum tres in longum habet pedes*, quomodo nos, *Das eisen hat drey fuß in die lange.* Habet illud Livius in lib. XXX. Pari modo igitur dici potest *Ferrum habet tres pedes in latum.*

Sed quid videtur phrasis *campum retinere?* An hanc quoque ferendam putabimus? Respondet ea nostræ phrasi *das feld behalten*; qua quidem Interpres noster usus est in cap. VI. ep. ad Ephesios, ubi vertendum habuit verbum στῆναι. Non quidem ævi Ciceroniani

niani aliquem novimus, qui phrasi illa latina usus sit: sed usus tamen est suo tempore Sidonius Apollinaris. Verba hujus in Carmine quinto, non spernendo sane, hæc sunt:

- - - *Sic agmina vestra*
Cum spoliis campum retinent, & Marte fruuntur.

In epistola III. libri III. in eandem sententiam dicit *planitie patentissima potiri.* Verba ibi sic habent: *Interea tu cæsis quibusque optimis, quos noviſſimos agmini non ignavia, sed audacia fecerat, nullis tuorum certamine ex tanto desideratis, solus planitie quam patentissima potiebare.* Famianus Strada fortunam dixerat *campi dominam.* Quod non probat Caspar Scioppius initio libelli, quem infamiam Famiani inscripsit. Cæterum ex Valerio Flacco ad locum priorem Sidonii notat Savaro, quod is scripserit, *Dux campi, Martisque potens.*

Dicimus nos *einem an vaters statt seyn.* Et pari modo Latini *parentis loco alicui esse.* Cicero I. in Verr. *Prætorem quæstori suo parentis loco esse oportere.* Ubi ad vocem *loco* subaudiendum videtur *in.* Nec aliter in eo quod Metellus scripsit ad Ciceronem, *Te mihi fratris loco esse duco.* Terentius eam vocalam diserte adjicit, quod dicit *in loco fratris germani aliquem diligere.* Andriæ Act. I. sc. 5. *Si te in germani fratris dilexi loco.* Valerius Maximus lib. IIX. cap. 7. dicit *uxoris loco aliquem habere:* quod quidem rursus pro *in loco uxoris* est. *Sed eum* (Carneadem) inquit, *Melissa, quam uxoris loco habebat, temperato inter studia non interpellandi, sed inediæ succurrendi officio, dexteram suam necessariis usibus aptabat.* Terentius rursus vocalam *in* addit, dicitque Heaut. Act. I. sc. 1. *Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco.* Item Cicero VII. in Verr. *Ipsi in hostium numero locoque ducemini.* Et in Pison. *Tunc ausus es meum discessum illum, te-*

stem

stem sceleris & crudelitatis tuæ, in maledicti & contumeliæ loco ducere.

Illud quoque hic notandum, quod dicunt *veritate*, ut nos *in der wahrheit*, cum aliquid omnino certum esse dicere volunt. Cicero I. in Ant. *Re & veritate nobis milites sine ulla recusatione summo etiam cum studio nomina dant.* Idem pro S. Rosc. *Quod est veritate falsum*, id est, reipsa falsum. Vocabula *res* & *veritas* idem Cicero conjungit quoque alibi. Ut lib. V. Tusc. *Cum animum ab ista pictura imaginibusque virtutum ad rem veritatemque traduxeris.* Et in libris de Orat. dicit: *Vide ne plus ei tribuas, quam res & veritas ipsa concedat.* Dicunt etiam *in re.* Livius l. III *Quid in re est aliud?* Ceterum pro *re & veritate* dicunt etiam *re vera*, atque ita substantivo adjectivum jungunt. Nepos Agesilao: *Simulans se dare operam, ut Lacedæmoniis cum rege conveniret: re autem vera ad copias comparandas.* Et Conone: *Hunc adversus Pharnabazus habitus est Imperator: re quidem vera exercitui præfuit Conon.* Justinius l. V. *Et erat hic quidem titulus cum Græcis coëundi: re autem vera timebat, ne victis Athenienſibus ad se Lacedæmonii arma transferrent.*

Quod nos dicimus *vor jemandes augen*, Latini non tantum dicunt *in conspectu alicujus*, verum etiam *in oculis*, vel *sub oculis alicujus.* Cicero lib. II. de fin. b. & m. *At magnum periculum adiit: in oculis quidem exercitus. Quid ex eo consecutus est? Laudem & caritatem.* Justinus lib. I. *Gravidam ad se filiam arcessit, ut sub avi potissimum oculis partus necaretur.* Dicunt etiam *incurrere in oculos* pro *incurrere in conspectum:* & *venire sub oculos* pro *venire sub conspectum.* Seneca lib. I. de Benef. c. 5. *Sic non est beneficium id, quod sub oculos venit, sed*

beneficii vestigium & nota. Alteram phrasin habet Cicero in epistolis ad Atticum.

Dicunt etiam *manere in sententia sua*, quomodo nos *bey seiner meinung bleiben.* Livius l. III. *Consul manebat in sententia sua.* Cicero pro Marc. *Te salvo & in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime usus es, manente.* Nec mirum illud, quod sic dicunt; cum etiam dicant *esse in aliqua sententia*, ut supra pag. 41. & *stare in eadem sententia*, ut supra pag. 116. ostendimus.

Verbi *valere* quoque usus aliqui notentur. Ut quod dicunt *Hoc eo valet*, ut nos *das gilt dahin.* Corn. Nepos Themist: *Hoc eo valebat, ut in gratiis ad depugnandum omnes cogerentur.* Ibidem: *Id responsum quo valeret, cum intelligeret nemo.* Dicunt etiam *aliquid apud aliquem valere*, ut nos, *etwas bey einem gelten.* Cicero lib. XI. ep. 11. ad Att. *Si aliquid apud te valet gener tuus.* Pari modo dicunt *nihil apud aliquem valere.* Augustinus contra ep. Manich. c. 5. *Ita nihil apud me valebit, quicquid inde protuleris.*

Habemus hoc Germani, ut, si quis sibi ipse officiat, aut commodum suum non curet, dicamus, *daß er ihm selber im lichte stehe*, id est, quod impediat, ne lumen, i. e. commodum ad ipsum perveniat. Cui valde cognatum est, quod Plautus Trinummi Act. III. sc. 2. habet: *Nisi me auscultas, atque hoc uti dico facis, tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor.*

Cum pertæsi ambagum breviter dici volumus, quomodo se res habeat, dicimus, *Sage mit einen worte.* Et pari modo Latini *Uno verbo dic.* Terentius Andr. I. sc. 1. *Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis.* Sed & unum idemque multorum judicium expressuri dicunt *uno ore*, quomodo nos *aus*

einem

einem munde. Terentius Andr. Act. I. sc. 1. *Tum omnes uno ore omnia bona dicere, & laudare fortunas meas, qui gnatum haberem tali ingenio præditum.* Idem Phorm. Act. IV. sc. 3. *Nam ceteri quidem hertle amici omnes modo uno ore auctores fuere, ut præcipitem hanc daret.* Dicunt etiam *una voce.* Cicero I. Philipp. *Una & mente & voce consentiunt.* Græci quoque similiter, ἐξ ἑνὸς στόματος & μιᾷ φωνῇ dicunt. Sed dicunt ἀπὸ μιᾶς γλώσσης; quasi Latine diceres, *ab una lingua*: & voce γλώσσης omissa, ac modo subaudita, ἀπὸ μιᾶς. S. Lucas c. XIV. v. 18 καὶ ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες. Quod recte vertit Theodorus Beza: *Et omnes cœperunt uno ore se excusare.* Nam ἀπὸ μιᾶς nihil aliud est quam Latinorum *uno ore*, nec placent, quæ de ῥήσει ista commentatus est Nicolaus Fullerus in libro I. Miscellaneorum. Phrasin integram ἀπὸ μιᾶς γλώσσης usurpavit Dio Cassius lib. LIIX. ubi de Senatoribus, cum ad epistolam Tiberii Sejanus comprehendendus esset, sic scribit: πάντες ἀπὸ μιᾶς γλώσσης καὶ κατεξόων αὐτὸν καὶ δεινὰ ἐπέλεγον. *Omnes uno ore clamarunt contra eum* (Sejanum) *& maledictis eum incesserunt.* Quem locum Dionis plures abhinc annos demonstravit nobis Vir summus Thomas Reinesius. Alii subaudierunt γνώμης aut βουλῆς aut φωνῆς. Contra quos prædictus Fullerus ita: *Esto: subaudiatur* γνώμης aut βουλῆς *aut etiam* φωνῆς: *hic tamen idoneum Græci alicujus autoris exemplum desidero. Nam Homericum illud a doctissimo interprete in Annotationibus citatum non quadrat: cum absit inde præpositio* ἀπὸ: *quam negligere nullo modo oportet.* Requisivit igitur Fullerus exemplа, quod auctores dicant ἀπὸ μιᾶς γνώμης, aut ἀπὸ μιᾶς βουλῆς aut denique ἀπὸ μιᾶς φωνῆς: &, si modo istiusmodi locutiones integræ ostendi potuissent, versionem Bezæ minus improbaturus fuisse videtur. Jam istarum quidem

locutionum exempla ostendi vix poterunt: at præclarum est, quod locutionem illam alteram ἀπὸ μιᾶς γλώσσης exstare scimus. Inde enim in proclivi est colligere, in verbis S. Lucæ ad voces ἀπὸ μιᾶς vocem γλώσσης subaudiendam esse. Et, si sciisset Fullerus, quod phrasis integra ἀπὸ μιᾶς γλώσσης exstaret, fortassis aliter & sensurus fuisset.

Cum significare volumus aliquid & antehac ab aliis factum esse, dicimus *Es ist nichts neues*. Et pari modo dici Latine possit *Nihil novi est*. Sane Terentius Phorm. Act. III. sc. 1. dicit: *Nihil fecit novi*. Deinde quomodo nos dicimus *Was ist das wunder?* ita Latini, *Quid isthuc mirum?* Terentius Andr. Act. IV. sc. 1. *Quid isthuc tam mirum, si de te exemplum capit?* Ovidius lib. I. Trist. el. 8. *Sæva, nec admiror, metuunt si fulmina*. Porro quod dicimus *Es müste wunder seyn, wenn dieses geschehen ware*, vel *wenn dieses nicht geschehen ware*, ei quoque Latini fere convenienter dicunt *Mirum, si hoc factum est, Mirum, ni hoc factum est*. Terentius Andr. Act. III. sc. 4. *Age igitur, ubi nunc est ipsus? D. Mirum, ni domi est*. Idem Eun. Act. II. sc. 1. *Mirum ni ego me turpiter hodie hic dabo cum meo decrepito hoc mancipio*. Rursus Act. IV. sc. 4. *Mirum, ni credis, quod iste dicat*. Cicero II. de Orat. *Quid ploras pater? Mirum, ni cantem*. Rursus Terentius Andr. Act. I. sc. 2. *Mirabar hoc si sic abiret*. Et Act. IV. sc. 5. *Mirum vero, impudenter mulier si facit*. Item Phorm. Act. III. sc. 2. *Mirabar si tu mihi quicquam afferres novi*.

Illud quoque hic notandum, quod Latini non tantum dicant *Doleo hoc factum esse*, sed & *Dolet mihi, hoc factum esse*, quomodo nos *Es thut mir wehe*. Terentius Adelph. Act. II. sc. 4. *Hoc mihi dolet, nos pene seros sciisse, & plane in eum locum redisse, ut, si omnes*

cuperent,

cuperent, *nihil tibi possent auxiliarier.* Cicero pro Mur. *Cui placet*, *obliviscitur: cui dolet*, *meminit.* Item pro Cœl. *Si egebis*, *tibi dolebit.* Et in epp. ad Att. *Dolet mihi*, *quod tu non stomacharis.* Denique in libris de Orat. *Nemo ingemuit*, *nihil cuiquam doluit*, *nemo est questus*, *nemo remp. imploravit*, *nemo supplicavit.* Plautus in Amphit. dicit, *Dolet hoc cordi meo.* Atque omnia hæc de dolore animi intelligenda. Alia vero, eaque propria, vocis significatio est, quod idem Plautus in Mostell. dicit, *Dolet mihi cor.* Et Plinius lib. XXIV. cap. 5. *Dolet a sole caput:* & alibi, *dolent ab ictu aures.*

Quod Terentius Phorm. Act. V. sc. 8. dicit, *Hæccine erant itiones crebræ*, *& mansiones diutinæ Lemni? Hæccine erat, quæ nostros fructus minuebat vilitas?* ei quoque nos convenienter loquimur. Et ni talis Latinitas propter locutionem nostram sit suspecta, Terentii illa sunt observanda. Apparet autem, notionem *causæ* aut finis vocibus *itiones*, *mansiones*, *vilitas* simul expressam atque comprehensam esse, & *hæccine erant itiones crebræ* dictum pro *Hæccine erat causa itionum crebrarum:* item *hæccine erat vilitas* dictum esse pro *Hæccine erat causa vilitatis*; *Hæccine erat causa*, *quod dictitabas*, *magnam vilitatem annonæ fuisse*, *nec multum pecuniæ ex frugibus redigi potuisse.* Nec novum sane est, notiones illas generales *causæ*, *partis*, *signi* aliis vocabulis simul involvi. Quod notio Partis subinde aliis vocabulis simul involvatur, ostendimus in Indice in C. Nepotem a nobis locupletato ad vocem *pars:* itemque epistola priore ad Gerh. Titium, p. 91. Et exemplis jam productis infinita adhuc alia addi possent, si quidem id nunc ageremus. Tantum unum atque alterum adhuc adjiciemus. Valerius Maximus lib. V. c. 7. *cum domo postica clam esset egressus*

pro *postica parte domus*. Justinus l. IV. c. 5. *Eurymedon in prima acie fortissime dimicans primus cadit* pro *in prima parte aciei*. Cæsar l. I. de B. Gall. *Neque dubitare debeant, quin, si Helvetios superaverint Romani, una cum reliqua Gallia Æduis libertatem sint erepturi*, pro *cum reliqua parte Galliæ*. Deinde quod notio *signi* quoque subinde aliis vocabulis simul involvatur, id multis exemplis in lib. I. Dissertationum sacrarum, cap. X. demonstravimus, & inter cetera quidem illo Justini Martyris, τὸ πάσχα ἦν ὁ χριστὸς, *pascha* seu *agnus paschalis erat Christus*, pro τὸ πάσχα τύπος τοῦ χριστοῦ *pascha erat figura Christi*.

Porro dicunt Latini *sine causa* & *non sine causa*, quomodo nos *ohn ursache*. Cæsar lib. I. de B. Gall. *Quos aliquandiu inermes sine causa timueratis, hos postea armatos ac victores superavimus*. Cœlius in epist. ad Ciceronem, quæ est septima in libro octavo epistolarum Ciceronis ad familiares: *Soror Triarii divortium sine causa, quo die vir ex provincia venturus erat, fecit*. Cæsar in libris de B. Gall. *Non sine causa fieri, ut Gallia omnis nobilitate spoliaretur*. Ceterum si efferendum sit latine *ohn alle rechtmassige ursach*, dicendumne *sine omni justa causa*, an *sine ulla justa causa?* Priore locutione nonnullos uti video: ego vero uti malim posteriore; quoniam animadverto, Latinos dicere, *sine ulla pompa, sine ulla religione & fide, sine ulla stipulatione, sine ullis doloribus, sine ullo præsidio, sine ulla impensa, sine ulla molestia, sine ulla recusatione, sine ulla querela, sine ullo delectu*. Et monuimus hac de re in Indice in Corn. Nepotem a nobis locupletato, ad vocula m *sine*. Sed indignatus est Vir Clarissimus, qui istum Indicem primus adornavit, quod hæc & alia a nobis sunt adjecta: maluisseque Indici a se adornato plane nihil adjici; &, si quid de Latinitate

Cornelii

Cornelii Nepotis monere nos vellemus seorsum illud factum esse, & Indice plane alio ac novo, qualem Joh. Loccenius fecit. At nos, quod cuperemus Indicem in Cornelium Nepotem paulo pleniorem exstare, neque speraremus his, quæ a Viro Clarissimo adornata atque congesta erant, nos meliora dare posse, ipsis illis quæ congesta jam erant utendum, iisdemque nonnulla adjicienda esse putavimus. Neque vero credebamus, rem istam a quoquam nobis vitio datum iri; sed pro opera, quam satis molestam sumpseramus, gratias potius actum atque habitum iri. Judicabamus quippe alios ex nostro ingenio, qui, quoties ab hoc vel illo ad literas aliquid collatum videmus, continuo illud Theocriti cogitamus, μεγάλα χάρις αὐτῷ. Quid quod auctores habemus Viros Clarissimos, Basilium Zanchum, Cœlium Secundum Curionem, Marcellum Squarcialupum, Augustum Buchnerum, Johannem Andream Bosium, & innumeros alios, qui idem quod nos fecimus, ante nos fecerunt, atque his quæ congesta jam ab aliis erant, nonnulla adjicienda putarunt. Qui igitur accusare nos volent, eadem opera innumeros viros clarissimos, quos auctores habemus, accusabunt. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν: ac solatio nobis erit communitas mali; quam Poëta Græcus expressam voluit his versiculis:

Οὐδὲν θαυμαστὸν, Πολυπαίδη· οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
Οὐθ' ὕων πάντως ἀνδάνει, οὔτ' ἀνέχων.

Quod Latini dicunt *ex animo diligere*, id Germani dicimus non *aus dem gemüth lieben*, sed *von hertzen lieben*. Sed annon Latini quoque nobis convenienter dicunt *ex corde diligere*, vel saltem, *corde diligere?* Prioris quidem exemplum non suppetit: at posterioris est in promptu. Plautus Capt. Act. II. sc. 3. *Di vostram fidem, hominum in-*

genium liberale! ut lacrymas excutiunt mihi! Videas corde amare inter se. Quantis laudibus suum herum servus collaudavit. Græci quoque dicunt ἀπὸ τῆς καρδίας ἀγαπᾶν: quod nostræ phrasi adhuc magis congruit. Hebræi item dicunt אהב בלבבו *diligere in corde suo*, ac pro solenni suo adjiciunt pronomen: qua de re supra in pag. 65. nonnulla apparent.

Pro duabus voculis *si non* frequentant Latini vocem compositam *nisi*, quæ tantundem valet, & ex voculis duabus *ne* & *si* est conflata. Sed annon ipsas quoque voculas *si non* usurpant, quomodo nos duabus voculis separatis dicimus *wo nicht?* Primo Henr. Stephanus testatur, sensum vocularum *si non* pro ipso *nisi* non raro observasse apud Ovidium. Vide paginam 293. libelli ejus de Latinitate falso suspecta. Deinde addit, easdem voculas *si non* poni etiam pro *sin minus*: idque multo magis novum videri posse Gallis; quippe qui hodieque *si non* frequentent, ubi Latini *sin minus* dicant; exempli gratia, *S' il le veut faire, tant mieux: si non, je le contraindray.* Subdit deinde exemplum ex Ovidio: *Odero si potero: si non, invitus amabo.* Item ex Plinio juniore: *Si adsunt amici honestissimi, sermones explicantur: si non, liber legitur.* Quibus varia adhuc alia addi possunt. Ut quod Horatius lib. I. ep. 1. dicit:

Is ne tibi melius suadet, qui ut rem facias, rem
Si possis recte: si non, quocunque modo rem?

Plautus Pseudulo: *Si credis, nummo: si non, ne mina quidem.* Cato de re rust. c. XX. *Si demptus erit odor deterior, id optime: si non, sæpius facito, usque dum odorem malum dempseris.* Sed & ex ipso Cicerone varia istius vocularum usus exempla collegit Godeschalcus Stewichius in libro de particulis linguæ latinæ. Ut quod Cicero scribit: *Si feceris, id*

quod

quod ostendis, magnam habebo gratiam: si non feceris, ignoscam. Item: *Eo si veneris, de toto itinere ac fuga mea consilium capere potero: si id non feceris, mirabor.* Rursus: *Si hæc civitas est, civem esse me; si non* (hæc civitas est) *exulem esse, non incommodiore loco, quam si me Rhodum aut Mitilenas contulissem.* Ceterum pro *si non* dicunt etiam *sin non:* item *si minus* & *sin minus.* Horatius Tursellinus in libello de particulis latinæ linguæ, de voculis *si non* ita: *Si non pro si minus barbarum non est, si recte adhibeatur.* At nulla ille talia exempla protulit, qualia modo nos proferebamus; sed modo quod Cicero in epistolis ad Att. scripsit: *Ut qui nummos ex tribu pronunciaverit, si non dederit, impune sit.* Et in epistolis ad fam. *A flamma si non potes omne, partem aliquam velim extorqueas.* Et denique in lib. II. de Orat. *Is magnus est orator, si non maximus.* Quid ergo ille admonitione sua sibi voluit, quod scripsit, *Si non pro si minus barbarum non esse, si recte adhibeatur?* An illud, si voculæ *si non* locis aliis pro *si minus* adhibeantur, & quidem ubi *si* præcessit, usum illum barbarum esse? Si hoc voluerint, exemplis, quæ ex Ovidio, Horatio, Catone, ipsoque Cicerone prolata sunt, facile refelli potest.

Ut dicimus *auff den Wind warten*, ita Latini *ventum expectare.* Cicero Philipp. 1. *Cum postridie apud eundem ventum expectans manerem.* Deinde dicunt *vento venire*, ut nos *mit dem Winde kommen.* Corn. Nepos Miltiade: *Cum ille domo navibus proficiscens vento aquilone venisset Lemnum.* Dicunt etiam *contrariis ventis retineri.* Plinius lib. X. ep. 26. *Nuncio tibi, me Ephesum cum omnibus meis ὑπὲρ μαλέαν navigasse, quamvis contrariis ventis retentus.*

Dicimus nos *mit stillschweigen vorbeygehen.* Et similiter Latini *silentio præterire.* Neque dubium

est,

est, quin nostri Germani ut in multis aliis, ita & in hac phrasi formanda Latinos sint imitati. Et tamen fit non raro, ut ipsæ phrases Latinæ, ad quas Germanicæ sunt formatæ, suspectæ sint nobis. Justinus lib. XLII. cap. 2. *Neque silentio præteriri tantum regnum fas est.*

Phrasin Latinam *oculos pascere* imitati itidem nos sumus, & ad eam formavimus nostram phrasin *die augen weiden.* Et fieri tamen possit, ut ipsa Latina phrasis alicui suspecta sit, & ad phrasin nostram formata videatur. Ceterum utitur illa Terentius Phorm. Act. I. sc. 2. *Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere, sectari in ludum, ducere & reducere.* Ubi *pascere oculos* est oculis quasi præbere quod edant. Et simili metaphora Plautus in Pœnulo dixit *Oculis epulas dare.* Sed & cognata metaphora idem Plautus dixit *sermonem gustare, edere, orationem auribus devorare.* Vide Notas Joh. Weizii ad locum Terentii. Ipsa phrasi *oculos pascere* usus quoque est Lucretius; verum non de homine, sed de coloribus. Versiculi ejus in lib. II. sunt:

Neve bonos rerum simili constare colores
Semine constituas, oculos qui pascere possunt.

Ubi *pascere* est *delectare.* At in lib. I. dicit *visus pascere*, & perinde ut Terentius, de persona:

Atque ita suspiciens tereti cervice reposta
Pascit amore avidos inhians in te, Dea, visus.

De verbo *quærere* notetur, quod dicunt *occasionem quærere*, quomodo nos *gelegenheit suchen.* Et habet illud Livius in libro X. Idem lib. VII. dicit quoque *occasionem in manibus esse.* Deinde dicunt *gratiam apud aliquem quærere*, quomodo nos, *gunst bey einem suchen, gnade bey einem suchen.* Justinus lib. IX. c. 8. *Instruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quærere, solennis illi consuetudo.*

Sed

Sed & *invenire gratiam apud aliquem*, apud eundem Justinum legere memini: quomodo Hebræi dicunt מצא חן *invenire gratiam*. Quod autem hi addunt בעיני פלוני *in oculis alicujus*, id nihil aliud est quam Latinorum *apud aliquem*. Ceterum *gratiam quærere* est etiam *gratiam acquirere*, *comparare*. Livius lib. VI. *Eaque ipsa affinitas haud spreta gratiam Fabio ad vulgum quæsierat.*

Vocabulum *fortuna* est quidem μέσον: sed subinde tamen pro fortuna bona usurpatur; ut idem sit quod nostrum *glück*. Dicunt igitur *in tanta fortuna*, quomodo nos *bey so grossem glück*. Cicero pro Lig. *Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantum tu per te, inquam, obtines, (intelligo quid loquar) acerbissimo luctu redundaret ista victoria.* Dicunt etiam *magna fortuna*, ut nos *groß glück*. Horatius lib. III. Od. 27. *Mitte singultus: bene ferre magnam disce fortunam.* Cæsar lib. VI. de B. Gall. *Multum cum in omnibus rebus, tum in re militari fortuna potest. Nam sicut magno accidit casu, ut in ipsum incautum atque imparatum incideret, sic magnæ fuit fortunæ, omni militari instrumento quod circum se habebat erepto, rhedis equisque comprehensis, ipsum effugere.*

Vox *mane* cum adverbium sit, suspectum esse possit, si dicatur *a mane ad vesperam*, quomodo nos *von morgen biß zu abend*. Sed habet tamen illud Plautus in Milite glorioso. Ceterum & hoc constat, adverbio isti præpositiones quoque alias, itemque nomina adjectiva ut substantivo, jungi. Lucilius, ut est apud Diomedem Grammaticum, dixit: *E summo pueros cum mane expergitus clamo.* Ubi *cum mane* idem est quod *cum luce*, *cum prima luce*. Persius Sat. III. dicit, *Clarum mane fenestras intrat.* Dicunt item *multo mane*, *summo mane*, *postero mane*.

Sed

Sed &, quomodo nos duo adverbia conjungimus, dicimusque, *heute früh, morgen frühe*, Latini dicunt *hodie mane, cras mane, heri mane:* & simili ratione *hodie vesperi, cras vesperi, heri vesperi.* Cicero II. de Orat. *Cum ad me in Tusculanum heri vesperi venisset.* In ep. ad Att. dicit *hodie mane.*

Dicunt etiam *necessitas cogit me*, quomodo nos *die noth zwinget mich.* Livius lib. III. *Me vera pro gratis loqui necessitas cogit.* Cicero in Orat. pro Rosc. *Premit necessitas.* Item in Orat. pro Cluent. *Necessitate coactus feci.* Dicunt item *extrema necessitas*, ut nos *die euſſerſte noth.* Saluſtius lib I. Hiſt. dixerat: *Neque extremam necessitatem nihil ausus, nisi muliebri ingenio, expectat.* Idem B. Jugurth. dicit & ſic, *Ad necessitudinem rei satis est dictum.*

Dicunt non tantum *abstinere cibo*, ſed & addito accuſativo pronominis reciproci *abstinere se cibo*, quomodo nos *ſich der ſpeiſe enthalten.* Corn. Nepos Attico: *Sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit.* Cæſar IIX. de B. G. *Paucis diebus sese cibo abstinuisset, atque ita interiit.* Cicero II. Philipp. *Quale autem beneficium est, quod te abstinueris a nefario scelere.* Plerumque quidem *se* omittunt, dicuntque *abstinere cibo, abstinere alieno, abstinere publico, abstinere maledictis*, & infinita id genus alia: verum ubi alius accuſativus non eſt additus, ſubaudiendum tamen illud eſt. Cæterum varios quoque alios accuſativos iſti verbo adjiciunt. Teren. Heaut. *Non manum abstines mastigia.* Cicero lib. I. de Orat. *Coërcere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere.* Item IV. Tuſc. *Qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit. Abstinere vim ab aliquo* dicunt Livius & Horatius.

Voculæ *ſub* quoque uſus quidam notentur. Ut

quod

quod dicunt *sub oculos venire*, quomodo nos *unter augen kommen*. Exemplum jam supra ex Seneca, cum de verbo *venire* ageremus, produximus hoc: *Non est beneficium id, quod sub oculos venit, sed beneficii vestigium & nota.* Hic *quod sub oculos venit*, nihil aliud est quam *quod videtur*, *quod videri potest*. At quod efferendum nos nostra phrasi vix uteremur. Utimur autem tum cum dicimus *er darff ihm nicht unter augen kommen*. Ad quod efferendum ipsa illa phrasi latina, qua Seneca usus est, uti nihil dubitem. Cicero dicit *in conspectum alicujus venire*. in lib. II. de fin. Et in phrasi illa altera vox *oculos* nihil aliud quam conspectum significat. Porro ut nos dicimus *unter dem schein*, ita Latini *sub specie*. Livius alicubi, *sub specie pacis*. Alias dicunt *per speciem*. Ut idem Livius lib. IX. *Celam morte Tarquinii per speciem alienæ fungendæ vicis suas opes firmavit.* Sed & eleganter *per causam* dicunt. Idem Livius lib. XXIV. *Cum appropinquaret januæ rex, per causam aliquam sustinent in angustiis a tergo agmen.* Denique ut nos dicimus *Es ist unter dem Dario geschehen*, ita Latini *Factum est sub Dario*, pro *temporibus Darii*. Quintilianus lib. V. c. 10. *Nunc, olim, tunc, sub Alexandro.*

CAPUT XXVII.

Recensentur παραλειπόμενα quædam.

Supra cum de variis variorum vocabulorum usibus, qui suspecti esse possunt, egimus, nonnulla memoriam effugerunt, aut aliunde interea suppeditata nobis sunt. Quæ igitur adhuc recensere non pigrabimur. Verbi *jacere* usum aliquem, qui suspectus esse potest, notavimus supra in pagina 117. Sed postmodum summus Germaniæ nostræ Criticus & Polyhistor monuit, eum quoque vocabuli usum

suspectum

ſuſpectum eſſe poſſe, quod dicunt *graviter jacere*, pro eo quod nos dicimus *ſchwer danieder liegen*. De verbo *decumbere* nota res eſt, quod idem quoque ſit quod *ægrotare*, *morbo conflictari*. At quod verbum *jacere* quoque ea notione uſurparint, id non adeo in vulgus notum videtur. Notanda igitur verba Plinii lib. V. ep. 9. *Triſte illud quod Julius Valens graviter jacet: quanquam ne hoc quidem triſte, ſi illius utilitatibus æſtimetur, cujus intereſt, quam maturiſſime inexplicabili morbo liberari.* Verbum *cubare* quoque ea notione uſurpatum invenias, & quidem ab Horatio. Hujus verſiculi l. I. Sat. IX. ſunt:

- - *Quendam volo viſere non tibi notum:*
Trans Tyberim longe cubat is prope Cæſaris hortos.

Ubi ad vocem *cubat* Acro Scholiaſtes: *Ægrotat, languet, jacet*; atque ita voce *jacet* eadem notione, qua Plinius, uſus eſt.

Verbi *facere* uſus, qui ſuſpecti eſſe poſſunt, notavimus ſupra p. 76. Hic vero addimus, quomodo nos dicimus *was that er nicht*, cum ſignificare volumus, aliquem omnia feciſſe & nihil omiſiſſe, ut hoc vel illud conſequeretur, ita Latinos dicere *Quid non faciebat*, pro *valde laborabat, vehementer nitebatur*. Virgilius Ecl. II. *Hæc eadem ut ſciret, quid non faciebat Amyntas?* Noſtri ſimiliter, *Was that er nicht, daß er dieſes wiſſen mochte?* Porro dicimus nos *was thut der geitz nicht?* Cui geminum illud Terentii Phorm. Act. II. ſc. 3. *Vide avaritia quid faciat.* Et nihil prohibet, quo minus & per interrogationem dicatur, *Quid non facit avaritia?* ad eum modum ſcilicet, quo Horatius dicit, *Quid non ebrietas deſignat?* Plautus quoque in Trinummo dicit, *Facit hoc argentum*; quomodo nos, *das macht das geld*. Supra recenſuimus quoque phraſes *auctoritatem facere, favorem facere*. Quibus addatur,

tur, quod Livius lib. IX. dicit, *Tantam inter ipsos miserationem hoc fecit.* Ibidem quoque dicit *in perpetuum amicos facere.* In historia naturali Plinii legere memini *Hoc cephalalgiam facit:* sed locus non succurrit. Dicunt etiam *facere viam ferro*, quomodo nos *einen weg machen.* Habet illud Livius in lib. VII. Item, *facere aliquem tristem, facere aliquem lætum*, quomodo nos *einen traurig, einen frolich machen.* Seneca ep. LXXXIX. *Quid prodest colligere subtiliter pedes jugeri, & comprehendere etiam siquid decempedam effugit, si tristem me facit vicinus potens, & aliquid ex meo abradens?* Plautus teste Henrico Stephano dicit *Eos lætantes faciam adventu meo.* Quidni ergo dici quoque possit, *lætum aliquem facere adventu suo?* præsertim cum verbo quoque composito *lætificare* dicant. Cicero lib. II. de nat. D. *Quarum* (reversionum) *intervallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim lætificat* (terram Sol.) Denique & illud notandum, quod dicunt *facere se intra limen, facere se huc*, quomodo nos *mache dich weg, mache dich hieher.* Apulejus lib. V. Metamorph. *Invitata Psyche talium locorum oblectatione propius accessit: & paulo fidentior intra limen sese facit.* Pari modo ipsum quoque Plautum dicere *Huc te fac*, Joh. Weizius Notis in Terentii Hecyræ Act. III. sc. 3. observat. Nostro verbo usus est Interpres noster in versione cap. VIII. Actorum Apostolicorum, ubi emendum fuit Græcum κολλήθητι. Vertit enim, *mache dich bey diesem wagen*, pro *gehe zu diesem wagen*, vel *verfüge dich zu diesem wagen.*

De verbo *habere*, ejusque usibus falso suspectis diximus supra pag. 46. & sequentibus. Quibus nunc addimus, quod Vegetius dicit *aliquid libenter habere*, ut nos *etwas gern haben.* Verba ejus initio

lib. I. de re milit. hæc sunt: *Quod* (nimirum ut bonarum artium studia literis mandentur, ac redacta in libros principibus offerantur) *Octavianum Augustum ac bonos dehinc principes libenter habuisse, frequentibus declaratur exemplis.* Porro dicunt *habet speciem*, ut nos *es hat den schein.* Cicero III. de Off. *Voluptas utilitatis speciem habere dicitur.* Item lib. X. ep. 12. *Atque hæc omnia, quæ habent speciem gloriæ collecta inanissimis splendoris insignibus, contemne.* Quintilianus lib. III. cap. 7. *Habet interim aliquam speciem probationis.* Notetur item phrasis *in memoria habere.* Cæsar lib. I. de Analogia, ut ex Gellio & Macrobio constat, scripserat: *Habe semper in memoria atque in pectore, ut tanquam scopulum, si fugias inauditum atque insolens verbum.* Denique his, quæ in pag. 53. consignavimus, geminum notetur illud ex oratione Ciceronis pro Rosc. *Habeo etiam dicere quem contra morem majorum minorem annis LX. de ponte in Tiberim dejecerit.*

De usibus voculæ *ad* falso suspectis egimus supra in pag. 161. & sequentibus. Hic vero addimus, quod dicunt *proponere alicui exemplum ad imitandum, relinquere alicui imagines ad intuendum*, atque ita voculam *ad* adjiciunt. Cicero pro Arch. *Quam multas nobis imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas, scriptores & Græci & Latini reliquerunt.* Item pro Muræna: *Ad imitandum vero tam mihi propositum exemplar illud est quam tibi.* Et ibidem: *Domesticum te habere dixi exemplum ad imitandum.* Alibi dicit, *Proponere sibi aliquem imitandum*, vocula *ad* omissa. Augustinus Tractat. XXVI. in Joh. *Quærunt quomodo possit Dominus carnem suam dare ad manducandum.* Potuisset dicere, *Quomodo Dominus possit carnem suam dare manducandum:* ut parti-

participio passivo temporis futuri uteretur. Verum usus est gerundio, eique voculam *ad* præmisit.

De verbo *audio* quoque egimus supra, & quidem pag. 107. Sed hic addimus, quod dicunt *Ut audio*, quomodo nos *wie ich höre;* pro *Ut intelligo*. Terentius Phorm. Act. III. sc. 1. *Per ejus unam, ut audio, aut vivam aut moriar sententiam.* Cum aliquid accidit præter opinionem, aut rei indignitatem significare volumus, dicimus, *was höre ich? was höre ich neues?* Et pari modo Latini, *Quid audio? Quod verbum audio, Quid novi audio?* Terentius Andr. Act. I. sc. 5. *Miseram me, quod verbum audio?* S. Hieronymus epist. LXXXII. *Quid novi audio?* Denique notetur, quod dicunt, *audio* pro *audivi;* quomodo nos *ich höre* pro *ich habe gehoret*. Justinus l. XXXIII. cap. 4. *Audire se a Pyrrho rege Epiri, non amplius quam quinque millibus Macedonum instructo, fusos tribus præliis Romanos. Audire Hannibalem sexdecim annis Italiæ victorem immoratum*, pro *audivisse se*.

Vocis *unus* usum aliquem, qui suspectus esse potest, notavimus supra pag. 32. Nunc vero & illud notandum proponimus, quod dicunt *unus & octogesimus annus*, quomodo nos *das ein und achzigste jahr*, pro *das achzigste und erste jahr*. Differunt, ut notum est, Latinis *unus* & *primus;* & nobis item *ein* & *erste:* dicuntque Grammatici unum eorum nomen numerale cardinale, alterum ordinale. Sed fit tamen, ut voculam *ein* pro vocula *erste* usurpemus; & Latini item *unus* pro *primus*. Nec sane aliter Germani *octogesimum primum* efferimus, quam ut voculam *ein* usurpemus, dicamusque *das ein und achzigste:* neque genius nostræ linguæ fert, ut dicamus *das achzigste und erste*. At Latini dicunt quidem *octogesimus primus*, atque ita nomen ordinale

primus usurpant, sed dicunt etiam convenienter nostræ linguæ *unus & octogesimus*, atque ita nomen cardinale *unus* usurpant. Cicero de Senect. *Qui uno & octogesimo anno mortuus est.* Sed pergunt & amplius, dicuntque *unum & centesimum caput legis* pro *centesimum primum caput legis.* Cœlius in quadam epistola ad Ciceronem: *Legisque unum & centesimum caput legit, in quo ita erat, Quod eorum judicum major pars judicarit, id jus ratumque esto.* At nos non dicimus *das ein und hundertste;* sed dicimus tantum *das hundert und erste* pro *das hundertste und erste.* Rursus tamen, in decadibus, quæ sunt ad centum usque pergimus, &, ut dicimus *der ein und achzigste* pro *der achtzigste und erste*, ita quoque dicimus *der zwey und achtzigste, der drey und achtzigste*, pro *der achtzigste und andere, der achtzigste und dritte.* An ergo pari modo Latine quoque dici posse putabimus *duo & octogesimus, tres & octogesimus?* Sane verba Fabii Pictoris in vetere codice MS. de quo Gellius l. V. cap. 5. refert, habuerunt sic: *Quapropter tum primum ex plebe alter COS. factus est, duo & vicesimo anno, postquam Romam Galli ceperunt.* Verum Grammaticus quispiam, quem Gellius e nobilioribus fuisse testatur, ab emptore ad spectandos libros adhibitus mendum se reperisse putavit, cum librarius in quodvis pignus vocaret, si in una uspiam litera delictum esset: &, *Non*, inquit, *duo & vicesimo, sed duodevicesimo scribi oportuit. Quid enim est duo & vicesimo?* Ex quibus apparet, Grammatico isti insolens plane & nihili visum fuisse *duo & vicesimo.* At Ausonius Popma in fragmentis veterum historicorum locum illum Pictoris eodem modo, quo in vetere illo MS. lectum fuit, recensuit, nihilque hic immutandum putavit. Imo vero censuit ipsum Gellium aliud ejus locutionis

exemplum

exemplum ex eodem Fabio Pictore afferre voluisse, quod in calce prædicti capitis IV. lib. V. post judicium illud Grammatici hæc addidit: *Mortuus est anno duo & vicesimo. Rex fuit annos XXI.* Sed & similia se afferre posse credidit ex Tacito. Ut quod lib. I. Hist. scriptum sit, *Quarta ac duo & vicesima legiones.* Et lib. III. *Sextadecimanos duo & vicesimanosque lævum cornu complexe.* Lipsius quoque etsi in textu reliquit *Quarta & duodevicesima legiones*, tamen, quod paulo post legitur *Duodevicesimæ legionis*, ad id notat, quod scriptus codex Covarruviæ habeat *duo & vicesimæ legionis*; ac deinde judicium suum exponit his verbis: *Aperte, sicut & supra; Quarta ac duo & vicesima legiones. Probamus. Sæpe erratum etiam infra. Recte tamen integreque scriptum l. III. Sextadecimanos duo & vicesimanosque lævum cornu complexe.* Idem Lipsius, quod in calce libri II. Hist. Taciti legitur *Quinta & duodevicesima secutæ*, ad id notavit, codicem Vaticanum habere *duo & vicesima*, & ipsam quoque rem illud poscere. Nos propter judicium veteris illius Grammatici, de quo dicebamus, ἐπέχομεν, neque temere hic aliquid definimus. Certe illud *tres & octogesimus*, de quo & ipso quærebatur, an sic dici possit, ut nos dicimus *der drey und achtzigste*, nondum quisquam, quod quidem nos sciamus, ex ullo auctore se prolaturum professus est.

Porro de voce *unus* notetur, quod æque usitatum Latinis sit *unus & alter*, ac nobis *ein und ander*. Cicero alicubi: *Unus & alter dies intercesserat.* Terentius Andr. Act. I. sc. I. *Postquam amans accessit unus & item alter.* Salustius B. Jugurth. *Quarum* (cochlearum) *cum unam atque alteram deinde plures peteret, studio legendi paulatim prope ad summum montis egressus est.* Horatius lib. I. ep. 1. dicit, *Quidquid negat alter & alter.*

Istius quoque vocalæ *unus* usus, de quo supra in pag. 32. diximus, plura exempla proferre habemus. Justinus lib. XLII. c. 3. *Armenius unus de numero ducum Jasonis*, pro *aliquis de numero*. Seneca I. de Benef. c. 19. *Leonem in amphitheatro spectavimus, qui unum e bestiariis agnitum, cum quondam ejus fuisset magister, protexit ab impetu bestiarum.*

Supra cum de vocula *a* & *ab* ageremus, obliti sumus monere, quod vocalæ istæ subinde nominibus quoque urbium præmittantur, si significandus sit motus de loco: quomodo & de vocula *ad* monendum fuit, quod & ipsa nominibus urbium quandoque præmittatur, si significandus sit motus ad locum; non aliter scilicet quam nos nostras voculas *von* & *nach* iisdem nominibus urbium addimus, dicimusque *Ich komme von Nürnberg*, *Ich reise nach Nürnberg*. Egregie ea de re differuit Paschasius Grosippus, id est Caspar Scioppius, in Paradoxis literariis, & horum quidem epistola tertia. *Sic Ad & In*, inquit, *placuit* (Latinis) *nominibus quarti casus proponi, cum locus, ad quem iretur, significandus esset, nullo prorsus nec domus, nec ruris, nec urbis, nec provinciæ aut regionis discrimine: similiterque Ab, de & ex, nominibus sexti casus, ad significandum locum unde iretur: In vero ad locum, ubi maneretur. Qui quidem præpositionum usus cum a primo stabilitus fuisset, factum est postea, quoniam compendio studebatur verborum, omnesque inter se quam pauciſſimis communitatis vocibus animi sensa exprimere cupiebant, ut sæpe cujuscunque usus præpositiones reticere ac subaudiri mallent: quod quidem sermonis compendium pro quodam ornamento habuerunt, idque Grammaticorum lingua Ellipsis dici cœpit. Utrovis ergo modo postea loqui fuit liberum: nam qui præpositionem cuicunque nomini in loco significando addebat, primigenia*

sermonis

sermonis regula se tuebatur: qui vero lucrifaciebat, ultro etiam ornatus commendationem vindicabat. Et paucis interjectis: *Ipsum Ciceronem & Cæsarem, Virgilium, Livium, aliosque ejusdem aureæ ætatis scriptores, quibuscunque locorum nominibus præpositiones, alias ex vero artis præscripto addidisse, alias compendii & elegantiæ causa per ellipsin detrahere solitos videmus. Cæsaris verba sunt: Prius Cassius ad Messanam navibus advolavit, quam Pomponius de ejus adventu cognosceret. Livii vero: Ductus Vejos exercitus. Inde ad Vejos exercitus ductus. Valerium a Vejis abducere exercitum jubet. Abducere infecta re a Vejis exercitum noluerunt. Cum exercitibus ad Vejos accessere. Qui a Vejis fugerant. Cum exercitu novo ab Roma advenit. Placuit ab Ardea Camillum acciri. Profectus ab Ardea. Æsculapium ab Epidauro Romam accersendum. Samnitibus ab Aquilonia clam egressis. Abesse ab domo non possum. Dum senes ab domo accersunt. Ubi vos dilapsi domos & in rura vestra eritis. Cyprum classem misit. Ægyptum induxit exercitum.* Deinde paucis interjectis ex ipso Cicerone exempla profert hæc: *Cum in Piræeum Socrates venisset ad Cephalum. A Piræeo ad Zostera vento molesto venimus. Miles profectus sum ad Capuam, quintoque anno post ad Tarentum quæstor. Quinquaginta naves delatas in Uticam. Ut ab Alexandria discederet. Nec me in Arpinum abdam. Is ad Messanam venturus dicebatur. Ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit. Tertio die abs te ad Ariciam accesseramus. Ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopen quæ in Ponto est, navigaverunt. Ipse iter ad Mutinam dirigerem. Fugisse a Mutina viderentur. Ab Epheso profectum. A Bibone discessimus. De illius ab Alexandria discessu. Exclusus ab Antiochia. Quatridui iter a Laodicea abest. Sardiniam cum sua classe venit. Bosporum confugit. Italia cedit. Cum in sua rura venerint.*

In domo Cæsaris. Ad prætoris domum. In ipsius patris domum detulimus. Quasi in domum suam venerit. De Gyaro ad te dedi de Messala literas. De Pomptino scripsi. Ex Plauto quoque profert: *Is ex Anactorio huc commigravit in Caydonem. Quando iturus est hinc in Seleuciam. A patre ex Seleucia venit. Ubi ipse erat? In Seleucia. In Ephesum abii. Ex Epheso literas huc misi.* Ex his igitur omnibus, quæ Scioppius observavit atque congessit, apparet, quam solenne ipsis quoque Latinis fuerit nominibus urbium, sive motum de loco, sive motum ad locum significare vellent, præpositiones adjicere atque præmittere: neque continuo debere suspectum esse, si quando nominibus urbium præpositiones additas videamus.

De voce *nihil* in p. 23. monuimus, quod Latini dicant *nihil est.* Cui pro exemplo nunc adjicimus illud Terentii Heaut. Act. II. sc. 2. *Præ gaudio, ubi sim, nescio: ita timui.* Cl. *At ego nihil esse scribam, Clinia.* Item illud Adelph. Act. II. sc. 2. *Nunc si hoc omitto, ubi illinc rediero, actum agam. Nihil est, refrixerit res. Nunc demum venis? Cur passus?* Notetur etiam quod vocem *nihil* usurpant in comparationibus, dicuntque *nihil ad illud*, quomodo nos *es ist nichts dagegen.* Cicero lib. II. de Orat. *Quo etiam scripsit, Persium non curo legere (hic enim fuit, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus) Lælium Decimum volo: quem cognovimus virum bonum & non illiteratum; sed nihil ad Persium.* Ait hic, *Lælium Decimum virum bonum & non illiteratum fuisse, sed nihil* (scil. fuisse) *ad Persium.* Pari modo loquendi usus est Terentius Eun. Act. II. sc. 2. *Ehodum dic mihi, Estne, ut fertur, forma?* P. *Sane. C. At nihil ad nostram hanc.* P. *Alia res est.* Alibi & quidem Eun. Act. IV. sc. 4. dicit, *Nec comparandus hic quidem ad illum est.* Et apparet *nihil esse ad aliquid*

quid idem esse quod *non comparandum esse ad aliquid* vel *cum aliquo*. Græci quoque eadem forma dicunt οὐδὲν πρός τινα. Kockertus in indice in Terentium geminum profert ex lib. V. quæst. conv. Plutarchi; Εὖ μὲν, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὴν παρμένοντος ὖν. *Bene quidem, sed nihil ad Parmenonis suem.* Nec multum dissimile quod Græci dicunt, & idem profert, Λῆρος πάντα πρὸς τὸ χρυσίον, *nugæ sunt omnia ad aurum.*

De vocabulo *plenus* quædam in pag. 29. notavimus. Quibus addatur, quod dicunt *de pleno promere*, ut nos *aus vollem beutel.* Plautus Asin. Act. I. sc. 3. *Nam ubi de pleno promitur, neque ille scit, quid det, quid damni faciat: illi rei studet, vult placere sese amicæ.*

Cum de verbo *esse* ageremus, monuimus etiam, & quidem pag. 38. quod Latini dicant *Quid est?* Cui pro exemplo nunc addimus, quod Terentius Eun. Act. IV. sc. 3. *Virgo ipsa lacrymat, neque cum rogites, quid sit, audet dicere.*

In p. 149. dicimus de adverbio *sic*, quod quandoque ponatur pro adjectivo *talis*, idque exemplis demonstravimus. Nunc vero amplius monemus, vocem quoque cognatam *ita* pro eodem adjectivo usurpari. Plautus Bacchid. Act. V. sc. 2. *Vidi ego nequam homines, verum te neminem deteriorem.* PH. *ita sum.*

De verbo *assumere* actum est p. 130. Sed non monitum ibi, quod etiam dicat *iatralipten assumere, chirurgum assumere*, ut nos *einen barbirer annehmen.* Plinius l. X. ep. 4. *Proximo anno gravissima valetudine usque ad periculum vitæ vexatus iatralipten assumpsi, cujus solicitudini & studio tuæ* (Trajani) *tantum indulgentiæ beneficio referre gratiam parem possum. Quare rogo des ei civitatem Romanam.* Erant autem iatraliptæ, qui frictionibus & oleorum

illitu morbos curabant. Alter Plinius lib. XXIX. cap. 1. *Prodicus inſtituens quam vocant iatralepticen, reunctoribus quoque medicorum & mediaſtinis vectigal invenit.*

In p. 26. oſtendimus quod Latini dicant *magnus amator, magnus adjutor, magnus opinator.* Cui geminum eſt, quod Plautus Capt. Act. II. ſc. 2. dicit *Ad ſapientiam hujus nimius nugator fuit.* Non quidem ipſa vox *magnus* hic apparet; ſed apparet tamen vox *nimius*, quæ interdum idem eſt quod *magnus:* quomodo & *nimis* ſæpe pro *valde* uſurpatur. Ut *nimis factum bene* idem Plautus Act. II. ſc. 2. dicit pro *valde bene factum.* Et cum alicubi dixerit *magna mira*, alibi pro eodem dixit *nimia mira*: ut Henricus Stephanus obſervavit, & in pag. 17. ſui de Latinitate falſo ſuſpecta libelli monuit.

Supra in cap. 3. nomina ſubſtantiva, quorum uſus ſuſpecti eſſe poſſunt, recenſuimus. Iis nunc addatur, quod vox *oculus*, quæ proprie partem corporis, organum viſus, ſignificat, ponitur pro ipſo *conſpectu.* Ut cum dicunt *ſub oculos venire*, ut nos *unter augen kommen*, pro *ſub conſpectum venire*: quam phraſin ſupra pag. 111. in verbis Senecæ oſtendimus. Item quod dicunt *in oculis alicujus* & *ſub oculis alicujus*, ut nos *vor imandes augen*, pro *in conſpectu alicujus:* ut in p. 211. diximus. Deinde iisdem illis, quæ in cap. III. congeſta ſunt, addatur vox *manus*, quæ non aliter quam noſtra vox *hand*, aliquem manus effectum & quidem ipſam ſcripturam, ſignificat. Quintilianus l. I. c. 7. *Cauſſa, caſſus diviſiones: quomodo & ipſum* (Ciceronem) *& Virgilium quoque ſcripſiſſe manus eorum docent.* Ipſe Cicero in epiſtolis ad Att. *Occupationum mearum vel hoc ſignum erit, quod epiſtola librarii manu eſt.* Pro quo alibi ſcribit, *Occupationum mearum ſignum tibi ſit librarii*

librarii manus. Denique addantur etiam voces *vigiliæ, custodiæ:* quæ non aliter quam noſtra vox *wache*, ipſos quoque homines qui vigilias agunt ſignificant. Hirtius in B. Afr. dicit *custodias portis ponere.* Saluſtius B. Jugurth. *circumire vigilias, deducere vigilias.* Cicero pro Mil. *Si Capitolinæ cohortes, ſi excubiæ, ſi vigiliæ, ſi delecta juventus, quæ tuum corpus domumque custodit, contra Milonis impetum armata eſt.* Ita vocabulum quod proprie actionem & officium hominis ſignificat, hominem ipſum ſimul denotat. Et ſunt hujus generis in lingua Latina omnino plurima. Nam & vox *ſervitia* ipſos quoque ſervos ſignificat: & vox *legationes* ipſos legatos: & vox *magiſtratus* ipſos magiſtratum gerentes: & vox *auxilia* ipſos milites auxilio venientes & auxilium ferentes. Vide Indicem in Corn Nep. a nobis locupletatum, vocem *auxilium.* Freinshemius quoque Indice in Florum, & quidem ad vocem *dominatio*, varia hujus generis congeſſit. Ut quod *dominatio* ponitur pro Dominus: & *dimicatio* pro dimicantibus: & *amicitiæ* ac *familiaritates* pro amicis & familiaribus: & *matrimonia* pro uxoribus: & *conſilium* pro conſiliariis.

In capite XVI. recenſuimus varia verba compoſita, quæ vel ipſa tota, vel aliqui eorum uſus falſo ſuſpecti ſunt. Nunc vero illis addimus verbum *proponere*, quod tum aliis verbis noſtris, tum quoque noſtro *fürſetzen* reſpondet, & actionem quandam animi ſignificat. Dicimus nos *Ich habe mir fürgeſezt das zu thun*, cum ſignificare volumus animum nobis eſſe aliquid facere. Et pari modo Latini *Propoſui mihi hoc facere.* Plinius lib. X. ep. 5. *Ex epiſtolis tuis cognovi te Harpocrati Patraliptæ meo etiam Alexandrinam civitatem tribuiſſe, quamvis ſecundum inſtitutionem principum non temere eam dare propoſuiſſes.*

fuisses. Cicero subinde dativum addit, dicitque *sibi proponere*. Ut in Orat. pro lege Man. *Quod mihi ego extremum proposueram, cum essem de belli genere dicturus*. Et in libris de Orat. *Ab eo quod tibi proposueris, minus aberrare*. Rursus I. Philipp. *Qui eam tibi causam belli gerendi proponis, ut senatum funditus deleas*. Alibi: *Proponere sibi aliquem imitandum*. Et rursus alibi: *Qui leges scribunt, utilitatem reip. sibi proponere debent*. In quibus omnibus verbum *proponere* pertinet ad voluntatem. Sed subinde quoque pertinet ad intellectum & ad judicium. Ut in Orat. pro Dejot. *Propone tibi duos reges, idque animo contemplare, quod oculis non potes*. Item in Orat. pro Cœl. *Et cum hujus vobis adolescentiam proposueritis, constituite vobis ante oculos hujus etiam miseri senectutem*. Cum ad voluntatem referunt, dicunt etiam *propositum mihi est hoc facere*. Plinius alicubi: *Hoc propositum erat, vel superare vel cedere*. Sed & nomen *propositum* habent, cui nostrum *vorsatz* respondet: eamque vocem valde frequentant. Dicunt enim *tenax propositi, aberrare a proposito, desistuere propositum, assequi propositum, deterreri a proposito, manere, permanere in proposito, premere propositum, reverti, redire ad propositum suum*, & id genus alia. Hodierni Galli quoque inde suum *propos*, & Itali suum *proposto* & *proponimento* habent, & eadem notione quidem. Sed & Græci nomen similiter compositum πρόθεσις habent, & verbum item προτίθεσθαι. Hebræi etsi non utrique compositionis parti aliquid respondens habent, quippe qui verba composita nec usurpant omnino, tamen verbum suum שׂום quod Latino *ponere* respondet, hic usurpant, dicuntque שׂום על לבו *ponere super corde suo* vel *in corde suo*. Et ad phrasin illam Hebræam formata videtur phrasis Græca, quæ Act. V. 4. apparet,

apparet, τίθεσθαι ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῦ, *ponere in corde suo.*

Ad verba composita, quæ suspecta esse possint, videntur etiam pertinere verba *supervenire* & *supergredi:* quorum utrumque probum itidem est. Justinus l. 2. *Nec expectandum, ut ab hoste circumvenirentur, sed dum nox occasionem daret, securis & lætis superveniendum.* Et lib. V. *Sic deflectæ ac prope perditæ urbi hostes superveniunt.* Virgilius Ecl. VI. *Timidisque supervenit Ægle.* Rursus Justinus lib. XLII. *Claritatem parentum, æmulatione virtutis accensus, animi magnitudine supergreditur.* Et lib. XLIV. *Major utroque Annibal Imperator, Hamilcaris filius, succedit. Siquidem utriusque res gestas supergressus universam Hispaniam domuit.*

Vir illustris monuit suspectum quoque esse posse, si quis dicat *proferre se*, quomodo nos *sich hervor thun:* at scripsisse ita Senecam in libri de tranquillitate animi capite tertio. Verba hujus sunt: *Ut scias & in afflicta republica esse occasionem sapienti viro ad se proferendum.*

De verbo *aperire* quoque idem monuit, quod dicant *aperire cogitationes suas*, quomodo nos *seine gedancken eröffnen;* & quod ita habeat Auctor Dialogi de claris oratoribus. Congruit quod ipse Cicero in Oratore dicit *aperire alicui sententiam suam:* & Marius in epistola ad Ciceronem *aperire animum.* Terentius in Andria dicit quoque *aperire se.* Locum notavimus supra p. 260. Ex Livio affertur *aperire alicui rem.*

Vir summus in epistola plures abhinc annos scripta, sed quam nuper forte fortuna relegimus, de verbo *remittere* monuit, & verbis quidem quæ subjicio: *Ad Latinitatem suspectam referri quoque posse videbatur usus verbi remittere, quod nostratibus est zerlassen: cum de concretis frigore, glacie, gummatibus,*

bus, sevo, pinguedinibus, ad ignem redditis fluidis dicunt, ea remitti. Et utitur eo sensu Virg. l. IV. Georg. Mella calor liquefacta remittit. Sextus Placitus lib. 1. de med. ex animal. c. 3. Adeps vulpis remissus & instillatus aurium dolorem sanat. c. 10. Adeps leonis remissus: lib. II. c. 4. Adeps gruis cum anserino remissus. Serenus Samm. cap. de faucium morbis. Ceræ remissæ. Palladius lib 1. cap. 41. ammoniacum super ignem remissum. Plinius Valerianus lib. I. c. 5. & 9. lib. III. cap. 36. Gluten tauri remissum sicut solet a fabris remitti.

De verbi *vincere* usu quodam diximus supra in pag. 135. Sed nunc addimus, quod qui causam aliquam obtinet in judicio, eum *vincere* dicunt, quomodo nos, *daß er die Sache gewinne.* Cicero I. In Verr. *Unum ostende in tabulis aut tuis aut patris tui emptum esse, vicisti.* Ibidem dicit quoque: *Reus tam nocens, tam perditus, tam victus.* Et in epp. ad Att. *Cui si esse in urbe tuto licebit, vicimus.* Dicunt etiam *sponsione vincere.* Cicero pro Cluent. *Vel etiam, cum hoc ipsum concessit, vincit tamen sponsione, si planum facit, ab se illum aut vi, aut clam, aut precario possedisse.*

Denique unius & alterius phraseos Græcæ exempla adhuc adjicimus. Supra in pag. 24. diximus, quod Græci quoque dicant ἔχειν θυμὸν ἀγαθόν. Cujus exemplum indice Viro summo afferre nunc habeo ex lib. III. αἰθιοπικῶν Heliodori: θάρσει νῦν θυμὸν ἔχε ἐγαθόν. Deinde quod in p. 218. diximus, Græcos dicere quoque ἀπὸ καρδίας, ejus exemplum est in his M. Antonini Imperatoris Ἀπὸ καρδίας εὐχάριστον τοῖς θεοῖς.

DE

DE

LATINITATE MERITO SUSPECTA,

DEQUE

VITIIS SERMONIS LATINI,

QUÆ

VULGO FERE NON ANIMADVERTUNTUR,

LIBER.

AUCTORE

JOHANNE VORSTIO.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0247
DFG

CAPUT I.

Bene Latine scribere volenti quam varia cavenda fugiendaque sint.

DE Latinitate falso suspecta cum scriberemus, Latinitatis quoque merito suspectæ, vitiorumque Latini sermonis, quæ vulgo fere non animadvertuntur, subinde in mentem veniebat; ac jam tum videbatur non ab re futurum, si de ipso quoque illo argumento nonnihil commentaremur; idque facere & polliciti sumus. Etsi enim summum Virum, Gerhardum Johannem Vossium ea de re scripsisse non ignorarem, non pauca tamen ad istum censum pertinentia diligentiam ejus effugisse, vel certe eo in libro, quem de argumento isto edidit, non apparere, animadverteram. Deinde Vir summus multa quoque hujusmodi congessit, quibus nostra ætate non facile quispiam utatur: de quibus adeo nostræ ætatis homines nec magnopere attinet moneri. Sed & institutum Viri a nostro hoc nonnihil diversum fuit. Ille quidem non modo instituit docere, quæ & qualia sint illa, quæ his, qui bene Latine scribere gestiunt, cavenda fugiendaque sunt; sed & hoc egit, ut proximorum superiorum sæculorum scriptores facilius intelligantur, quidque illa vocabula, quibus præter morem antiquiorum, Ciceronis, Cæsaris, & id genus aliorum usi illi sunt, sibi velint, non nesciatur.

Quod quidem Vir clarissimus in frontispicio operis satis quoque significavit; quod videlicet scripsit, suos de vitiis Latini sermonis libros *partim ad pure loquendum, partim ad melius intelligendos posteriorum sæculo-*

sæculorum scriptores utiles esse. At nos tantum illud agimus, ut sciatur, quæ & qualia his, qui bene Latine scribere volunt, in libris præcipue illorum, qui patrum ac nostra memoria scripserunt, cavenda fugiendaque sint: neve recentiorum, quantumlibet magnorum ac celebrium virorum, auctoritate temere se moveri patiantur; sed oculos semper reflectant ad antiquos illos, quibus lingua Latina, cum præcipuum decus haberet, vernacula fuit; quique, ut Tullius in Bruto loquitur, in scribendo rationem tanquam obrusam adhibuerunt. Neque vero adeo Suffeni nobis ipsi sumus, ut quæ superioribus annis in publicum extrusimus, talibus, qualia nunc recensuri sumus, prorsus carere existimemus; sed facile agnoscimus, libenterque damus, non modo ornatius, sed & purius atque emendatius a nobis scriptum oportuisse: & quia non est factum, secundum ea, quæ nunc tradituri sumus, superiora nostra emendanda, cavendumque nobis ipsis esse, ne in eundem lapidem denuo impingamus.

Quæ igitur ad Latinitatem merito suspectam pertinent, quæque in sermonis Latini vitiis habenda sunt, ea non unius, sed omnino plurium sunt generum. Non enim referenda tantum huc sunt illa, quæ a præceptis Grammaticis discrepant, quæque barbarissmi & solœcismi vulgo appellantur; sed & varia alia. A præceptis Grammaticis quæ discrepant, ea caveri atque vitari possunt, si modo ipsa præcepta Grammatica non male apprehensa fuerint. Verum enimvero qui bene Latine scribere gestit, ei varia adhuc alia cavenda fugiendaque sunt. Cavendum ei est, inquam, ne vocabula jam olim abolita & abrogata, uti Quintilianus appellat, in scenam rursus producat ac usurpet: deinde, ne peregrina ac aliarum linguarum vocabula sermoni Latino temere

& sine causa immiscеat: tum, ne a vocabulis antiquis temere & sine causa vocabula nova formet: porro, ne novas atque inusitatas vocabulis significationes tribuat: & denique, ne novas atque insolitas vocabulorum structuras fingat; & inter ceteras hujusmodi, quæ aliquid ab ipsa ratione abhorrens significent.

Atque ut de singulis hisce vitiorum generibus paulo distinctius agamus, ab his, quæ regulis & præceptis Grammaticis adversa sunt, cavendum esse, nemo quisquam negaverit. Fit sane, ut hominibus quoque doctissimis & clarissimis excidant, quæ regulis Grammaticis non congruant: ejusque generis non pauca rigidus ille Latinitatis satelles, Caspar Scioppius, in scriptis summorum virorum, Scaligeri, Lipsii, Casauboni, atque aliorum observavit. Jam viri docti non quidem exagitandi sunt, quod, dum plurima generi humano utilissima scripserunt, ab his, quæ legibus Grammaticis non congruunt, non usquequaque sibi caverunt; veruntamen nec laudem hisce talibus, quemadmodum infinitis aliis, merentur: neque eorum auctoritas adeo nobis fraudi esse debet, ut a talibus non magnopere cavendum nobis esse existimemus. Dicendum omnino est, *Valeant, qui bonis obtrectant*; non, ut Scaliger alicubi scripsit, *Valeant, qui bonis obtrectantur*. Dicendum, *Vereor, ne austri isti majores dent tempestates*; non, ut Lipsius alicubi scripsit, *Vereor, ut austri isti majores dent tempestates*. Dicendum, *incommodare alicui*; non, ut Thuanus alicubi scripsit, *incommodare aliquem*.

Ad vocabula jam olim abolita atque abrogata quod attinet, sunt nonnulli usque eo inepti, ut singularem eruditionis laudem consecuturos sese putent, si hujusmodi vocabulis subinde utantur. Sunt

penes

penes me epistolæ bene longæ, quæ magno, sed inepto labore ex talibus sunt consarcinatæ. Quæ ne totæ pereant, unius earum partem hic subjiciam: *Quod magnus ille Philosophorum Atlas Aristoteles* εἰδικῶς *de Saterona, deque* Φύσεως *ejus* ἀσασίᾳ, *scriptitat, id haud immerito hocce laceratissimo atque continuo oculorum rore irrorando seculo* γενικῶς *de universo genere humano scribo, scribendo repeto, repetendo inclamo. Siquidem omnium fere hominum mentes Proteï alicujus genium induisse videntur, ut, quod incilarunt, jam elogio buccinent; quod impancrarunt, jam obvio gremio excipiant; quodque jam* ἀυτομάτως *affirmarunt, jam* ἀσείως *perquirent, Quorsum hæc? Quianè non ad* τρισσέρνον *illum Achillem; non ad* τρικέφαλον *illum Cerberum: sed ad te quadantenus, quadantenus ad alios Saterонæ* ἀσασίᾳ *indutos triparca manu lurorem cum albore variegantes, ac flores amicitiæ in plena* Φορίᾳ *florentes; jamque jam ad pericarpium vergentes, disrarantes. Recentem adhuc memoriam tibi residere* (puto) *inter Gallicos Soldurios, amice hectice, me nuperis diebus literis partim rutatis, partim glycyrrhizatis te invisisse, mentemque meam variis rutubis expositam, atque* ἀμέτρως *vulneratam, in apricum tibi conspiciendam dedisse. Rutatis, quia lingua dentata meam* ἐυδοξίαν *per te esse læsam rumor aures percusit. Glycyrrhizatis, quia* ἐυεργητήματα *grata* ἀντιπελαργήσει *erant reciconianda. Quoniam autem mihi polulum in hujus rei scrutinio ruspanti* ἀπρονήτως *a te oblata est* ἀντίκρισις *magis pfectica, quam smectica, præterbitare nequino, quin syllabatim quasi ad illam respondeam, meam* ἀναντίκρισιν (f. ἀνταντίκρισιν) *deducam, & ad salcoma appensæ veritatis, quid insit, educam. Tu igitur aurium portas aperi in* προθυμίᾳ, *peregrinantemque ac* Φιλόξενον *usquequaque quæritantem veritatem intromitte, intromissam veri judicii oculo in loco veluti subdiali*

diali inspice, cum inspecta ad relictam ἐνθυμίαν *redandrua: & sane magis inter nos* καταφίλησις *erit, quam* τέρψις. Ita quidem epistolarum, quas dixi, unius principium habet. Qui vero totam legat, auctoris ἐνυήθειαν adhuc magis miretur. Inter cetera epistolæ inepta & hoc est, quod auctor ejus vocabula jam olim abolita atque abrogata consectatus est, eaque in scenam rursus producere vehementer studuit: qualia sunt, *incilare, impancrare, perquinare, disrarare, reciconiare, ruspari, præterbitare, redandruare, set, polulum, quiane.* Quod idem abolita atque abrogata usurpandi studium Caspar quoque Scioppius in Justo Lipsio notavit. Videsis Judicium ejus de stylo historico; itemque Dissertationem de Rhetoricarum exercitationum generibus. Fabius Quintilianus in lib. I. Instit. Orat. cap. 6. hac de re ita: *Abolita & abrogata retinere, insolentiæ cujusdam est, & frivolæ in parvis jactantiæ.* Cæsar autem in libris de Analogia scripserat, *tanquam scopulum sic inauditum atque insolens verbum fugiendum esse.*

Porro & a peregrinis ac aliarum linguarum vocabulis cavendum esse diximus. Exempli gratia, qui præpositus est classi, non *amiralius*, aut, quod pejus est, *admiralius*; sed *præfectus classis* dicendus fuerit. Nepos Lysandro: *Cum Lysander præfectus classis in bello multa crudeliter avareque fecisset.* Idem Conone: *Præfectus classis res magnas mari gessit.* Clarissimus Vossius in lib. II. de vitiis Lat. serm. cap. 2. *præfectum maris* dici posse censet: quo de minus nobis liquet. Quod autem a vocabulis peregrinis cavendum diximus, id non & de iis intellectum volumus, quæ quidem ex aliis linguis petita, verum jam olim, cum lingua Latina præcipuum decus haberet, Latina civitate sunt donata: ut sunt *alauda, rheda, framea, lancea, mappa, mapalia, satrapa, gaza, camelus,*

camelus, *acinaces*; de quibus Cl. Vossius in prioribus prædicti libri capitibus diligentissime egit. Deinde si res ipsa, quæ significanda est, plane nova sit, neque antiquis Romanis cognita fuerit, adeoque nomen ei rei ab iisdem imponi nec potuerit: peregrinis aliarumque linguarum vocabulis uti non modo licebit, verum nonnunquam & oportebit. Exempli gratia, si genera monetæ, quibus nationes hodie utuntur, in sermone Latino exprimenda sint, minime reprehendendus fuerit, qui ipsis hodiernis vocabulis utatur, dicatque *grossus*, *talerus*, *pistoletus*, & id genus alia. Pari modo instrumenta bellica, quæ veteribus ignota fuerunt, Germanicis aut aliarum linguarum vocabulis in ipso quoque sermone Latino exprimi poterunt, dicique exempli gratia *musketa*, *rora*, *cartona*. Constat enim, ipsos veteres Romanos, si aliarum gentium res nominandæ essent, earundem vocabulis minime abstinuisse, sed subinde iis usos esse.

Cavendum item diximus, ne a vocabulis antiquis temere & sine causa nova formentur. Temere inquam, & sine causa non sunt formanda vocabula nova. Si enim cum ratione & certis de causis fiat, haudquaquam culpandum illud fuerit. Fabius lib. IIX. Instit. Orat. cap. 3. hac de re ita: *Neque tamen accedo Celso, qui ab oratore verba fingi vetat. Nam, cum sint eorum alia, ut dicit Cicero, nativa, quæ significata sunt primo sensu, alia reperta, quæ ex his facta sunt, etsi jam nobis ponere alia, quam quæ illi rudes homines primi fecerunt, fas non sit: tamen derivare, flectere, conjungere, quod natis postea concessum est, quando desiit licere*? Dubitat Gerh. Vossius, an dici liceat *Puritas Latini sermonis*; & in pag. 799. sui de vitiis Latini sermonis sic habet: *Puritas non est puri sermonis*. Item pag. 165. *Puritatis, ut vulgus barba-*

rum loquitur, sive, ut dicere malim, puri sermonis amatoribus. Verum enimvero non erat, quod Vir clarissimus hac de re dubitaret. Constat enim ipsum Ciceronem vocabulo compositio *impuritas* usum esse, & in Orat. II. Philipp. scripsisse sic: *Cum omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes.* Imo si maxime vocabulum istud compositum non exstaret, tamen, si recte dicitur *purus sermo*, quo de Vossius non dubitat, dicere item licebit *puritas sermonis*; præsertim docendi causa, & in ipsis de puro emendatoque sermone præceptis. Licuit semper, & porro licebit, Philosophis, non tantum ὀνοματοθετεῖν, ut Aristoteles vocat, id est, rebus nuper animadversis antiqua vocabula imponere, atque ita novas vocabulis significationes assignare; verum etiam ὀνοματοποιεῖν, id est, ex vocabulis antiquis nova fingere. Qua de re Philosophus in cap. VII. libelli de Categoriis ita: Ενίοτε γὰρ ὀνοματοποιεῖν ἴσως ἀναγκαῖον. *Interdum & vocabula fingere necessium fortassis est.* Sed providendum tamen est, ne fictio illa vocabulorum inepte & contra analogiam linguæ, qua quis utitur, suscipiatur, dicaturque exempli gratia, *perseitas, hæceitas, ubietas, quidditas.* Talia non secundum, sed contra analogiam linguæ sunt formata: & commode quoque ac sine ullo veritatis detrimento horridis istiusmodi vocabulis carere possumus. Sane Philosophi antiqui, tum Græci, tum Latini, cum vocabulis istiusmodi carerent, tamen satis commode, imo & ἀκριβῶς atque subtiliter, philosophari potuerunt. Ipse Aristoteles, quoties docendi causa vocabula finxit, non temere atque inepte, sed cum ratione & secundum analogiam linguæ, qua usus est, illud fecit. Sed extra disputationes Philosophicas tamen paulo adhuc cautius agendum, & ne quidem secundum analogiam formanda

vocabula

vocabula sunt; præsertim si suppetant alia, quibus ipsi veteres sint usi. Quam ob causam vocabula *gratitudo*, *certitudo*, *profunditas*, infra peculiari capite repudiaturi sumus.

Porro & hoc cavendum diximus, ne vocabulis novæ & ab his, quas olim obtinuerunt, diversæ significationes tribuantur. Qua quidem in re ab omnium nationum hominibus sæpe numero peccatur; quod putent, si Latinum vocabulum vernaculo una quadam significatione respondeat, idem eidem & ceteris significationibus respondere posse. Exempli gratia, quia Germani dicimus *glauben geben*, pro *glauben*, *glauben beymessen*; & nostræ voci *glaube*, Latina *Fides*; itemque nostræ voci *geben*, Latina *dare* interdum respondet: putant quidam, easdem Latinas voces iisdem vernaculis & in ea structura respondere, qua dicitur, *fidem dare*; atque ita *fidem dare* idem esse, quod vernaculum *glauben geben*. Ad hunc modum in thesibus Academicis a quodam scriptum memini, *Non possum illis fidem dare*, pro, *Non possum illis fidem habere*. Verum ea phraseos significatio in scriptis antiquorum non observatur; sed observatur modo in iisdem, quod *fidem dare* idem sit, quod *promittere*, *polliceri*. Fit sane, ut vocabulum Latinum vernaculo non una, sed pluribus significationibus respondeat: sed ex eo non colligendum, idem vocabulum eidem quibusvis significationibus, & in quibusvis phrasibus, respondere. Latinum *tenere*, vernaculo *halten*, non modo respondet, cum dicitur *aliquid manu tenere*, sed & in multis aliis phrasibus. Ut enim nos dicimus *glauben halten*, ita Latini, *fidem tenere*; ut *tenere* idem sit, quod *servare*, *præstare*. Deinde ut nos dicimus *wache halten*; ita Latini *excubias tenere* ut *tenere* idem sit

quod *agere*. Rursus ut nos dicimus *masse halten:* ita Latini *modum tenere;* ut *tenere* idem sit quod *adhibere*. Etsi vero verbum Latinum vernaculo omnino tot significationibus respondeat: non putandum tamen, quibusvis etiam aliis significationibus respondere posse, & licere exempli gratia dicere, *nuptias tenere*, ut nos dicimus, *hochzeit halten:* & *famulum tenere*, ut nos dicimus, *einen knecht halten*, sed sciendum, diversarum linguarum vocabula, quæ una aut pluribus significationibus inter se congruunt, subinde una aut pluribus significationibus rursus discrepare. Sed pro novis significationibus non tantum illæ habendæ sunt, quæ imitatione linguarum vernacularum, & nostra ætate, vocabulis tribuuntur; verum etiam quascunque ævo Ciceronis, aut huic proximo, vocabula non habuerunt. Exempli gratia, verbi *præsumere* significatio nova habenda quoque illa est, qua uno & altero post Ciceronem sæculo usurpari cœpit, pro *audere*, *occipere*, *moliri*; & quidem in malam partem. Ævo Ciceronis significatio verbi propria fuit ut *præsumere* idem esset quod *ante capere*, & quod nos dicimus *vorher nehmen*. Ut in eo, quod lib. XXXVI. Hist. nat. cap. 6. Plinius scribit: *Theophrastus auctor est, potores in certamine bibendi præsumere farinam ejus* (lapidis puta.) Altera verbi significatio fuit, quod actionem quandam animi significavit, quodque *præsumere* dictum fuit pro eo, quod & plenius *animo præsumere* dixerunt: ut *præsumere fortunam*, *præsumere gaudium*, *lætitiam*. Uno atque altero post Ciceronem sæculo, ut dixi, accessit tertia significatio; ut *præsumere* idem esset quod *audere*, *occipere*, *moliri*, dicereturque *præsumere illicita*, *præsumo hoc facere:* qua de re & in Notis ad Sulpicium Severum, & quidem ad cap. XXXIII. & XLVII. lib. I. Hist. Sac. egimus. Qui igitur bene

bene Latine scribere velit, ei vocabulum tantum iis significationibus usurpandum fuerit, quas idem ævo Ciceronis obtinuit. Significatio tertia, quam uno atque altero post Ciceronem sæculo accessisse diximus, est quidem & ipsa observanda; verum non ideo, ut & ipsi vocabulum ea significatione usurpemus; sed ne in scriptis posteriorum sæculorum hæreamus, neve, quid in iisdem scriptis vocabulum sibi velit, ignoremus. Sed minus tamen culpandum fuerit, si quis cum posteriorum sæculorum scriptoribus dixerit, *præsumere illicita*, & *præsumo hoc facere*; ut *præsumere* utrobique in malam partem accipiatur; posteriore autem loco & παρέλκον sit, quam, si *præsumo hoc facere* dicatur pro *instituo hoc facere, aggredior hoc facere*. Memini Virum clarissimum scribere sic, *Qui hoc quam accurate facere præsumserant*; & alibi, *Quamdiu furore correptus non fuit C. Cæsar Caligula, imperium non nisi ex Senatus arbitrio moderari præsumsit*. Nimirum verbo *præsumere* idem ille dicere voluit, quod Germani dicimus, *ihm vornehmen etwas zu thun*, honesta significatione scilicet. Verum iste vocabuli usus tantum abest, ut ævo Ciceronis obtinuerit, ut ne in scriptis quidem posteriorum sæculorum observari posse videatur. Dixerunt quidem posteriores, *præsumo hoc facere*; sed non nisi in malam partem: nec ut consilium agendi, sed ipsum actum significaret. Concilium Agathense Can. XXIII. *Clericum nullus præsumat apud sæcularem judicem episcopo non permittente pulsare*. Hic *præsumat pulsare* est fere pro *pulset*. Et pertinet hoc ad μακρολογίαν seu sermonis productionem ejus ævi; quomodo nos dicimus, *Niemand unterstehe sich das zu thun*, pro *Niemand thue das*. Ut autem Vir doctus sic ut dixi scriberet, ac verbo *præsumere* novam significatio-

nem tribueret, occasionem ei dedit lingua vernacula; in qua phrasis *ihm vornehmen etwas zu thun*, ipsum aliquid agendi consilium atque propositum significat. Credidit nimirum *præsumere* eadem ratione compositum esse, qua nostrum *vornehmen*, & partium compositionis eandem in eo vim esse, quæ est in vocabulo vernaculo. Sic & quod supra dicebamus, aliquem scripsisse, *Non possum illis fidem dare*, pro *Non possum illis fidem habere*; atque ita phrasi *fidem dare* novam significationem tribuisse, ejus rei occasionem lingua itidem vernacula dedit; in qua quippe *glauben geben*, idem est quod *glauben beymessen*, & uno verbo *glauben*. Fit quoque, ut novarum significationum constituendarum occasionem non lingua vernacula det; sed oscitantia, aut aliud quippiam, in causa sit. Exempli gratia, quod Famianus Strada scripsit, *Comiti Barlamontio senectus supremam imposuerat manum*, phrasi *supremam manum imponere* novam ille significationem tribuit: sed non lingua vernacula, quæ similem phrasin habeat, inductus; sed quod vim phraseos Latinæ non satis perpendisset. *Supremam manum imponere* notum est idem esse, quod *perficere, absolvere*. Pro quo dicunt etiam *summam manum adjicere, extremam manum accedere*. Valerius Max. 7. 5. *Summam manum bello adjicere*. Cicero Brut. *Manus tamen extrema non accessit operibus ejus*. At senectus, quam supremam manum Barlamontio imposuisse scripsit Strada, non perficit, complet & ornat hominem, sed eundem destruit ac abolet. Sic & verbo *nubere* novam significationem idem Strada tribuit, quod scripsit *cupidini dominandi nubere*, pro *cupiditati dom. servire, indulgere*. Verba ejus, ut Scioppius in libello, quo latinitatem ejus examinat, recenset, sunt ista: *Dominandi cupido*,

cui

cui plerumque tenacius nubunt reges. Sed non lingua vernacula ei, ut sic scriberet, occasionem dare potuit; sed forte fortuna id ei excidisse videtur. Ipsi quoque veteres novas vocabulis significationes perperam interdum imposuerunt. Exempli gratia, M. Antonius, æqualis Ciceronis, *contumeliam facere* dixit pro *contumeliam pati*, atque ita verbum *facere* nomini *contumeliam* junctum, credidit idem posse esse, quod verbum *pati*. Dixerat ille, *Nulla contumelia est, quam facit dignus*, pro *Nulla contumelia est, quam patitur is, qui cum dignitate est.* Cicero igitur neque verbum *facere*, neque nomen *dignus* recte ab eo usurpatum ostendit. Verba ejus in Oratione III. Philippica sic habent: *Ego qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. Nulla contumelia est* (sunt ipsa verba, quibus usus fuerat Antonius) *quam facit dignus. Primum, quid est dignus? Nam etiam malo digni multi, sicut ipse. An quam facit is, qui cum dignitate est? Quæ autem potest esse major? Quid est porro facere contumeliam? Quis sic loquitur? Nonne satius est mutum esse, quam quod nemo intelligat dicere?* Ceterum quod Antonius *contumeliam facere* pro *contumeliam pati* dixit, occasionem ei lingua vernacula dedit. Norat ille, Latinos *facere* nonnunquam dicere pro *pati*; ut cum dicunt, *damnum facere, naufragium facere.* Putavit igitur, pari modo dici posse *contumeliam facere* pro *contumeliam pati.* Verum reputandum ei fuit, quamvis in una atque altera phrasi *facere* idem sit quod *pati*, non tamen in quibusvis phrasibus ea notione usurpari verbum posse. Alioquin & *injuriam facere* dici posset pro *injuriam pati.* Quemadmodum autem in phrasi *injuriam facere* verbum *facere* non idem est quod *pati*; sed *injuriam facere* potius idem est quod *injuriam inferre*, atque ita non passionem,

sed

sed actionem significat: ita plane & in phrasi *contumeliam facere*, verbum *facere* pro verbo *pati* usurpari, atque ita nova vocabulo significatio imponi nequaquam potest.

Denique cavendum diximus, ne phrases plane novæ, & a nemine antiquorum usurpatæ, formentur atque usurpentur. Hujusmodi phrasis est, quod Strada dixit, *Integumento corporis se evolvere* pro *mori*. Verba ejus Scioppius in prædicto libello hæc citat: *Qua nocte Carolus integumento sese corporis evolvit*. Sed quis unquam veterum sic locutus est? Sane rem, quam Strada exprimere voluit, id est, mortem, Latini variis & vocibus, & phrasibus appellarunt; utpote *decedere*, *excedere vita*, *efflare animam*, *naturæ debitum reddere*, *vitam cum morte commutare*, & id genus aliis: verum *integumento corporis se evolvere* pro *mori* nemo dixit. Quam autem novæ phraseos formandæ occasionem ipsum habuisse putabimus? Norat fortasse, Ciceronem in secundo de Oratore scripsisse sic: *Libenter te cognitum jam artificem, aliquandoque evolutum illis integumentis dissimulationis tuæ, nudatumque perspicio*. Quoniam igitur Cicero dixit, *integumentis dissimulationis evolvi*, credidit Strada dici similiter posse *integumento corporis se evolvere*. Verum duplici nomine reprehendendus ille venit, & quod ad mortem exprimendam, cum tot usitatæ, eæque elegantissimæ phrases extarent, phrasin plane novam finxit; & quod inepte illud ac sine ratione fecit. Quod Cicero dixit *integumentis dissimulationis evolvi*, id figuratum esse facile intelligitur. Et licet hinc colligere, quod omisso modo vocabulo *dissimulationis* & proprie usurpari phrasis possit; & quidem de eo, qui integumentis obvolutus fuit, seque ipse iis evolvit. Ita dici possit, bombyces, postquam integumento

mento sese obvolverint, inque eo mortui sint, nasci inde aviculas, quæ integumento isto sese ipsæ evolvant. Quod Cicero per metaphoram phrasi usus est, dixitque *integumentis dissimulationis evolvi* pro *nihil amplius tegere ac dissimulare*, id scite factum; & apparet similitudo quædam, propter quam ipsa figurate usurpari phrasis possit. Verum quod Strada per metaphoram dixit, *integumento corporis se evolvere* pro *mori*, id non ab usu auctorum tantum, sed & ab ipsa ratione abhorret; quæ, ut Cicero in Bruto ait, tanquam obrussa adhibenda est in scribendo. Qui integumento se evolvit, is operam aliquam præstat, & aliquid efficit. At qui moritur, is tantum abest ut aliquid efficiat & præstet, ut facultates potius omnes, per quas efficere aliquid potuerat, ipsum deficiant. Neque vero mori & animam e corpore dimittere homo potest, quandocunque vult; sed expectare eum oportet, donec fato facultates naturales in ipso cessent & extinguantur. Idem ille Strada, qui illud proximum scripsit, varia quoque alia ab ipsa ratione abhorrentia, in scriptis suis reliquit. Exempli gratia quod scripsit *Tumultuum causas cognoscendi plectendique*: quod & a Scioppio in pag. 123. libelli sui est notatum. *Tumultuum causam cognoscere* dici potest; non autem, *tumultuum causam plectere*; neque enim persona ea est, sed res. Sed dici tamen possit, *eum qui est causa tumultuum plectere*. Scripsit quoque idem Strada, *Sclopo appetitus*. Ubi quidem per *sclopum* instrumentum istud bellicum, quod Germani mei *muskete*, Itali *sclopo*, vocant, intelligit. Verum non ipso illo instrumento, sed quæ inde propellitur glande, appetitus dici quispiam potest; nisi forte ipsum illud instrumentum in caput, aut in corpus alicujus, impactum fuerit. Sic enim *musketa appetitus* dici potest. Sed

hoc

hoc Strada non voluit. Ejusdem fere generis est, quod idem Strada scripsit; *Barberinus suadebat Albano Duci oportunitatem capessendæ pugnæ.* Non ipsam oportunitatem suadere quis potest; sed ut oportunitatem & rei gerendæ occasionem alius occupet, nec elabi patiatur. Nihilo melius est, quod scripsit, *Multis hostium, paucis suorum amissis.* Neque enim *hostes amittere* dici quis potest, quippe quos minime servatos, sed occisos atque interemtos vult; sed suos tantum. Valerius Max. lib. II. c. 8. ex. 1. *Qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum literis senatui ausi essent referre.* Ab istiusmodi igitur scriptione inepta, qualis est illa Stradæ, non Latina tantum, sed & quacunque lingua scribenti cavendum est. Nemo Latinorum scripsit *oportunitatem suadere*, *multis hostium amissis*, & id genus alia. Parique modo nec Germani mei dixerint: *die bequeme zeit rathen*, & *viel feinde verliehren.* Qui vero ita scribunt, ii phrases ineptas ipsi sibi fingunt, eamque ob causam hominibus doctis & ludibrium debent.

CAPUT II.

Gerh. Joh. Vossium non pauca reprobasse, quæ vel ad Latinitatem optimam, vel certe non ad pessimam pertineant. Quale quid & de Scioppio animadversum.

POstquam igitur Latinitatis merito suspectæ, vitiorumque Latini sermonis, certas quasdam classes constituimus, varia ad easdem pertinentia ilico subjicere ac recensere possemus: Verum quia res, quam tractare instituimus, plena aleæ est, ac facile de ea falli quis potest; libet ante nonnulla recensere, quæ, cum satis Latina sint, a summo Viro, qui de vitiis

vitiis Latini sermonis ex professo & dedita opera scripsit, pro minus Latinis habita sunt; ut, si & ipsi de uno atque altero falsi fuerimus, facilius nobis venia detur. Sane ipse ille summus Vir, quem dixi, quamvis singulari cura, ut cetera omnia, ita & hoc egerit, tamen calculum non usquequaque recte posuit, sed de quibusdam manifeste fallus fuit. Ut barbarum ille reprobat *munera supra munera dare;* ut ex cap. I. libr. I. de vitiis Latini sermonis apparet. Verum, si pro *supra* modo *super* ponas, nihil vitii illud habet. Plautus Pseud Act. IV. Sc. I. *Ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quæ det.* Quia dicitur *suavia super suavia dare,* quidni dicatur etiam *munera super munera dare?* Sed dicunt etiam *munera alia super alia dare;* ut non ipsum nomen substantivum, sed ejus loco adjectivum *alia* geminetur. Livius lib. II. *Sunt tribuni: vobis amissa reddent ac restituent? Vobis verborum quantum voletis ingerent, & criminum in principes, & legum aliarum super alias, & concionum.* Plinius in Panegyrico: *Cum alias super alias expeditionibus itinere illo munere aliquo dignus viderere.* Idem l. VIII. ep. 8. *Saturninus noster summas tibi apud me gratias aliis super alias epistolis agit.* Est etiam ubi nomen substantivum subaudiendum, aut nomine adjectivo simul comprehensum sit. Livius lib. III. *Quæ impie alia super alia es ausus.* Item: *Alii super alios trucidantur.* Rursus lib. IX. *Nec jam procul abesse alii super alios nuntiarent.* Vide & cap. XXIII. libri de Latinitate falso suspecta.

Verbum *consiliari* quoque in vitiis Latini sermonis ponit Vossius; putatque primum fere Paulum Diaconum verbo eo usum esse. Vide cap. IV. libri ejus IV. Verum enim vero verbum istud jam ævo Ciceronis non ignotum fuit. Horatius lib. III. Od. III.

Hac

--- Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,
Gratum elocuta cônsiliantibus
Junone Divis.

Ubi *consiliantibus* manifeste est pro *consultantibus*; de Romulo puta in numerum Deorum recipiendo. Sed & Hirtius in epistola ad Ciceronem quæ inter epistolas Ciceronis ad Atticum est, eodem verbo usus est. *Tu quid egeris*, inquit, *tua cum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, vehementer expecto.* Auctor Lexici, quod Forum Romanum inscriptum est, cum bina illa loca citasset, neque certum constituere posset, utrum *consiliari*, an *consiliare* dixerunt veteres, elegit posterius, & in ipso Lexico scripsit, *Consilio, consilias, consiliare.* Verum constare potest, dixisse eos potius *consilior, consiliari.* Horatius in lib. de Arte poët. manifeste: *Ille bonis faveatque & consilietur amice.* Sed & apud Cæsarem, Tacitum, Auctoremque Epitomes Livii, idem verbum observavit Buchnerus, ut ex Additionibus ejus ad Lexicon Fabri apparet.

Porro de vocabulo quoque *abhinc* falsus fuit Vossius, quod credidit de præterito tantum, non & de futuro tempore usurpari illud posse. Vide caput XXXIII. lib. I. Cicero sane, uti Caspar Scioppius monuit, de ipso quoque tempore futuro usurpavit, cum in Oratione pro Roscio scripsit: *Repromittis tu abhinc triennium Roscio?* Quippe nemo in tempus præteritum, sed in futurum promittit aut repromittit. Citat quoque Scioppius in eam sententiam illud Pacuvii: *Seque ad ludos jam inde abhinc exerceant.* Ubi nomen quidem quarti casus non adjicitur; sed facile tamen intelligitur de tempore futuro vocabulum hic quoque usurpari, ponique pro *deinceps, in posterum.* Est autem *abhinc* compositum *ex ab* & *hinc*, quasi dicas,

dicas, *ab hoc tempore*, *ab eo*, *quod nunc est*, *tempore:* sive jam ante hoc tempus aliquid factum, sive post illud futurum significetur. Plautus simplici quoque *hinc* usus est, cum itidem tempus, sed præteritum, significavit. Ut in Truculento: *Me nihilo magis respiciet, quam si hinc ducentos annos fuerim mortuus.* Sane vocula *hinc* adverbium loci est; ac idem est, quod *ab hoc loco*, *ex hoc loco.* Quomodo igitur alia adverbia loci subinde tempus denotant, ita quoque adverbium *hinc;* ut non modo idem sit, quod *ab hoc loco* vel *ex hoc loco*, sed & idem quod *ab hoc tempore*, *ex hoc tempore.*

Displicet porro Vossio, si *unus* ponatur pro *quidam:* miraturque, Erasmum non secus quam Interpretem veterem, vertisse *Unus scriba.* Vide cap. XXXIII. lib. I. Verum ejus vocabuli usus passim in auctoribus exempla observare licet; ac bene multa a nobis quoque congesta sunt in cap. IV. libri de Latinitate falso suspecta; itemque in Notis ad cap. VIII. Sulpicii Sev. de vita S. Martini. Quibus nunc adjicio illud Plauti Mostell. Act. III. Sc. 2. *Iterum jam ad unum saxum me fluctus ferunt.* Item illud Ciceronis lib. I. de Orat. *Sicut unus paterfamilias his de rebus loquar.* Et rursus Plauti Pseud. Act. IV. sc. 1. *Ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quæ det.*

Modicum pro *pusillo*, *exiguo*, non satis antiquum videtur Vossio. Vide rursus cap. XXXIII. lib. I. Sed usus tamen ea notione est Cicero lib. V. ep. 16. ad fam. quod dicit, *adhibere aliquam modicam consolationem.* Item Livius lib. XXV. c. 22. *modico ibi præsidio relicto.* Et alibi, *commisso modico certamine.* Item Valerius Max. in præf. *Quis omnis ævi gesta modico voluminum numero comprehenderit?* In quibus omnibus manifeste *modicum* est pro exiguo, pusillo.

De vocabulis quoque *pluries* & *nullibi* dubitat Voſſius, an uſurpata ab antiquioribus fuerint: neque probat quod vocabulo *pluries* uſus eſt Bembus in epiſtolis. Vide cap. XXV. lib. I. Concedit tamen, Trebellium Pollionem in Gallienis uſum eſſe, ſcripſiſſeque, *Cum pluries ejus cauſa convenisſent.* At monuit Scioppius, ipſum quoque Cæſarem in lib. I. B. Civ. ſcripſiſſe, *Pluries in locis campeſtribus ſubſiſtebant.* Vide animadverſiones ejus in librum Voſſii de vitiis Latini ſermonis. Integer locus in libris quibusdam typis expreſſis ſic habet: *Expeditæ cohortes noviſſimum agmen claudebant, pluresque in locis campeſtribus ſubſiſtebant.* Verum legendum eſſe *pluriesque*, etiam alii Viri docti ſuſpicati ſunt; & inter eos Auguſtus Buchnerus. Et legitur quoque ita in editione Francofurtenſi noviſſima. Compoſitum *compluries* Gellius lib. V. Noct. Att. cap. ult. ex Plauto & M. Catone citat. Verba ejus ſunt: *Hujus opinionis Sinnianæ id quoque adjumentum eſt*, quod compluries *cum dicimus, non comparative dicimus. Ab eo autem, quod eſt* compluria, *adverbium eſt factum* compluries: *id quoque quoniam minus uſitatum eſt, verſum Plauti ſubſcripſi ex comœdia, quæ Perſona inſcribitur*, Quid metuis? Metuo hercle vero, ſenſi ego compluries. *Item M. Cato in quarto Originum, eodem in loco ter hoc verbum poſuit:* Complures eorum milites mercenarii inter ſeſe multi alteri alteros occidere; compluries multi ſimul ad hoſtes transfugere; compluries in imperatorem impetum facere. Hactenus Gelli, quæque ille citat Plauti & Catonis verba. Ad vocem *nullibi* quod attinet, ſcripſerat Auſonius Popma lib. II. de vocum differentiis: *Forpicis vox apud idoneos auctores nullibi extat.* Scribit igitur Voſſius, malle ſe pro *nullibi* eum ſcripſiſſe *nusquam*, nusquam enim apud ido-

neos

neos auctores *nullibi* exstare. Vide cap. XIII. libri I. de vitiis Latini serm. Sed animadvertit deinde ipse Vossius, vocem *nullibi* a Basilio Zancho citatam esse ex Vitruvio; ut in cap. XXXIV. libri IV. ipse fatetur.

Rejicit porro Vossius vocem *rebellium*, putatque primos Monachum Cœnobii Egolismensis S. Eparchii, qui de vita Caroli M. scripsit, hujusque æquales eo vocabulo usos esse. Sed Livius tamen Lib. XLII. c. 20. scripsit, sic: *Qui deditis contra jus & fas bellum intulisset, & pacatos ad rebellium incitasset.*

Alta voce pervulgatum quidem, sed barbarum esse Vossius judicat; cumque Plauto atque Horatio dicendum pro eo esse *clara voce.* Vide c. XXXIII. lib. I. Sed monuit Scioppius in prædicto libello, Catullum in Epigrammate XLIII. habere sic, *Conclamate iterum altiore voce;* Quintilianum item dicere, *vocem altius attolli*, posse etiam claram vocem esse, quæ tamen non altius sublata, sed submissa, suppressa atque deducta sit.

Vocabula *benefactor* & *malefactor* itidem suspecta fuere Vossio, ut ex cap. II. & XXII. libri III. de vitiis Lat. serm. apparet. Sed monuit Scioppius, Plautum in Bacchidibus dicere, *Malefactorem amitti satius est quam relinqui beneficum.* Unde apparet, pro *benefico* Plautum & *benefactorem* dicturum fuisse, siquidem versus id ita tulisset.

Sagittare quoque pro *sagitta petere* non bonæ notæ sibi videri Vossius scribit. Vide c. XXIII. libri I. Sed habet tamen id verbi non sordidus auctor Justinus lib. XLI. ubi de Parthis agit: *Hos* (servos) inquit, *pari ac liberos suos cura habent: & equitare & sagittare magna industria docent.* Deinde & Curtius eo verbo usus est in lib. VII. c. 5. itemque Solinus in cap. XIX. Polyhistoris.

Minus probum item visum Vossio fuit *spontaneus*; monetque veteres maluisse pro eo dicere *voluntarius*. Vide cap. I. libri III. Sed usurpavit tamen Seneca in epistola XXI. *Agilitas*, inquit, *spontaneus motus est.*

Offatim agnoscit Vossius ad analogiam posse dici ab *offa*, ut a *particula* dicitur *particulatim*; sed apud nullum tamen idoneum Auctorem reperiri putat. Vide cap. XXXV. libri IV. Atqui reperitur apud Plautum Trucul. Act. I. Sc. 3. non semel. *Ego te*, inquit, *hic hac offatim conficiam.*

Non genuinam vocabuli *sinus* significationem Vossius esse putat, si accipiatur pro gremio. *Sinum* enim esse, quicquid brachiorum complexu continetur. Verum aliter hic quoque rem se habere, ostendit Scioppius his Petronii: *Manum demisit in sinum, & pueri vasculum pertractavit.*

Quantocius ex non antiquioribus, quam Gemma producere habuit Vossius; putavitque ad Latinitatem pertinere id deterrimam. Vide caput XXXV. libri IV. Sed scire debuit, si non in antiquioribus, saltem in Sulpicio Severo vocabulum reperiri; ut in Notis quoque ad cap. IV. Dialogi III. Sulpicii monuimus. Ubi nescio qui factum fuerit, ut me non præsente typothetæ expresserint: *Si non in antiquioribus Gemma, at saltem in Sulpicio nostro reperiri. Gemma* enim abesse debebat. Verba Sulpicii sunt: *Discede quantocius, ne me ob injuriam tuam cæleſtis ira consumat.*

Coæqualis pro *æqualis* prorsus itidem reprobat Vossius. Vide cap. XIX. libri I. Sed usurparunt tamen eam vocem Petronius & Justinus; quorum hunc, ut historiam ipsam, ita pleraque vocabula ex antiquiore seu Trogo Pompejo hausisse verosimile est. Loca Auctorum in Notis ad Sulp. Severum notavi-

notavimus: ubi de compositio illo *coæqualis* & judicium nostrum exposuimus.

Contrario pro *contrarie* Vossius censet perperam dici. Vide caput XXXI. libri IV. Scioppius tamen ex ipso Cicerone profert: *Post iram & metum & reliquos motus animi comites superiorum, & his etiam contrario dissidentes.* Idem: *Si neminem læsi, si etiam contrario multis opem tuli.* Vide Animadversiones ejus in librum Vossii. Habet & Cornel. Nepos in Eumene. Verba ejus sunt: *Apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur: at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide & industria cognita.*

Sunt & alia nonnulla, quæ Vossius reprobavit, cum tamen ad Latinitatem optimam, aut certe non pessimam pertineant: ut ex prædictis illis Scioppii Animadversionibus apparet. Sed & ipse Scioppius, quamvis in his talibus Lynceus sibi visus fuerit, tamen non usquequaque recte calculum posuit. Quod uno atque altero exemplo adhuc demonstrabimus. Scripserat Strada, *Exercitam habeat in hac Belgica schola militiam;* itemque *Bellum geri adversus militiam suam*, atque ita *militiam* posuerat pro militum multitudine & exercitu. Scribit igitur Scioppius illud nove dici; neque ejus vocabuli significationis exempla in antiquis auctoribus extare. Sed extat tamen apud Justinum libro XXXII. Verba ejus sunt: *Qua re prodita concursu insularium cum omni militia interficitur.* Ubi *cum omni militia* est pro *cum omni exercitu.* Et fortasse ipse quoque antiquior Trogus Pompejus, quem in epitomen redegit, ita scripserat. Quid quod Valerius quoque Max. qui sine dubio ævo Augusteo vixit, lib. I. c. 6. ex. XI. scribit: *Tantum Romanæ militiæ decus barbarorum obtritum equitatu.* Porro & Sulpicius

Severusin vita Martini scribit: *Tum subito ei duo angeli hastati atque scutati instar militiæ cœlestis se obtulerunt.* Ubi *militiæ cœlestis*, nihil aliud est quam στρατιὰ οὐράνιος, *exercitus cœlestis*, ut in Evangelio appellatur, sancti Angeli puta. Prosper Aquitanicus in carmine de providentia:

Scimus enim quanta fleterit mercede quibusdam
Sidus adoratum Remphan, veneratæque cæli
Militia, & cultus soli lunæque dicatus.

Ubi *militia cæli* est pro exercitu cæli, id est, pro multitudine stellarum; quæ & ipsa, ut notum est, in sacris literis צבא שמים *exercitus cæli* appellatur. Mirum autem, eam vocis *militiæ* significationem non notatam in Lexicis esse; & ne in eo quidem, quod Cl. Buchneri cura expolitum atque locupletatum est.

Scripserat porro Strada, *Escovedi rerum talium incentoris.* Scioppius autem in libello, quo Latinitatem Stradæ examinavit, scriptum reliquit ita: *Quis unquam Latinis incentorem dixit?* Ex quibus apparet, neminem unquam Latinorum, ne posteriorum quidem, vocabulum *incentoris* usurpasse, credidisse eum. At scire debuit, si non antiquiores, saltem Paulinum atque Ambrosium vocabulo eo usos esse. Paulinus in Natali Felicis: *Carminis incentor Christus mihi.* Ambrosius lib. V. ep. 35. *Referebam in meo jure esse, ut non excitarem DEI manus, ut mitigaret. Postremo si me incentorem putarent, jam in me vindicare oportere.* Observavit hæc clarissimus Buchnerus, inque suis ad Lexicon Fabri Additionibus ea posuit. Jam Paulinus & Ambrosius non quidem æquales Tullii fuerunt; sed sunt tamen Scriptores Latini: ut non ita ἀποτόμως scribendum fuerit, *Quis unquam Latinus incentorem* dixit? Et est sane ad analogiam linguæ formatum a Supino *incentum*: quod est verbi *incinere*, quo Propertius

pertius & alii usi sunt. Indidem & alia nomina verbalia formata constat; *incentio* puta & *incentivus:* unde & *incentivum* ut nomen substantivum usurpatur. Gellius libri IV. capite XIII. *In quo docet* (Democritus) *plurimis hominum morsibus* (f. morbis) *medicinam fuisse incentiones tibiarum.* Ibidem & verbo *incinere* idem Gellius usus est. Vocem *incentivus* habet Varro lib. I. de re rust. c. 2. *Et ut dextra tibia,* inquit, *alia quam sinistra; ita ut tamen sit quodammodo conjuncta, quod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, alia succentiva. Incentivum* ut nomen subst. habet Plinius in Panegyrico pro stimulo. Est autem tum hujus, tum quoque alterius nominis substantivi significatio non propria, sed figurata. Nisi tamen significatio propria fuisset, nec figurata existere potuisset.

Quod igitur summis viris, Vossio atque Scioppio, contingere potuit, ut de quibusdam vocibus ac phrasibus fallerentur, nec recte eas reprobarent, id si nobis quoque, qui nullo modo cum illis comparandi sumus, eveniat, nihil mirum erit, atque facile nobis veniam datum iri speramus. Ceterum ut illi neque de omnibus, neque de plerisque, sed de aliquibus modo & non ita multis, falsi fuerunt; ita nos quoque nec de omnibus, nec de plerisque, sed de aliquibus modo, & paucis falli confidimus. Neque vero ingratum nobis erit, si de his, quæ non recte definita a nobis videbuntur, admoniti fuerimus: imo viros doctos ut hoc faciant, & rogatos volumus. Sed gratius tamen nobis accidet, si non scurriliter & cum levitate quadam animi, ut subinde talia fiunt, sed graviter, candide ac bono animo illud factum senserimus. Plerisque eorum, qui hodie scribunt, hoc est vitium, ut si a quopiam dissentiant, eumque refellere instituant, id sine san-

nis atque convitiis facere, ac, ut Græcus poeta ait, ἀτάθαλον ὕβριν ἀπέχειν, non possint. Quorum mores nos quidem vehementer aversamur, diligenterque cavebimus, ne scriptioni illorum nostra hæc similis evadat. Satis habendum erat his, qui aliquid scribere instituunt, dixisse, Hoc verum est, hoc minus; ac deinde rationes ejus adjecisse. Quos fines si singuli, qui scriptorum suorum aliquid in publicum extrudere parant, sibi præscriberent, ineptorum librorum haud paulo minus haberemus; ipsaque veritas facilius eluceseeret. Sed nunc quod instituti nostri est, id persequamur.

CAPUT III.

De phrasibus, ita comparatum est cum aliquo, ita se res habet cum aliquo, & *similibus*.

SCribitur hodie vulgo ad hunc modum, *Ita comparatum est cum aliquo.* Theodoricus Hackspanius lib. II. Miscell. cap. 2. *Sicut enim, quando & ubi ventus spirat, tamen nescis, unde veniat, & quo vadat: ita comparatum est cum eo, qui denuo nascitur.* Augustus Buchnerus Orat. IX. *Nec comparatum aliter cum publico est.* Rupertus in Notis ad Val. Max. p. 365. *Ita cum historiis omnibus comparatum est.* Imo ipse Vir summus, qui ex professo de vitiis Latini sermonis scripsit, in præfatione ad Lectorem, quam libro suo præmisit, sic habet: *Cum Romana lingua, imo & aliis, comparatum est, uti cum homine.* Sed & ex plurium summorum virorum libris produci talia possent. Ista igitur scribendi ratio jampridem suspecta nobis esse, inque Germanismis habenda videri cœpit. Cumque super hac suspicione nostra judicium viri summi, Thomæ Reinesii, requisivissem,

sem, respondit is ἀναμφισβητήτως, de prædicta illa locutione prorsus recte me dubitasse; ut ex epistola XXIX. earum, quas Vir summus ad me scripsit, egoque exire passus sum, apparet. Sed &, cum in bene multos antiquos Scriptores Latinos locupletissimi non rerum tantum, sed & verborum Indices prostent; inque multo plures apud Virum clarissimum in Academia Groningensi manu tantum exarati asserventur, in nullo tamen eorum prædictæ illius locutionis exemplum annotatum est; ut partim ipsi mihi oculis arbitrari licuit, partim a Viro clarissimo jam μακαρίτῃ, confirmatum mihi est. Cum igitur neque ipse legendis Scriptoribus antiquis locutionis ejus exemplum observarim, neque ab aliis, qui paulo majore quam nos, cura atque industria antiquos auctores versarunt, observatum norim: non absurde facere videor, si locutionem eam non satis Latinam esse pronuntiem. Formata autem videtur ad vernaculam *Es ist also mit ihm beschaffen.* Ad hanc Latini efferendam, cum nonnulli vocibus *comparatum est* sese uti posse putarent, idem intercedente vocula *cum* construendum cum nominibus esse crediderunt, quomodo nos in locutione vernacula præpositionem *mit* usurpamus. De locutione *comparatum est*, quæ apud veteres observantur, ea fere sunt ista. Primo vocabulum adjiciunt casus tertii, quod personam designet, dicuntque *Comparatum est alicui.* Plautus Amphitr. Act. II. sc. 2. *Ita cuique comparatum est in ætate hominum; ita DIS est placitum, voluptatem ut mœror comes consequatur.* Ubi *comparatum est cuique* idem est, quod *constitutum est cuique*; &, ut Claudianus lib. I. in Eutrop. loquitur, *dispositum est cuique.* In lingua vernacula dicimus, *Es ist einem ieglichen also verordnet, also bestimmet.* Deinde vocabula adjiciunt

sexti casus, dicuntque, *Ita natura comparatum est, Ita legibus comparatum est.* Livius lib. III. *Natura hoc ita comparatum est, ut qui apud multitudinem sua causa loquitur, gratior eo sit, cujus mens nihil præter publicum commodum videt.* Cicero in epistolis ad Att. *Præclare legibus comparatum.* Idem Cicero dicit quoque, *More majorum comparatum est*, & quidem in Oratione pro S. Roscio. Denique & adverbia adjiciunt, dicuntque, *Male, inique, comparatum est.* Terentius Phorm. Act. I. sc. 1. *Quam inique comparatum est, ii qui minus habent, ut semper aliquid addant divitioribus.* Quod autem dicatur etiam, *Ita comparatum est cum aliquo*, ejus exempla apud veteres non reperiuntur. Non, inquam, veteres adjiciunt vocabulum sexti casus intercedente vocula *cum.* Ergone, dices, ad ea, quæ Hackspanius, Buchnerus, & alii volebant efferenda, superiore illo *comparatum est* uti plane non licet? Ita sane putem, ipso illo *comparatum est* utendum hic non esse; præterea vero illam verbi cum casu sexto, intercedente vocula *cum*, constructionem non recte se habere. Sed rursus tamen non negaverim, participio *comparata*, præmisso ei nomine *ratio*, uti hic licere. Et quidem quod volebat Vossius, ad Latine putem efferri sic posse: *Ratio linguæ Romanæ perinde comparata est ut hominis.* Ad hunc modum enim ipse Cicero in libro de Amicit. scribit: *Ita ratio comparata est vitæ naturæq; nostræ, ut alia ætas oriatur ex alia.* Non ait ille, *Ita comparatum est cum vita naturaque nostra*; sed ait, *Ita ratio comparata est vitæ naturæque nostræ.* Quorum verborum ordo naturalis, ut apparet, hic est, *Ratio vitæ naturæque nostræ comparata est ita.* Sed annon & vocabulo *ratio* prorsus omisso dici possit, *Ita comparata est vita naturaque nostra*; & pari ratione quod Vossius volebat, *Lingua*

Romana

Romana perinde comparata est, ut ipse homo? Ita sane videtur. Terentius Heaut. Act. III. Sc. I. sic habet: *Ita comparata est natura omnium hominum, ut aliena melius videant & dijudicent, quam sua.* Hic ipsum nomen primi casus *natura* præmittitur; neque alterum illud *ratio* accedit. Præmittuntur autem & varia alia primi casus vocabula. Cicero in Orat. pro Cluent. *Jam hoc quoque prope iniquissime comparatum est.* Rursus in Orat. pro Corn. *O mira, præclara atque divinitus jam a principio Romani nominis a majoribus nostris ratio comparata.* In quo proximo rursus vox *ratio* apparet; sed ita tamen, ut nomen secundi casus, ut in superiore illo, non adjiciatur. Dicunt etiam ipso verbo activo, *Majores ita comparaverunt.* Auctor ad Herenn. *Bene majores nostri comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepissent, vita privarent.* Sed, ut superiora illa resumamus, pro eo, quod dicebat Cicero, *Ita ratio comparata est vitæ naturæque nostræ;* proque eo, quod ad imitationem Terentii dici posse diximus, *Ita comparata est vita naturaque nostra;* pro eo, inquam, voce *comparata* plane omissa, ac tantum voce *ratio* aut *conditio* usurpata, dici quoque possit, *Ea est ratio vitæ naturæque nostræ.* Et pari ratione, quod volebat Vossius, id exprimi sic possit, *Eadem ratio, Eadem conditio, est linguæ Romanæ, quæ est ipsius hominis.* Cicero ep. I. ad Quintum Fr. *Ea nostra ratio est, ut omnes boni cum faveant, tum etiam a nobis omnem diligentiam virtutemque & postulent, & expectent.* Et lib. X. ep. 6. ad Att. *Nec tuam rationem eandem esse duco quam meam.* Et l. X. ep. 3. ad fam. *Alia nunc ratio est omnium rerum.* Et lib. IV. ep. 4. *Melior est tua quam nostra conditio.* Justinus lib. XLI. *Cujus loci ea conditio est, ut neque munitius quicquam esse, neque amœnius possit.* Quin &

vocem

vocem *causſa* in talibus usurpant, dicuntque, *Hæc mea causſa est*, pro *Hæc mea ratio, hæc mea conditio, est*. Cicero lib.II.ep.4. *Atque in hoc genere hæc mea causſa est, ut neque ea, quæ nunc sentio, velim scribere.* Item lib.VI.ep.3. *Neque ea mea erat causſa atque fortuna, ut, cui omnia deessent, alterum confirmarem.* Et l. X. ep. 6. ad Att. *Mea causſa autem alia est.* Ex Digestis affertur, *Melior causſa publicanorum.* Cui simile illud l. 9.D. de Public. in rem act. *Melior causa sit possidentis, quam petentis.* Unde & viri docti conjiciunt, Latinissimum esse in verbis Matthæi, quæ sunt in cap.XIX. Evangelii Εἰ οὕτως ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικὸς, οὐ συμφέρει γαμῆσαι. Alibi in Digestis vox *conditio* de talibus usurpatur. Ut l. 9. D. de statu hominum: *In multis juris nostri articulis deterior est conditio feminarum, quam masculorum.* Vocabuli *ratio* de talibus usurpati exemplum est etiam in illo Ciceronis lib. I. ep. 7. *Similimam in re dissimili tui temporis nunc, & nostri quondam fuisse rationem.* Pro quo dicerent hodie, *Perinde comparatum est nunc cum tuo tempore, atque comparatum quondam fuit cum meo.* Pertinet huc item Ciceronis lib. I. ep. 9. *Mea ratio fuit alia, quod neque desipiente populo, neq; integra re mihi ad consulendum, capesseremne remp. implicatus tenebar.* Pro quorum prioribus hodie dicerent, *Mecum aliter comparatum fuit.*

Superiori illi Germanismo subjicimus istum, quo dicunt, *Aliter cum aliquo se habet, Aliter cum aliquo se res habet.* Pagninus in versione verborum לא כן עברי משרתי Num. XII, 7. *Aliter cum illo se res habet.* Gerhardus Titius pag. 182. Responsi: *Nunc cum plane aliter se habeat cum locutione Domini de Juda, perspicies te prorsus excidere intentione istac tua.* Hic voculam *res* omisit, dixitque *Aliter se habet cum locut. D.* pro *Aliter se res habet cum locut. Dom.*

At

At alibi voculam *res* adjecit, scripsitque, *Quomodo res cum homilia Warneri se habeat, nemo præter me & Warnerum certo novit.* Vide paginas priores ejusdem Responsi. Sic & Joh. Musæus p. 22. Dissertationis de S. Cæna: *Secus se res habet cum nostro Syllogismo.* Et pag. 49. *Perinde res habet cum alteris verbis Domini.* Jam satis Latine dicitur, *Res ita se habet*, *Res aliter* aut *secus se habet*, *Res perinde habet:* verum quod subjicitur *cum aliquo*, id perperam fieri, inque Germanismis habendum esse putem. Voluerunt illi exprimere phrases vernaculas, *Es verhält sich also mit der Sache*, *Es verhalt sich anders damit:* Cumque phrasi *Res ita se habet*, *Res aliter se habet*, uti hic vellent, crediderunt aliud quoddam nomen, & quidem intercedente præpositione *cum*, subjici posse, dicique, *Res ita se habet*, *Res aliter se habet cum aliquo;* quomodo Germani mei suam præpositionem *mit* hic usurpant. Verum aliter se res habet, quam isti crediderunt. Et quidem quod scriptum est, *Aliter se habet cum locutione Domini*, pro eo scribendum fuit, *Alia est ratio locutionis Domini;* & quod scriptum est *Secus res habet cum nostro syllogismo*, pro eo scribendum, *Alia est ratio nostri syllogismi:* & quod scriptum est *Perinde res habet cum verbis Domini*, pro eo scribendum, *Eadem*, vel *similis ratio est verborum Domini.* Sed annon ipsis quoque phrasibus *aliter se habere*, *perinde se habere* hic licet uti? Non inficias iverim. Sed ita vocula *res* omittenda erit, & vocula *cum* item; dicendumque *Aliter se habet locutio Domini*, *Perinde se habent verba Domini.* Ad hunc modum Cicero, a quo Latine scribere præcipue discendum est, libro IV. Acad. quæst. *Aliter se habere*, *ac sensibus videantur*, *dicuntur res oblatæ.* Notandum tamen & hoc est, Latinos adjecto vocabulo tertii casus

casus dicere, *Ita se res habet tibi;* si quidem significare velint, aliquid alicui eventurum esse mali. Terentius Eun. Act. IV. sc. 7. *Scin tu, ut tibi res se habeat? Si quidquam hodie hic turbæ cœperis, faciam hujus loci, dieique, meique semper memineris.*

Denique ad superiorem illum censum refero etiam, quod dicunt, *Eadem ratio est cum hac re.* Gerh. Titius p. 184. Responsi sui: *Eadem prorsus ratio est cum particula Hoc in præsenti exemplo.* Ubi recte quidem se habet illud, quod dicit *Eadem ratio est*; verum quod nomen subjicit sexti casus & quidem intercedente vocula *cum*, id pro Germanismo habendum videtur. Subjecisset modo nomen casus secundi, & præpositionem omisisset, dixissetque, *Eadem prorsus ratio est particulæ Hoc;* & recte se haberent omnia. Alibi idem Titius Germanismum hunc agnovit fere; utque eum evitaret, pro *cum* posuit *de*, & in pag. 14. Responsi sic scripsit: *Longe alia fuerit ratio de comestione corporis Christi.* Potuisset autem, imo debuisset, & hic: *Longe alia fuerit ratio comestionis corporis Christi.* Ad hunc modum ipse Cicero variis illis, quæ supra produximus, locis. Dicit ille, *Ea nostra ratio est, Mea ratio fuit alia.* Et apparet pro pronominibus poni posse nomina secundi casus, dicique, *Ea Ciceronis est ratio, Ciceronis ratio fuit alia.* Dicit item, *Similima ratio fuit tui temporis.*

CAPVT IV.

De vocabulorum Infractus *&* Cordatus *usu quodam minus Latino.*

VOcabulum *Infractus* multi putant idem esse, quod *non fractus*, & esse tale, quale est *indoctus;* compositum scilicet ex præpositione inseparabili *in*, ut

ut hæc privationem significet, & nomine adjectivo, facto illo ex participio, *fractus*. Damianus a Goes in Oppugnatione Dienſi: *Calecutii rex nobis perſæpe infeſtus propter infractam amicitiam inter nos & regem Cochini, ipſius antiquum hoſtem.* Merula ad fragm. Ennii p. 506. *Forti & infracto animo.* Joh. Seldenus Analect. Anglobrit. c. VII. *Haroldus copias eduxit forti ac infracto prorſus animo.* Etiam in lib. I. ἔργ. καὶ ἡμ. Heſiodi verſum video: *Sola vero illic ſpes infracta in domo intus manſit.* Ubi voce *infracta* expreſſa eſt Græca ἀρρήκτοισι. Quæ Latina vox ſervata quoque eſt a clariſſ. Grævio, qui verſionem Heſiodi interpolaſſe, & magnam errorum vim ex ea ſuſtuliſſe profeſſus eſt. Henr. quoque Vagetius, vir Latinæ linguæ apprime peritus, in epigrammate, quod Chriſtiadi Johannis cujusdam Opſopæi adjectum, eidemque præmiſſum eſt, ſic habet:

Qui tenui victu, tecto ſub paupere, vivis,
Contentus ſterilem vertere juſſus agrum.
Hæc tamen adverſæ didiciſti incommoda ſortis
Hactenus infracto pectore, Jane, pati.

Sed & Baſilius Faber in Lexico ſic: *Infractus animus, hoc eſt, præſens, confirmatus. Eſſe animo infracto, id eſt, non facto.* Item: *IN in compoſitione & auget & minuit ſignificationem. Sic* infractum *dicimus & valde fractum, & non fractum.* Joh. Jac. Grynæus, qui vitam B. Hilarii ſcripſit, *infractum* idem eſſe quod *fractum*, adeo non credidit, ut, cum in lib. II. Hiſt. S. Sulpicii Severi legiſſet, *Ita partium vires amiſſo duce infractæ* pro *infractæ* legendum putaret *fractæ*; quaſi non tantundem ſignificare poſſet *infractæ*. Imo ex antiquis Interpretibus Servius Honoratus ad principium libri XII. Æneidos Virgilii, ubi legit *infractos*, his pluribus id expoſuit,

fuit, *antea semper infractos & invictos*; quasi *infractos* idem ibi sit, quod *fortes & invictos*. Verum interpretationem eam minime probat Farnabius; quodque Virgilius ait, *Latinos adverso Marte infractos defeciſſe*, id potius sic interpretandum censet, quod adverso Marte vere accisi & infracti Latini fuerint. Et sane quod *infractus* idem sit, quod *non fractus*, *fortis*, id nullo idoneo exemplo probari potest. Quod autem idem sit quod *fractus*, formatum a verbo *infringo*, id optimorum quorumque auctorum verbis probari potest. Cicero post red. ad Quir. *Eum tamen vidi, cum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato.* Virgilius lib. IX. Æn. *Torpent infractæ ad prælia vires.* Sic & Junonem *satis infractam* dicit pro *fractam*: & *tela infracta* pro *fracta*: & *arundinem infractam* pro *fractam*. Rursus Cicero in Orat. pro dom. sua: *Infractus furor tuus inanes faciebat impetus.* Idem lib. IX. ep. 12. ad Att. *Tum poterimus deliberare, non scilicet integra re, sed certe minus infracta, quam si una projeceris te.* Livius Lib. III. *Oratio submissa & infracta.* Lucretius Lib. V. *Almæ nutricis blanda & infracta loquela.* Plinus lib. V. ep. 6. *Accipit villa ab Apennino auras non acres & immodicas, sed spatio ipsa lassas & infractas.* Curtius lib. VI. *Nunquam infractos & abjectos receſſiſſe, quoties ipsius alacritatem & tanti animi spiritum haurire potuissent.* Et lib. VIII. *Quippe magnitudinem animi ejus interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non misericordia modo, sed etiam honore excipere dignatus est.* Item lib. IX. *Surdas jamdudum aures pulso. Adversos animos & infractos excitare conor.* Valer. Max. l. IV. c. 7. *Infractæ fortunæ homines.* Et lib. V. c. 10. ext. 1. *Oratione nulla ex parte infractiore.* Tacitus lib. XVII. Annal.

Veritas

Veritas pluribus modis infracta. Columella lib. VIII. cap. 17. *Nuces digitis infractæ sunt dandæ.* Sulpicius Severus lib. II. Hist. Sacr. *Partium vires amisso duce infractæ.* Item: *Ubi parum ad pacem proficiebant, paulatim & ipse infractior* (Fœgadius) *ad extremum proposita conditione evincitur.* Atque ita apparet, non Auctores tantum ævi Ciceroniani, sed & illos, qui aliquot sæculis post vixerunt, *infractum* dixisse pro *fracto:* ut participium sit, ac porro nomen adjectivum, a verbo *infringere.* Quod verbum ab auctoribus & ipsum plurimum est usurpatum. Livius lib. XLV. *Is demum vir erit, cujus animum nec prospera fortuna flatu suo efferet, nec adversa infringet.* Ut hic dicit, *fortunam adversam animum non infringere:* ita supra Curtius, *magnitudinem animi ne fortuna quidem infractam.* Cæsar lib. II. de B. Civ. dicit, *Conatus adversariorum infringere;* & lib. III. B. Civ. *vim militum infringere.* Propertius item lib. I. el. 13. *Vires alicujus infringere.* Unde in participio dicendum utique, *Conatus adversariorum infracti, vis militum infracta.* Et, quoniam a verbo composito *infringere* Latini participium *infractus* formarunt, sedulo cavisse iidem videntur, ne vocabulum *infractus* unquam ut compositum ex *in* privativo, & participio *fractus*, usurparent; ne videlicet ambiguitas inde oriretur. Sic & cum a verbo *infucare* participium *infucatus* formarent, dicerentque *vitia infucata*, cavisse videntur, ne *infucatus* dicerent pro *non fucato.* Cicero pro Planc. *Vicinitas non fucata;* non, *vicinitas infucata.*

Sed putant tamen nonnulli, alterius quoque significationis exempla ex bonis auctoribus proferri posse. Et quidem Stephanus in Thesauro Latinæ linguæ citat illud Plinii lib. IIX. cap. 50. *Mares quam maxime simos, longis auriculis infractisque, armis quam villosissimis, probant.* Verum quid vetat

vocabulum *infractus* non aliter hic quam in omnibus illis superioribus, intelligi; ut nimirum *auriculis infractis* idem sit quod *auriculis fractis?* Sane in ipso illo Lexico mox adjicitur: *Nisi forte infractas auriculas intellexeris non erectas, pendulas, quasi fractæ sint.* Deinde in verbis Virgilii lib. XII. Æneidos, *Turnus ut infractos adverso Marte Latinos defecisse videt*, Servius *infractos* putat esse robustos, validos, fortes. Verba ejus sunt: *Postquam Turnus bello defecisse videt Latinos, antea semper infractos; namque ita major est sensus, quam si infractos valde fractos acceperis.* Quia dicit *antea semper infractos*, satis apparet per *infractos* illum fortes & robustos intelligere. Verum quam rationem ille addit, ea nihili est. Ait, ita majorem esse sensum, quam si infractos valde fractos acceperis. Atqui sensus satis commodus est, si vocabulum hic ita accipias, ut in tot superioribus optimorum auctorum verbis illud accipiendum est. Vult poëta, Latinos adverso Marte infractos, id est, fractos & debilitatos, fuisse; eamque ob causam defeciisse. Quod & alter vetus Interpres, Ti. Donatus satis agnovit. Verba hujus sunt: *Infractos nonnulli in duabus partibus orationis ponunt, asserentes IN aliquando minuere, & augere aliquando. Hic tamen constat non negari fractos, sed potius valde fractos ostendi. Quod ipsum ut plenissime roboretur, infractos in una parte orationis ponere debemus, ut est inflexum.* (ut participium sit a verbo *infringo*, quemadmodum *inflexum* participium est ab *inflecto.*) *Infracti, inquit, fuerant Latini pugnando: infracti sentiendi sunt; animo scilicet & viribus, utpote qui adverso Marte pugnassent, & deteriora metuerent. Infracti ergo qui nollent congredi, & pugnare non possent.*

Qualem super vocabulo *infractus*, talem & super vocabulo

vocabulo *cordatus* nonnulli errorem habent; utpote quod & ipsum fortem ac imperterritum significare putant. Credunt nimirum, quia nostrum vocabulum *beherzt* fortem ac imperterritum significat, idemque cum Latino *cordatus*, etymo, vel potius etymi significatione, congruit, ipsa quoque nomina adjectiva *cordatus* & *beherzt* significatione inter se congruere. Ita memini alicubi legere *Vir juvenis cordatus & severus. Ein junger mann beherzt (tapffer) und ernst.* Verum sciendum, etiamsi Latinum *cor* & nostrum *hertz* significatione inter se congruant, tamen altera illa, quæ ab illis derivata sunt, significatione minime congruere: imo ipsa illa vocabula primitiva *cor* & *hertz*, etsi significatione propria inter se congruant, figurata tamen non per omnia congruere. Vernaculum *hertz* significationem figuratam habet illam, ut significet *animum fortem & imperterritum.* Ita dicimus, *Er hat kein hertz, Einem ein hertz machen.* Quo factum etiam, ut derivata *beherzt* & *hertzhafft* eum, qui animo forti ac imperterrito est, significent. At vox Latina prætet significationem propriam, credo, non figuratam illam habet, ut *animum fortem & imperterritum* significet; sed ut significet *prudentiam, sapientiam.* Cicero L. II. de fin. *Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem.* Item: *Nec enim sequitur, cui cor sapiat, ei non sapiat palatus.* Plautus subinde *cor habet* pro *sapit* dicit. Pari modo igitur derivatum *cordatus* non *fortem* & *imperterritum*, sed *prudentem* & *sapientem* significat. Cicero lib. I. Tusc. *Egregie cordatus homo Ælius Sextus.* Quibus idem Cicero præmisit ista: *Aliis cor ipsum animus videtur; ex quo excordes, concordes, vecordesque dicuntur: & Nasica ille prudens, bis consul, Corculum.* Ex Pœnulo Stephanus in Thesauro citat, *Quas tu sapienter,*

docte, & cordate, & cate mihi reddidisti certas. Deinde in Mil. glor. Act. IV. Sc. III. legitur, *Dicito docte & cordate.* Quia vocabulum *cordate*, cum vocabulis *sapienter*, *docte* & *cate* componitur, facile hinc intelligitur, idem illud quod hæc, vel certe cognatum quippiam significare.

CAPUT V.

Formulas loquendi, In æternum non fiet, In omnem æternitatem non fiet, *non satis Latinas videri.*

PAssim hodie scribi videas sic, *In æternum non fiet, In omnem æternitatem non fiet.* Jacobus Andreæ Repetit. doctr. de Pers. Chr. *Quod tamen in æternum non est facturus.* Theologi Wittemb. in Refutatione Compilationis Cinglianæ quam vocant p. 232. *In æternum probare non potuerunt.* Samuel Maresius de Transsubst. p. 86. *Nec in æternum juvabit eum.* Hi igitur *in æternum non facturum esse* dicunt pro *nunquam facturum esse, nullo unquam tempore facturum esse.* Lud. Capellus utrumque loquendi modum conjungit, dicitque *nunquam in æternum facturum esse.* Ut Critici S. p. 473. *Certus sum Judæum illum nunquam in æternum probaturum.* Et in Spicilegio ad Cap. V. Matt. *Uterque ejusmodi phrasi durationem designavit nunquam in æternum finiendam.* Ægidius Hunnius *In omnem æternitatem fieri non posse*, dicit pro *nunquam fieri posse, nunquam factum iri.* Ut in libell. de Pers. Chr. pag. 438. *Nondum tamen probatum esse, nec in omnem æternitatem probari posse.* Hic pro *in æternum* dicit *in æternitatem*; & præterea notam universalitatis *omnem* adjicit. Quid igitur ista talia videntur? An & veteres ita locutos putabimus; ut, cum significare vellent,

vellent, *nunquam aliquid factum iri*, dicerent, *in æternum, in omnem æternitatem non factum iri?* Dixisse veteres *in æternum*, non est dubium. Sed & *in omnem æternitatem* eos dixisse, haud negaverim; quod sciam ipsum Ciceronem dicere, *ab omni æternitate, ex omni æternitate, in omni æternitate.* Ut in libris de Div. *Nihil fieri quod non ab omni æternitate certum fuerit esse futurum.* Et in libris de Nat. D. *Quod semper ex omni æternitate verum fuerit, id esse factum.* Verum quod nunc dubitamus, illud est, an veteres & in negationibus faciendis hujusmodi locutiones usurparint, dixerintque, *Ab æterno hoc non est factum*, & *Ab omni æternitate hoc non est factum*, pro *nunquam hoc est factum*; itemque, *In æternum hoc non fiet*, &, *In omnem æternitatem hoc non fiet*, pro *nunquam hoc fiet.* Hebræos tali modo negationes formare notum est. Exemplum Deut. XXIII, 4. *Ammonita & Moabita non veniat in congregationem Jehovæ* עד עולם *usque ad æternum.* Et paulo post: *Non quæres salutem eorum omnibus diebus* לעולם *in æternum.* Sensus utrobique est, nunquam, nullo unquam tempore, debere fieri. Sic & Prov. X. 30. *Justus* לעולם *in æternum non movetur*, i. e. nunquam movetur. In Codice Talmudico Frachin legitur, לעולם אל יספר אדם בטובתו של הבירו שמחוך טובתו בא לידי רעתו *In æternum non loquatur homo de bonitate alterius: quia hinc facile etiam deveniet ad male de eo loquendum.* Sed & ceteræ linguæ Orientales consimiles loquendi formulas habent. Locman in Fab. de homine nigro: לא תסחטיע אלביאץ ולא תקדר עלית אבר אלדתר *Non potes albescere in æternitatem sæculi*; vel, si verbum de verbo exprimere velis, *Non potes albescentiam, nec valebis super eam in æternitatem sæculi.* Et hunc quidem in modum negant de futuro tempore. Nec aliter de tempore præterito. Exemplum Es. LXIV. מעולם לא שמעו *ab æterno non audive-*

audiverunt, i. e. nunquam audiverunt, nunquam auditum est. In Mischar Happeninim legitur: מעולם לא תוכחתי אדם שלא מצאתיו מחפש על מומי *Ab æterno non reprehendi aliquem, quem non invenerim postea inquirentem in vitia mea.* Ubi *ab æterno non reprehendi* idem est, quod Latini dicunt, *nunquam reprehendi.* Ibidem legitur & sic: מעולם לא חרפני אדם יותר מפעם אחת כי הראשונה אסבול חרפותיו כדי שלא יחרפני שנית *Ab æterno non convitiatus me est quisquam plus quam semel. Nam prima vice patienter tuli convitia ejus, ut secunda vice abstineret.* Hic *in æternum non convitiatus est*, idem est, quod *nunquam convitiatus est.* Ad futurum tempus rursus pertinet, quod extat in Vajikra rabb. Sect. 34. לעולם אל יהי מצות עני קלה בעיניך *In æternum præceptum de paupere non sit leve in oculis tuis.* Porro Orientalium hunc loquendi modum Scriptores novi Testamenti sunt imitati, scripseruntque εἰς τὸν αἰῶνα, *in æternum non factum iri*, & ἐκ τοῦ αἰῶνος, *ab æterno non factum esse*, cum *nunquam factum iri* aut *nunquam factum esse* voluerunt dicere. Exemplum I. Cor. VIII, 13. Οὐ μὴ φάγω κρέα εἰς τὸν αἰῶνα, *non edam carnes in æternum.* Aliud Joh. XI, 32. Ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη, *ab æterno non auditum est.* Vide de hoc loquendi modo & cap. XL. nostri de Hebraismis N. T. Commentarii. Exemplis autem ibi recensitis adhuc addi possunt: Οὐ μὴ ἀπόλωνται εἰς τὸν αἰῶνα, *non peribunt in æternum*, i. e. *nunquam peribunt*, Joh. X, 28. Οὐ μὴ νίψῃς τοὺς πόδας μου εἰς τὸν αἰῶνα, *non lavabis pedes meos in æternum*, i. e. *nunquam lavabis*, Joh. XIII, 8. *Omnis qui vivit & credit in me*, ὃ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα, *non morietur in æternum*, i. e. *nunquam morietur*, Joh. XI, 26. *Si quis sermonem meum servabit*, θάνατον ὃ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα, *mortem non videbit in æternum, non morietur in æternum*, i. e. *nunquam morie-*

morietur, Joh. VIII, 51. *Qui blasphemaverit Spiritum S.* οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, *non habet remissionem in æternum*, i. e. *nunquam habet remissionem*, Marc. III. 29. Atque eum loquendi modum Scriptores novi Testamenti ex literatura Hebraica, quæ & vernacula ipsis fuit, hauserunt: potuissentque singula ista ut Scriptores ceteri faciunt, adverbio οὐδέποτε exprimere. Sed unde homines nostræ ætatis locutionem eam haurire putabimus, quod dicunt, *in æternum non factum iri*, cum *nunquam factum iri* significare volunt? Apud Scriptores Latinos veteres eam observasse, eosdemque imitari voluisse non videntur. Suspicari subit, eorum quosdam & quidem natione Germanos, genus istud loquendi ex lingua vernacula traxisse. Dicunt enim Germani, *Das wird in ewigkeit nicht geschehen*, *Das kanst du in ewigkeit nicht beweisen.* At Galli, etsi vocabulum *eternellement* habent, in hujusmodi tamen enunciationibus negativis illud vix usurpant; sed utuntur potius vocabulo *jamais*, dicuntque; *Cela ne se fera jamais. Vous ne prouverez jamais cela*, vel *Jamais vous ne verifierez cela.* Unde & Interpretes in superioribus illis Græcis vertendis non vocabulo *eternellement*, sed vocabulo *jamais* sunt usi, verteruntque Joh. IV, 4. *n'aura plus jamais soif*; & Joh. VIII, 51. *il ne verra jamais la mort*; & Joh. X, 28. *ne periront jamais*; & Joh. XI, 26. *ne mourra jamais*, & denique Joh. XIII, 8. *tu ne me laveras jamais les pieds.* Tantum in verbis Marci vertendis Hebraismo usi vocem *eternellement* posuerunt, verteruntque *n' aura point de pardon eternellement.* Quare quod Scriptores Galli, Capellus & Maresius, ut supra dixi, in enunciationibus negativis voces *in æternum* usurparunt, id non idiotismo linguæ vernaculæ, sed Hebraismo inducti fecisse videntur.

Sed non ab re fuerit dictionis vere Latinæ *nunquam fiet*, & Hebraizantis illius *non fiet in æternum* convenientiam & discrepantiam considerare. Æquipollent sane enunciationes istæ. Sed æquipollentia non Grammatica, sed Logica hæc est; uti quidem æquipollentiam Vir summus, & noster olim præceptor, Joachimus Jungius distinguit. Æquipollentia Grammatica est, si dicas, *Ensis est ferreus*, & *Gladius est ex ferro:* item *Herodes est vulpes*, & *Herodes est astutus:* nam si ad orationem internam attendas, idem utrobique & subjectum & prædicatum est; præterea vero eadem & qualitas, & quantitas. At æquipollentia Logica est, si non in externa tantum, sed & in ipsa interna oratione discrepantia sit; & nihilo tamen secius enunciationes simul vel veræ vel falsæ sint. Estque ea vel respectu syncategorematum, vel respectu partium orationis per se significantium talis. Prioris exemplum est, si dicas, *Omnis homo non est justus*, & *Nullus homo est justus*. Æquipollent sane enunciationes istæ. Verumtamen non in oratione externa tantum, sed & in ipsa interna discrepantia est. In priore quidem enunciatione subjectum redditur universale per notam universalitatis *omnis;* & ab istiusmodi universali subjecto prædicatum per voculam *non* copulæ præmissam, removetur. At in posteriore enunciatione vocula negans non apponitur copulæ, sed toti enunciationi præmittitur; ita quidem, ut cum nota particularitatis *ullus* conjugatur, & in unam cum ea vocem coalescat: ut adeo *Nullus homo est justus* dicatur pro *Non ullus* vel *ne ullus quidem homo est justus*. Vocula negans, inquam, hic non, ut in superiore, enunciationis copulam, sed totam enunciationem afficit; quæ quidem per se spectata particularis affirmans est; hæc nimirum *Unus* vel *ullus homo*

homo est justus. Atque ita quod dicitur *Nullus homo est justus*, vel quod idem est, *Ne ullus quidem*, *Ne unus quidem homo est justus*, tantundem est ac si diceretur, *Non verum est*, *unum* vel *ullum hominem esse justum.* Sed nunc & de alteris illis videamus, *nunquam fiet*, & *non fiet in æternum.* Primo vox *unquam* idem est, quod *ullo tempore* vel *aliquo tempore:* & pari modo *nunquam* idem, quod *non* vel *non aliquo tempore.* Ut adeo *Nunquam fiet* dicatur pro *non ullo tempore*, *non aliquo tempore fiet.* Deinde εἰς αἰῶνα & *in æternum* idem est, quod εἰς πάντα χρόνον *in omne tempus*, *vel* διὰ παντὸς χρόνου *per omne tempus.* Apparet ex eo, quod Græci dicunt ἐξ αἰῶνος, & ἐκ παντὸς αἰῶνος. Ælianus l. XII. Hist. var. c. 27. τὰς ἐξ αἰῶνος νεκρὰς ἀποσπόνδους ἀποδόναι ταφησομένας, *Omni tempore*, *omni ævo*, *mortuos hostes sepeliendos tradidisse.* Item cap. 64. τῶν πάντων τῶν ἐξ αἰῶνος, βασιλέων εὐδαιμονέστατον Ἀλέξανδρον γεγονέναι. *Omnium ab omni ævo regum felicissimum fuisse Alexandrum.* Antoninus Imp. lib. IX. ἐξ αἰῶνος ὁμοειδῶς ἐγίνετο *ab omni tempore*, *ab omni ævo*, *ejusdem formæ sunt*, res omnes puta. Diodorus Siculus lib. III. Biblioth. Ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος σεσώρευται τῇ μνίᾳ φόρτος ἄπλετος. *Ab omni tempore*, *ab omni ævo*, *congestus est algæ ingens acervus.* Ergo apparet, vocem αἰὼν alias *tempus* simpliciter; alias *omne tempus* & *longum tempus* significare, atque ita notionem universalitatis involvere. Quam duplicem notionem vocis & Hesychius notavit. Αἰὼν ὁ βίος τῶν ἀνθρώπων, inquit, ἡ τῆς ζωῆς χρόνος. ποτὲ δὲ ἐπὶ μακρᾶ χρόνου νοεῖται. *Omne tempus* aut *longum tempus* denotat quoque, cum dicant, δι' αἰῶνος *per omne tempus*, *in æternum.* Ælianus lib. I. Hist. Var. c. 32. Δι' αἰῶνος βασιλεύοις, *In æternum regnes.* Basilius Orat. I. Mor. Αἱ ἀρεταὶ λάμπουσι δι' αἰῶνος. *Virtutes splendent in æternum.* Ex phrasi δι' αἰῶνος formarunt verbum

διαιωνίζειν, quod significet *in æternum manere*. Themistius in Phys. Aristotelis: ὁ οὐρανὸς καὶ τὰ ἄστρα καὶ ἡ ἀκίνητος καὶ διαιωνίζουσα τάξις. Ceterum quod αἰὼν significat *omne tempus*, atque ita notionem universalitatis involvit, factum quoque est, ut nomen adjectivum αἰώνιος inde formaretur, & *æternum* significaret. Dicunt quoque δι' αἰῶνος τῶν ἁπάντων; atque ita notionem universalitatis rursus seorsum exprimunt: quomodo scil. non tantum ἐξ αἰῶνος, sed & ἐκ παντὸς αἰῶνος dicunt. Josephus lib. XIX. Ἀρχαιολ. c. 1. Δέον αὐτὸς τ' ἀδεᾶς τὸ λοιπὸν εἶναι, καὶ τοῖς ἄλλοις αἰτίαν τῆ εὐδαίμονι παραχόντας δι' αἰῶνος τὸ ἅπαντος τὸ ἄυθις, ἐν θαύματι μεγάλω καὶ τιμῆ καταστῆναι. *Oportet nos ipsos posthinc sine metu esse, atque aliis causam felicitatis præbentes in omne tempus futurum, in magna admiratione & honore nos ipsos constituere.* Quo de loco aliquando non satis recte nos sensisse agnoscimus. Αἰὼν ὁ ἅπας ἄυθις est *tempus omne, quod posti est, quod sequitur & futurum est.* Sic & eodem capite ejusdem libri dicit, χρόνῳ τῷ ἄυθις *tempori futuro.* Quoniam igitur apparet, εἰς αἰῶνα *in æternum*, idem esse, quod *in omne tempus*, vel *omni tempore:* illud quoque jam intelligitur, quantum enunciationes *Hoc fiet nunquam* & *Hoc non fiet in æternum* discrepent; & quidem quantum discrepant enunciationes, *Hoc fiet nullo* vel *non ullo tempore*, & *Hoc non fiet omni tempore.* In priore vox negans post verbum ponitur: at in posteriore ponitur ante verbum. Deinde voces *ullo tempore* notionem exprimunt particularem; quia *ullus* idem est, quod *unus:* at voces *omni tempore* notionem exprimunt universalem.

Porro talis loquendi forma, qualis est illa, *Hoc non fiet omni tempore*, apud Hebræos tantum non perpetua est; ut, si enunciationes negativas casu obliquo universales facere velint, ipsum signum universalitatis כל in prædicato ponant. Ut Dan. XI,

37.

37. על כל אלוה לא יבין *ad omnem Deum non attendet*, vel *omnem Deum non curabit*, i. e. *nullum Deum curabit*, Antiochus Epiph. puta. Item Pſ. XLIX, 18. לא במותו יקח הכל *in morte ſua non capiet* vel *ſecum auferet*, *omne*, i. e. *capiet nihil.* Rurſus Dan. VI, 7. in Chaldaicis, לא נהשכח לדניאל דנה כל-עלה *non inveniemus in hoc Daniele omnem cauſam*, i. e. *inveniemus nullam cauſam.* Etiam in novo Teſtamento nonnulla hac ratione formata reperiuntur: quæ quidem & inter novi Teſtamenti Hebraiſmos recenſuimus. Videſis pag. 116. partis poſterioris iſtius libri, quo de argumento iſto egimus.

Quoniam igitur Hebræi de cetero tali forma loquendi utuntur, ut enunciationes negantes, caſu obliquo univerſales per ipſum ſignum univerſalitatis כל forment, dicantque exempli gratia, לא יבין על כל אלוה *non curabit omnem Deum*, ubi Latini dicunt, *curabit nullum Deum:* non mirum item eſt illos dicere לא יעשה לעולם *Non fiet in æternum*, id eſt, ut oſtendimus, *Non fiet omni tempore*, ubi Latini dicunt, *Fiet nunquam*, i. e. ut oſtendimus, *Fiet nullo* vel *non ullo tempore.* Faciunt nimirum pro ſolenni ſuo, & genium ſuæ linguæ ſequuntur. Qui autem Latine aliquid commentari velit, ei non ſic ſcribendum; ſed genius potius ipſius, qua ſcribit, linguæ ſequendus erit.

CAPUT VI.

De phraſeos Habeo dicere *uſu quodam minus Latino. Perperam itidem dici* Neceſſe habere aliqua re.

SAtis Latine dicitur *Habeo dicere*, *Habeo ſcribere*, ſi quidem certa notione ac ſignificatione dicatur: & multa ejus locutionis exempla congeſſimus in capite VII. libri de Latinitate falſo ſuſpecta, paginis quidem

quidem 53. seq. & 225. sq. Sed putant quidem *Habeo dicere* idem esse, quod *oportet me dicere* vel *Dicendum est mihi.* Cornelius Crocus, qui & ipse de vitiis Latini sermonis scripsit, in epistola, quæ quadragesima septima est, Centuriæ primæ earum, quas clarissimus Gabbema collegit, sic habet: *Vehementer te oro, ut mihi liceat preces meas ad unum mensem tantum intermittere, quas legere habeo, quod sum minoribus ordinibus initiatus.* Dicit hic, *Preces legere habeo*, pro *Preces legere me oportet*, vel *Preces legendæ mihi sunt.* Mart. Lutherus in lib. de servo arbitr. p. 142. *Relinquendus est igitur Deus in majestate & natura sua. Sic enim nihil nos cum illo habemus agere*, pro *Nihil nobis negotii cum illo est*; quomodo nos dicimus *Wir haben nichts mit ihm zu thun, Wir haben nichts mit ihm zu schaffen.* Maturinus quoque Corderius in Colloquiis, quæ passim in scholis teruntur, subinde eam loquendi formulam usurpat. Ut in Colloquio IV. *Meridie quid habetis reddere? Habemus declinare verbum Possum.* Et Colloqu. XIV. *Excipe, festina: nam habeo scribere aliquid.* Apparet, *Habeo scribere aliquid* dixisse eum pro *scribendum mihi est aliquid:* & *Quid habetis reddere* pro *Quid reddendum est vobis:* & denique *Habemus declinare verbum Possum* pro *Declinandum est nobis verbum Possum.* Item Colloq. LXVIII. *Repetam aliquid eorum, quæ reddere habemus crastino die.* Laurentius quoque Valla in I. V. Elegantiarum c. 98. diserte docuerat, Ciceronem *Habeo polliceri* dixisse pro *pollicendum mihi est*; & *habeo convenire* pro *conveniendum mihi est*; & *habeo audire* pro *audiendum mihi est.* Verba ejus sunt: *Tantum habeo polliceri, inquit Cicero ad Lentulum. Idem in Cat Majore: Neque eos solum convenire habeo quos vidi, sed etiam quos audivi & legi. Idem*

de

de Oratore: Audire habeo, quid hic sentiat. Quod, ut ipse interpretor, idem est quod pollicendum, conveniendum, audiendum est mihi. Quod probatur ex illo licet diverso loquendi modo, qualis apud Quintilianum: Adeo ludibriis miserae sum diversitatis implicitus, ut impetrandum a vobis habeam odii mei favorem, id est, ut impetrandus mihi sit a vobis odii mei favor. Quod licet commutari in superiorem modum sic: ut impetrare habeam odii mei favorem: sicut contra illum in hunc, sic: Tantum habeo pollicendum: Neque eos solum conveniendos habeo. Putat ergo ille, quod Quintilianus dicit, *Impetrandum a vobis habeam odii mei favorem*, pro eo dici quoque posse, *Impretrare a vobis habeam odii mei favorem;* & sensum hujus locutionis eundem plane esse, qui est illius. Sed recte Vallam Henricus Stephanus notavit in cap. III. suæ de Latinitate falso suspecta Expostulationis; & nos quoque in cap. VII. libri de Latinitate falso susp. ea de re egimus. Ait Valla, quod prædicti loquendi modi is, quem ipse vult, sensus sit, id ex modo loquendi illo, quo Quintilianus usus est, *Impetrandum habeam odii mei favorem;* probari posse. Verum probatio ista plane nihili est. Quis sensus sit istius loquendi modi, qui in verbis Quintiliani apparet, id facile intelligitur: & pluscula ejus exempla congesta a nobis sunt in pagina 53. & 54. prædicti libelli. Non continuo si ejus loquendi modi, qui apud Quintilianum apparet, is quem dixi sensus est, alterius quoque eundem sensum esse necesse est. Agnoscit ipse Valla, modos illos loquendi diversos esse. Quid est igitur, quod ex sensu unius de sensu alterius judicari velit? Alterius loquendi modi quis sensus sit, in pagina 54. & 55. prædicti libelli docuimus: videlicet verbum *habere* in talibus poni pro *posse;* vel genuinam habendi significationem retine-

retinere. Quis non agnoscit, quod Cicero in Orat. pro Corn. Balbo dicit, *Quid habes igitur dicere de Gaditano fœdere ejusmodi*, id esse dictum pro *Quid potes dicere* vel *Quid habes, quod possis dicere?* Et quod in libro II. de Div. dicit, *De nostris somniis quid habemus dicere*, id idem esse, quod *De nostris somniis quid possumus dicere*, vel *quid habemus, quod possimus dicere?* Sane ipse Cicero, quid sibi velit, satis ostendit, quod pro *Habeo dicere* dicit etiam *Habeo quæ dicam*, id est, *Habeo quæ dicere possim.* In lib. III. de Nat. D. dicit, *Hæc fere dicere habui de natura Deorum.* At in Lælio dicit sic: *Hæc habui de rep. quæ dicerem*, id est, *Hæc habui quæ dicere possem.* Sed & modus iste loquendi satis intelligitur, si idem per se spectetur, & antecedentia modo & consequentia considerentur. Quod Horatius Od. XVI. Epod. dicit, *An melius quis habet suadere*, id quis dictum dubitet pro *An quis aliquid melius habet, quod suadeat*, vel *quod suadere possit?* Dederat ille consilium, quid novo bello exoriente faciendum esset. Deinde subdit: *Sic placet: An melius quis habet suadere?* Quod sane non putari potest dictum pro *An quis melius debet suadere?* vel *An melius suadendum est alicui?* Ineptum enim foret quærere, an aliquis melius suadere debeat, si possit: de hoc enim nemo dubitare potest. Porro quod Cicero in Orat. pro S. Roscio dicit, *Habeo etiam dicere, quem contra morem majorum annis sexaginta de ponte in Tiberim dejecerit*, id annon dictum itidem est pro *Possum etiam dicere?* Et quod lib. I. ep. 5. dicit, *De Alexandrina re causaque regia tantum habeo polliceri, me tibi absenti tuisque præsentibus cumulate satisfacturum*, id annon dictum pro *tantum possum tibi polliceri*, vel *tantum habeo quod tibi pollicear?* Sed & locus Ciceronis in Catone Majore, *Neque eos solum conveni-*

convenire habeo, quos vidi, sed etiam quos audivi & legi, quem Valla ipse produxit, satis rem declarat; videlicet quod talis loquendi modus non officium & debitum, sed facultatem ac potentiam denotet. Lucretius lib. VI. *in multis hoc rebus dicere habemus*, itidem dixit pro *dicere possumus*. Et Gellius lib. XIV. cap. 1. *Exercendine an ostentandi gratia ingenii, an quod ita serio judicatoque existimaret, non habeo dicere*, pro *non possum dicere*.

Porro & de phrasi *Necesse habere* videamus. Per se quidem satis Latina illa est; sed nonnulli perperam eam construunt cum nominibus. Id probum, si infinitivus subjiciatur, dicaturque, *Habeo necesse facere*. At perperam fit, si quis dicat, *Habeo necesse aliquare*. Ut Famianus Strada *Nos monitore necesse non habemus*: quem & Caspar Scioppius eo nomine non uno loco notavit. Videsis Judicium ejus de Stylo hist. p. 82. & Grammat. Philosoph. p. 123. edit. Amstelod. Item Hülsemannus Breviar. Theol. p. 164. *Hic nulla necesse habet iteratione*; Sed potest tamen dici *necesse habere aliquid*; ut non casus sextus, sed quartus subjiciatur. Seneca enim VII. Controvers. 3. sic habet: *Sic a te alligatus est, ut necesse haberet, quod non expediebat*. Subaudiendum sine dubio pronomen *illud*; & *necesse haberet quod non expediebat* scriptum pro *necesse haberet illud quod non expediebat*. Sic & Eugraphius in Prolog. Heaut. *necesse habeo silentium*. Cujus rei causa hæc est, quod *necesse* verum nomen adjectivum est generis neutrius; quodque veteres dixerunt *necessis*, *necesse*, & *necessus*, *necessa*, *necessum*, pro *necessarius*, *necessaria*, *necessarium*. Ut adeo *habere aliquid necesse* dicatur pro *habere aliquid necessarium*. Deinde pro nomine substantivo, aut pro pronomine, infinitivus ponitur, diciturque *necesse habeo facere*; idque eo quod

eo quod in omnibus linguis infinitivus subinde vicem præstat nominis. Ceterum *necesse* verum nomen esse, apparet quoque ex eo, quod dicitur *Hoc facere est necesse*. Terentius Eun. V. 5. *Necesse fuit hoc facere*. Ad quæ verba Donatus: *Necesse est nomen. Nam necessius, necessis, & necesse, necessum lectum est.* Item ex eo quod dicitur *Hoc est necesse, quod est necesse*. Notum est illud Catonis: *Emas non quod opus est, sed quod est necesse.*

Sed quid habendum de phrasi, *Opus habere aliqua re?* Et quemadmodum dicitur *Alicui opus esse aliqua re*, itane dicere quoque licet *opus habere aliqua re?* Non quidem ævi Ciceroniani phrasis ea esse videtur; sed reperitur tamen apud Columellam, auctorem non spernendum, ut Scioppius monuit. Vide Auctarium Grammaticæ ejus philosophicæ, pag. 9. edit. Amstelod. Augustinus quoque lib. IV. de doctr. Christ. c. 21. similiter scripsit: *Non solum auditore vel lectore, sed etiam expositore opus habemus.* Vide & caput VII. libri de Latinitate falso suspecta. Et videtur sane modus iste loquendi proximis post Ciceronem seculis invaluisse. Hodie quidem passim Viros quoque summos uti eo videas. Sed ego tamen malim dicere, *Opus esse alicui aliqua re:* hoc enim loquendi modo ipsum Ciceronem & hujus æquales; altero non item eosdem usos esse observo.

CAPUT VII.

Vocabula gratitudo, certitudo, profunditas *minus Latina esse.*

VOcabulis abstractis, ut vocant, *gratitudo, certitudo, profunditas*, plurimi hodie secure utuntur, nihil suspicantes, antiquis ea vocabula plane ignota fuisse. Sciendum igitur, veteres Latinos non a quibusvis

busvis nominibus adjectivis formasse substantiva, quamvis ad analogiam id facere utique possent. A *lassus* formarunt illi *lassitudo*, & a similibus similia: nec tamen a *gratus* formarunt *gratitudo*, aut a *certus certitudo*. Quod manifeste vel ex eo apparet, quod Seneca in libris de beneficiis, cum de ipsis rebus, quas hodie vocabulis *gratitudo* & *ingratitudo* exprimunt, fuse ageret, nunquam tamen ipsis illis vocabulis usus est, sed perpetuo periphrasi *animi grati*, *ingratique* eas res expresit. Ipse quoque Cicero, cum de re, quam *gratitudinem* vulgo dicunt, toties in scriptis suis egerit, non unquam tamen vocabulo illo usus est; sed potius eam rem *animum gratum & beneficii memorem* vocavit, aut vocabulo Græco ἀχαριστία usus est. Verba ejus in lib. I. de legibus hæc sunt: *Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum & beneficii memorem, diligit?* Si vox *gratitudo* nota ei fuisset, annon dicturus fuisset, *Quæ natio non gratitudinem diligit?* Usus est vocabulis abstractis *comitas*, *benignitas*; neque tamen abstractum *gratitudo* illis subjecit. Ex quo manifeste apparet, id vocabuli ignotum ei fuisse. Sic & lib. I. ep. 9. *memorem in bene meritos animum præstare* dixit. Locus, quo non Latino, sed Græco vocabulo usus est, est in epistola VI. libri IX. epistolarum ad Atticum, & sic habet: *Sed ita meruisse illum de me puto, ut* ἀχαριστίας *crimen subire non audeam.* Et recte viri docti, qui epistolarum Ciceronis voces & phrases Græcas interpretati sunt, fecerunt, quod vocabulum ἀχαριστίας non *ingratitudines*, sed *ingrati animi* verterunt. Ita enim, ut ex superioribus apparet, rem illam veteres appellarunt. Justinus lib. XXIV. cap. VI. quod & ipse vocem *gratitudo* ignoraret, *gratam voluntatem* vocavit. Verba ejus sunt: *Multa ibi & opulenta re-*

rum populorumque visuntur munera, quæque magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem & Deorum responsa manifestant. In Thesauro quidem Stephani inter alia & vocabulum *gratitudo* recensetur; verum exempla non nisi ex recentioribus, Sabellico & Erasmo, proferri potuerunt. Et rectius proinde factum fuisset, si vocabulum plane omissum, nec inter cetera recensitum esset. Mirum autem, quod, cum ad auctoritatem recentiorum provocaret, non potius Valerium Maximum laudavit: quippe in lemmatis, quæ libro ejus adjecta sunt, vocabula *gratitudo* & *ingratitudo* utique apparent. Verumtamen de bonitate prædictorum vocabulorum ne sic quidem satis certi esse possemus; siquidem de lemmatis istis pridem est, cum viris doctis suboluit, non ipsius Valerii Maximi, sed cujusdam Grammatici ea esse. Et memorabile est, quod Valerius, cum tot grati, ingratique animi, exempla recensuerit, non unquam tamen vocabulis *gratitudo* & *ingratitudo*, sed potius aliis usus est, & his quidem *gratæ ingratæque animi significationes, memor beneficii animus, grata voluntas, grata mens, gratus animus, ingratus lapsæ mentis error.* Ceterum & hoc notandum, non omnes codices manuscriptos in lemmatis Valerio adjectis sic habere, *de gratitudine, de ingratitudine;* sed aliquos habere, *de gratis, de ingratis.* Certe in uno eorum codicum, quos Bibliotheca Electoralis Brandenburgica habet, ita scriptum reperio.

Porro & de vocabulis *certitudo* & *incertitudo* videamus. His quoque nonnulli uti non dubitant; putantque satis Latina ea esse. Georgius Pasor quidem in Manuali Græcarum vocum N.T. cum vocem Græcam ἀδηλότης vertere vellet, Latino *incertitudo* eam expressit. Verum observandum ei fuit,

quod

quod ne Interpres quidem, quem vulgatum dicunt, quamvis Latinitate usus sit jam in pejus declinante, vocabulo *incertitudo* uti sustinuerit. Nimirum in cap. VI. prioris Epist. Pauli ad Timotheum, cum ipsam illam vocem ἀδηλότης vertendam haberet, non vertit, *Sperare in incertitudine divitiarum*, sed *sperare in incerto divitiarum*. Cum in textu Græco nomen substantivum ἀδηλότης reperiret, poterat utique Latino *incertitudo* uti, si quidem ipsius ævo in usu id fuisset, & vertere *in incertitudine divitiarum*. Quod autem usus non est, vertitque *in incerto divitiarum*, manifestum est, ne illius quidem ævo vocem in usu fuisse. Cæterum ipso vocabulo *incertum* usus Interpres est ut nomine substantivo; eique, ut nominibus substantivis fieri solet, substantivum aliud casu secundo subjecit. Habent enim hoc Latini, ut si substantivum nomen ipsos deficiat, more Græcorum loco substantivi utantur adjectivo, & quidem genere neutro. Græci dicunt τὸ ἐλαφρὸν pro ἡ ἐλαφρότης; & τὸ λευκὸν pro ἡ λευκότης, & τὸ ποσὸν pro ἡ ποσότης. Pari modo igitur & Latini dicunt *incertum* pro *incertitudo*. Tantum hoc interest, quod Græci promiscue fere id faciunt; etiam cum nomina substantiva eos non deficiunt: Latini vero tum demum, cum substantiva eos deficiunt, aut Græcismo uti ipsis libet. Latina id genus quamplurima Daniel Vechnerus in lib. I. Hellenolexiæ cap. IX. congessit. Ut ex Tacito, *lubricum juventæ*, *lubricum paludum*, *humidum paludum*. Ex Livio, *ultimum seditionis*, *ultimum dimicationis*. Ex Seneca Tragico, *Rupis exesæ cavum*. Ex Quintiliano, *Incertum orbitatis*. Gerh. quoque Vossius in lib. I. de vit. serm. c. XVI. ex optimis auctoribus profert, *Incertum disputationis*, *incertum conditionis*, *incertum cautionis*, *incertum successionis*, *incertum litis*, *incertum antiquitatis*,

incertum maris, *incertum belli*. Quorum ultimum cum & in lib.XXXVIII. Justini Cl. Berneggerus offenderet, suspicatus est, legendum pro eo esse *incerta belli*: Verum nihil mutandum esse, in Notis ad eum locum monuimus. Ceterum variis istis, quæ Vossius observavit, addi potest, quod Augustinus cap.XIII. libri de prædestinatione sanct. dicit, *incertum tentationum*. Verba ejus sunt: *Quod ei mortem immaturam fuerat largitus, ut tentationum subtraheretur incerto*. Ex tot igitur locis, quibus vox *incertum* loco nominis substantivi est usurpata, quis non colligat, vocabulum *incertitudo* antiquis plane ignotum fuisse? De interprete antiquo sacrarum literarum, quod is vertit *incerto divitiarum*, atque ita vocem *incerto* loco nominis substantivi posuit, notandum adhuc, usum eum esse Hebraismo, quomodo ipse quoque sanctus Paulus usus fuerat. Hebræi multum nominibus substantivis utuntur, ubi aliæ gentes utuntur adjectivis. Ut Gen.XXIII, 6. *Sepeli mortuum tuum* במבחר קבריכו *in electione sepulcrorum nostrorum*. Item Es. II,11. *Oculi* גבהות אדם *elationes hominum humiliabuntur*. Ubi quis non intelligit *electio sepulcrorum* dici pro *sepulcra electa*, *sepulcra optima*; & *elatio hominum* pro *homines elati?* Id igitur imitans S. Paulus in epist. ad Timotheum scripsit ἐλπίζειν ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι pro ἐλπίζειν ἐπὶ πλούτῳ τῷ ἀδήλῳ; atque ita usus est nomine substantivo, ubi alii Scriptores Græci usi potius fuissent adjectivo: quade re & in c. X. Commentarii de Hebraismis N.T. egimus. S. Paulum porro imitatus est vetus Interpres Latinus, & ubi Apostolus usus substantivo est, & ipse substantivo uti voluit. Cum autem substantivum nomen, quod quidem forma ab adjectivo discreparet, haud inveniret, ipso adjectivo pro substantivo usus est; ita quidem, ut quemadmodum de cetero nominibus

bus subſtantivis nomina subſtantiva, caſu ſecundo ſubjiciuntur, ita vocabulo *incertum* quoque nomen ſubſtantivum caſu ſecundo ſubjecerit, ſcripſeritque *in incerto divitiarum*. Sed annon vertere potuiſſet *confidere in divitiis incertis?* Potuiſſet utique. Sed ita non, ut ipſe Apoſtolus, uſus eſſet Hebraiſmo, neque nomen ſubſtantivum pro adjectivo poſuiſſet; ſed nomine adjectivo ut adjectivo uſus fuiſſet. Ut igitur verbum de verbo exprimeret, &, ubi Apoſtolus nomine ſubſtantivo uſus eſt, & ipſe ſubſtantivo uteretur, vertit *in incerto divitiarum*. atque ita voce *incerto* ut nomine ſubſtantivo uſus eſt. Et ſane quod ad vocem *incerto* attinet, Latinitatis ille ſatis obſervans fuit, quod ignoto ipſius ætate vocabulo *incertitudo* uſus non eſt: ſed quod ſcripſit *in incerto divitiarum* pro *in divitiis incertis*, atque ita perinde ut Apoſtolus, nomine adjectivo ut ſubſtantivo uſurpato, ſubſtantivum pro adjectivo poſuit, id a ſermone Latino abhorret, & Hebraiſmum, ut dixi, ſapit. Recentiores Interpretes, Eraſmus, Beza, Caſtalio, Hebraiſmum hic declinarunt, quod verterunt *in divitiis incertis*, & *in incertis divitiis*; atque ita non verbum de verbo expreſſerunt, ſed Apoſtoli mentem expreſſiſſe ſatis habuerunt.

Denique & ad vocabulum *profunditas* veniamus. Eo quoque plurimi hodie utuntur; præſertim cum in Logicis verſantur, & ſpecies quantitatis continuæ proponunt. Et ſane ut vocabulum artis tolerari ipſum nihil prohibet: verum in oratione eleganti idem apparere non poteſt. Veteribus quidem ipſum quoque illud vocabulum plane ignotum fuiſſe, conſtare poteſt. Dixerunt illi non *profunditas maris*, *profunditas putei*; ſed *profundum maris*, *profundum putei*, quomodo dixerunt *incertum belli*, *incertum divitiarum*; atque ita rurſus nomen adjectivum genere neutro ut ſubſtantivum uſurparunt: qua de re

& in Notis in cap. XIII. Dial. I. Sulpitii Severi egimus. Hic quidem ita scripsit: *Nam fere mille aut amplius pedum profundum putei ferebatur.* Etiam in Lexico Fabri, locupletato illo a Buchnero, notatum video, *profundum* esse etiam nomen substantivum, pro quo vulgo, sed parum Latine, dicant *profunditas.* Valerius Max. lib. II. c. X. ex 6. *in profundum miseriarum abjectus.* Et lib. IX. c. 1. ext. 2. *in profundum injuriarum & turpitudinis decidit.* Sed ab *altus* tamen substantivum, *altitudo* formant, eoque idem significant, quod vocabulo *profundum* significari diximus. Ut quod Sulp. Severus dicebat, *Mille pedum profundum putei ferebatur*, pro eo dici quoque potest, *Mille pedum altitudo putei fereb.* Seneca lib. III. Nat. quæst. c. 7. *Nulla pluvia est tam magna, quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat.* Rursus ut *profundum* dicunt; non *profunditas:* ita & *lubricum*; non *lubricitas.* Valerius Max. lib. III. c. 2. ex 10. *Nantes lubrico pelagi, quasi camporum firmitate.* Plinius l. III. ep. 3. *lubricum ætatis.* Item Tacitus, *adolescentis lubricum, paludum lubricum, itinerum lubricum.*

CAPUT VIII.

Non recte vulgo scribi abs re, abs me, abs nobis, abs se. *Item de ipsius phraseos* ab re *usu quodam minus Latino.*

MIrum voculam *abs* hodie adeo frequentari, & quidem sequentibus quibusvis consonis; cum veteres non nisi certis quibusdam sequentibus usurparint. Passim scriptum reperias *abs me, abs nobis, abs se, abs re.* Paræus quidem in Lexico Plautino scribit *abs re, abs se.* Pari modo & in Lexico Symmachi posuit *abs re*; cum ipse textus Symmachi habeat,

habeat, *Si aliquid ab re tua otii est.* Sic & Gerh. Titius pag. 30. Respondi: *Hymnum ardente animi devotione abs te conscriptum sic orditur.* Idem scribit & *abs me.* Ut pag. 12. *Consulto abs me factum scias.* Et pag. 35. *Data opera abs me factum esse noveris.* Nec aliter pag. 74. 69. 105. 133. 150. & pluribus aliis. *Abs re* scribit idem pag. 244. *Non abs re erit,* inquit, *hic adscribere observationem quandam Dilherri. Abs nobis* habet Nic. Hunnius; ut Sect. 313. Διασκ. *Nisi cognoscatur, quod hoc debitum nobis solutu prorsus impossibile, abs nobis removeatur.* Sed & ipse Vir summus, qui de vitiis Latini sermonis scripsit, in eopse libro habet *abs re.* Ut pag. 29. *Non abs re fuerit, si hic canones aliquot præstituam, ad quos expendantur voces peregrinæ.* Verum quo auctore ita scripserit, Scioppius in animadversionibus in librum Vossii scire se negat. Nunquam enim veteres præpositione *abs,* nisi sequente C. Q. aut T. usos se observasse. Sed & jam olim Laur. Valla in libris de elegantia Latinæ linguæ eadem de re monuerat. Vide lib. II. Eleg. cap. 29. itemque Annotationes in errores Raudensis. Eandem illam formulam, quam usurpabat Vossius, usurparunt sane & veteres: verum non *abs re,* sed *ab re* dixerunt. Suetonius Augusto: *Non ab re fuerit subtexere, quæ ei priusquam nasceretur in ipso natali die deinceps evenerint.* Livius lib. XXXV. *Non ab re esse Quinctio visum est sociorum aliquos ei consilio interesse.* Plautus Asin. Act. I. sc. 3. *Haud est ab re aucupis.* Primum ergo dicunt *est ab re, non est ab re;* subaudito, ut quidem Scioppio videtur, *alienum.* Deinde dicunt *ab re consulere, ab re aliquid orare, haut ab re aliquid alicui obvenire,* pro *consulere quod sit ab re, orare quod sit ab re, obvenire alicui, quod non sit ab re.* Plautus Trin. Act. II. sc. 2. *Amor subdole blanditur,*

ab re consulit. Item Capt. Act. II. sc. 2. *Quidvis dum ab re ne quid ores, faciam.* Rursus Truc. Act. II. sc. 6. *Haut ab re tibi obvenit istic labor; filium peperisti, qui ædes spoliis opplebit tuas.* Ex quibus omnibus primum illud apparet, veteres non *abs re*, sed *ab re* dixisse. Deinde *ab re esse, ab re alicui obvenire*, contrarium significare ejus, quod *e re esse, in rem esse* dicunt, i. e. inutile, damnosum esse; & contra *non ab re esse, non ab re alicui obvenire*, idem esse quod utile, consultum & proficuum esse. Ait Stratophanes Plautinus, laborem pariendi Phronesio meretrici non ab re obvenisse, quia filium pepererit, qui ædes ejus spoliis oppleturus sit. Pari modo in superioribus *ab re consulere* idem est, quod *consulere, quod inutile ac damnosum sit.* Ceterum voculæ *ab re* subinde & alio significatu usurpantur. Lucretius lib. I. *Quod nisi pigraris, paullumve recesseris ab re.* Idem lib. VI. *Præsteras Graji quos ab re nominarunt.* Ibidem: *Principio quod Averna vocantur, nomen id ab re impositum est.* Cicero lib. III. de Orat. *Ab re non longa digressio.* Livius lib. I. *Quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat: annuumque intervallum fuit: id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatur.* Item: *Nec cessabant Sabini, feroces ab re priore anno bene gesta, lacessere & instare.* Terentius Heaut. Act. I. sc. 1. *Tantumne ab re tua est otii tibi, aliena ut cures, eaque nihil quæ ad te attinent.* Et pari modo Cicero in epp. ad Att. *Tantum ab re tua est otii tibi, ut oratorem legas.* Apparent hic variæ phrases, in quibus vocalæ *ab re* usurpantur; ut *recedere ab re, aliquid nominare ab re, nomen ab re imponere, digressio ab re, appellari ab re, ferox ab re bene gesta, otium alicui esse ab re sua:* Verum quocunque significatu duæ illæ vocalæ ponantur, ab antiquis scriptum

ptum reperimus *ab re;* non *abs re.* Tantum apud Gellium lib. VIII. c. 14. invenio: *Hæc notare meminisseque non esse abs re visum est.* Verum quis scit, an locus ille mendo careat; cum antiquiores omnes dixerint *ab re.* Si vero maxime Gellianum illud genuinum esset, ego tamen cum tot antiquioribus mallem dicere *ab re*, quam cum uno Gellio *abs re.*

Sed vocularum *ab re* etiam pravus aliquis usus est notandus. Famianus Strada scripsit, *De regis filio non ab re veritus.* Item, *Non ab re suspicabatur.* Rursus, *Offensionem non ab re veritus.* In quibus omnibus id quidem bene habet, quod scriptum est *ab re*; non, ut alii quidam scribunt *abs re*: verum non justo significatu positæ voculæ videntur, quod *non ab re* dicit pro *non sine causa*, *non temere.* Et sane Stradam hoc nomine notavit Scioppius in libello, quod Latinitatem ejus examinavit. Scribit quidem Curio in Lexico, *non ab re* significare etiam *non sine causa*; verum nullum ejus significationis exemplum producit. Quare nos assensum tantisper sustinebimus, donec exempla ex antiquis proferantur.

CAPUT IX.

Male dici Sine eo esset *pro* Absque eo esset. *Ipso quoque* absque eo esset *non promiscue utendum esse. De phrasi* sine omni dubio, *& id genus aliis quid sentiendum.*

MUltos hodie delectari video formula loquendi elliptica *absque illo esset*, pro *absque illo si esset*; quosdam vero pro *absque* etiam *sine* usurpato scribere *sine eo esset.* Verba summi Viri, qui ante nos de vitiis sermonis Latini scripsit, in præfatione libri sunt ista: *Præclara eorum reperta: sine quibus esset,*

defraudaremur magna doctrinarum parte. Alius vir doctus, cui nomen Wagenseilio, in epistola quadam, quæ Fragmento Petronii nuper reperto, in editione ejus Noribergensi, subjuncta est, sic habet: *Nam sine illa* (Hadriani Valesii dissertatione) *si fuissent, meæ profecto nugæ, ad amicum majore fiducia quam cura privatim scriptæ, nunquam prodiissent in publicum.* Adparet illos in mente habuisse phrasin *absque eo esset*; quodque perinde esse putarent, sive *absque eo esset*, sive *sine eo esset* dicerent, posteriore illo usos eos esse. Verum enim vero non sunt eadem, quæ pro iisdem illi habuerunt; neque promiscue ea sunt usurpanda. Quod ut rectius intelligatur, primum de ipsa illa phrasi, ad quam altera formata est, videamus. Duo Comici, Plautus, & Terentius, ut multa alia singularia, ita & hoc habent, ut per ellipsin quandam dicant *absque illo esset* pro *si absque illo esset.* Exempli grati Plautus Menæch. V. 7. scribit: *Absque te esset, hodie nunquam ad solem occasum viverem.* Et Pers. V. 2. *Nam hercle absque me foret & meo præsidio, hic faceret te prostibilum propediem.* Item Capt. III. 5. *Quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam, usque effrenatum suis me ductarent dolis.* Ut *Quod absque hoc esset*, dictum videtur pro *Quod si absque hoc esset.* Rursus Bacchid. III. 3. *Absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum: Nunc propter te tuamque pravus factus est.* Et denique Trin. IV. 1. *Absque foret te, sat scio in alto distraxissent, disque tulissent satellites tui me miserum fœde.* Item V. 2. *Exædificasset me ex his ædibus, absque te foret.* Deinde & Terentius eadem formula usus est. Ut Phorm. I. 4. *Absque te esset, recte ego mihi vidissem.* Et Hec. IV. 2. *Quam fortunatus ceteris sum rebus, absque una hac foret.* Hæc fere loca illa sunt, quibus formula ista Plautus

&

& Terentius sunt usi; in aliorum autem scriptis eadem perinde observata non est. Cui rei vel hoc argumento est, quod Lexicographi, cum exempla ejus formulæ sunt producenda, non nisi ex Plauto & Terentio ea proferre habent. Ceterum quia Comici, Plautus ac Terentius, quoties usi tali formula sunt, non vocem *sine*, sed vocem *absque* usurparunt: hodie item, si formula ea uti libeat, non *sine eo esset*, sed *absque eo esset*, dicendum existimarim. Quod ipsum porro & ex eo confirmatur, quod vox *sine* nec valere potest illud, quod in formula illa vox *absque* valet. Tursellinus quidem in libello de particulis Latinæ linguæ scribit, *absque pro sine apud Comicos usitatum esse; apud Oratores non item*; atque ita ad loca Plauti & Terentii, quæ paulo ante produximus, alludit: verum si penitius rem inspexerimus, apparebit, *absque* in ea formula non plane idem esse quod *sine*; sed aliam quandam ejus vim esse. Primum reputandum illud est, quod, cum vocula *sine* Plautus & Terentius toties utantur, vox *absque* apud eosdem raro apparet, nec nisi in ipsa illa formula *absque eo esset*. Sane si *absque* pro *sine* usurpare voluissent, & huic illam æquipollentem esse credidissent, non in sola illa quam dixi formula vocem *absque* usurpassent, sed in aliis quoque, dixissentque exempli gratia *absque invidia laudem invenire*, *non absque tuo magno malo*, *absque omni periclo*, uti dixerunt, *sine invidia laudem invenire*, *non sine tuo magno malo*, *sine omni periclo*. Quod autem duo ista vocabula non ita promiscue, sed alterum eorum tantum in formula, quam dixi, usurparunt: intelligitur vel hinc, aliam quandam vim unius, quam alterius esse, Donatus ad locum Terentii, quem ex hujus Hecyra produximus, vocem *absque* exponit voce *extra*, addique, *absque* magis adverbium quam præpositionem

sitionem esse. Quibus verbis mirum quid sibi velit. Sane adverbium esse vox non potest; sed est præpositio, certum casum, & quidem sextum, adsciscens, ut ex alteris illis Plauti ac Terentii locis intelligitur. Valet autem *absque* in his locis idem quod præter; notatque exceptionem; ut *absque eo esset* idem sit, quod *præter illud esset*, id est, si illud excipias, illo excepto. Quod quidem & in Lexico Fabri, locupletato hoc a Buchnero, notatum video. Etsi enim scriptum ibi *absque idem esse quod sine, auctore Prisciano*, mox tamen, cum prædictus ille locus ex Hecyra Terentii citatus esset, ipsa illa verba Terentii *absque una hac foret*, explicantur hisce aliis, *Extra unam hanc rem si esset*; atque ita aliquam istis verbis exceptionem expressam esse agnoscitur. Neque insolens ea vocabuli significatio est apud posterioris ævi Scriptores. Symmachus lib. II. ep. 36. *Absque paucis qui me secuti sunt*, pro *præter paucos*. Solinus Polyhist. c. 46. *postera parte purpureus absque cauda*, i. e. excepta cauda. Loquitur autem de phœnice ave. Hieronymus Commentario in cap. I. Jonæ: *Unde & in persecutionibus non licet mihi propria perire manu, absque eo ubi castitas periclitatur*, Ubi *absque eo* est pro *nisi, excepto, præterquam*. Sic & in versione antiqua sacræ Scripturæ *absque* sæpissime exceptivum est, & pro *præter* usurpatum reperitur. Exempli causa Cant. IV. 1. *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet*. Sic & ejusdem capitis versiculo tertio. Rursus cap. VI. v. 6. *Sicut cortex mali Punici, sic genæ tuæ absque oculis tuis*. Versio Græca, unde Latina ista expressa videntur, utrobique habet, ἐκτὸς τῆ σιοπήσεώς σου: ubi manifeste vox exceptiva ἐκτὸς apparet. In versione quoque Esaiæ multa ejus vocabuli significationis exempla sunt. Ut cap. XLIII. *Non est absque me Salvator.*

tor. Et cap. XLV. *Absque me non est Deus.* Ad formulam illam superiorem *absque eo esset*, ut redeamus, in ea *absque* non idem esse quod *sine*, neque *sine* pro *absque* substitui posse, Caspar Scioppius in Animadversionibus in librum Vossii de vitiis Latini sermonis, etiam aliter probat. *Si enim*, inquit, absque te fuisset, jam non viverem, idem significat *ac* si res hæc fuisset sine te, jam non viverem: *cum* Tecum & sine te *sint contraria*, *posset eadem sententia dici*, Si tecum non fuisset, jam non viverem. *Quod quam insulse dicatur, nemini, cui pectus sapiat, obscurum esse potest.* Hæc Scioppius. Ergone, dices, nusquam *absque* idem est, quod *sine*? Sane Scioppius in prædictis illis Animadversionibus suis scribit, *eos falli, qui Priscianо credunt, absque idem significare quod sine.* Ego tamen adeo rigidus esse nolim, ut *absque* idem esse quod *sine*, ἀποτόμως negem; sed tempora distinguenda esse reor. Ævo Ciceronis *absque* pro *sine* usurpatum vix invenias. Imo dubium est, an eo ævo vox *absque* omnino usurpata fuerit. Certe in scriptis Ciceronis, Corn. Nepotis, Virgilii & Horatii, quæ extant, non reperitur: ut vel ex Indicibus, qui in Auctores illos confecti sunt, sciri potest. At Priscіani ævo lingua varias jam μεταπτώσεις experta erat, & inter alias hanc quoque, ut *absque* passim pro *sine* poneretur. Symmachus in epistolis scribit: *Proprinquam Asclepiadis absque literis meis abire fas non fuit.* Cicero, ut notum est, scribit, *sine literis alicujus abire.* Pari modo apud Sulpicium Severum, aliosque ejus ævi scriptores voces *absque* & *sine* prorsus promiscue usurpantur. In versione quoque sacrarum literarum, quam vulgatam dicunt, frequentissima illa est; ut vel indicem in eam inspicienti liquere potest. Sunt in ea versione phrases *absque liberis esse*, *absque liberis mori*, *anniculus absque macula*, *absque ullo pavore*, *oves absque*

que pastore, & id genus infinitæ aliæ. Ex paulo antiquioribus tamen Lucanum quoque usum observo in lib. VI. quod scribit, *Absque cruore Terga datis morti.*

Sed de phrasi *absque eo esset*, qua veteres Comici, Plautus & Terentius, non semel usi sunt, quid habendum? Eane passim, & in oratione soluta, uti licet? Sane animadverto plurimos non parum ea delectari, atque ut singularem elegantiam affectare eam. Veruntamen, quia solos Comicos usos ea esse; qui autem soluta oratione scripserunt, aliam pro ea formulam usurpasse video, his item qui hodie oratione soluta scribunt, minus consectandam eam esse putem. Sane Scriptores veteres, qui oratione soluta scripserunt, non *absque eo esset*, scripserunt; sed aliter, & quidem his modis, *Si ille non esset, Si illud non esset, Nisi ille esset, Nisi illud esset.* Corn. Nepos IX. 2. *Si ille non fuisset, Agesilaum Asiam Tauro tenus regi fuisse erepturum.* Et *XVII. 6. Nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse.* Cicero Philipp. IV. *Quod autem erat præsidium salutis libertatisque vestræ; si C. Cæsaris, fortissimorumque sui patris militum, exercitus non fuisset.* Cœlius in epistola, quæ decima septima est libri VIII. epistolarum Ciceronis: *Quod si timor vestræ crudelitatis non esset, ejecti jampridem hinc essemus.* Justinus lib. XX. c. 4. *Crotonienses mutassent vitam luxuria, nisi Pythagoras Philosophus fuisset.* Livius lib. II. *Pons sublicius iter pene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles.* Et lib. XL. *Cur spem meam, quæ, si tu non esses, certa erat, dubiam & solicitam facis?* Sed & Ovidius poëta lib. III. de Ponto, eleg. 2. scripsit, *Si tu non esses, interitura domus.* Si Comicos illi sequi voluissent, potuissent scribere, *absque illo fuisset, absque uno viro fuisset;* Quia vero talis scribendi ratio apud illos, quod quidem nos sciamus, observatur, sed potius

vox

vox *absque* in scriptis Ciceronis, hujusque æqualium omnino non apparet: satis intelligitur quid de eo, quod dictionem Comicorum nonnulli adeo affectant, sit habendum. Ceterum quod non cum Nepote & aliis dicere malunt, *Si ille non fuisset*, *Nisi ille fuisset*, id fortasse metu quodam ita evenit, quod timeant, ne, si ita loquantur, aliquid a Latina quidem alienum, vernaculæ autem Germanicæ linguæ nimis affine proferant, atque ita in Germanismum quendam incurrant. Quapropter & in altero de Latinitate libello nostro monendos nostros putavimus, ne locutionem illam, *Nisi ille fuisset*, suspectam habeant atque declinent; sed cum Cicerone, Nepote, & ejus ævi aliis secure ea utantur. Videsis caput sextum libelli istius.

Porro & de phrasibus *sine omni dubio*, *sine omni necessitate*, *sine omni exceptione*, *sine omni justa causa*, & id genus aliis, videamus. Sane & his hodie plurimi utuntur, proque *sine* subinde *absque* posito, dicunt etiam, *absque omni dubio*, *absque omni causa*. Jam illud *sine omni* non quidem prorsus ego rejicio, (scio enim Comicos rursus, Plautum & Terentium, ita loqui) sed moneo tamen, Ciceronem, & hujus æquales, dicere potius *sine ullo*, *sine ulla*. Cicero Orat. pro Mur. *Sæpe etiam sine ulla aperta causa fit aliud atque existimamus*. Et lib. I. de invent. *Credibile est, quod sine ullo teste auditoris opinione firmatur*. Et ep. 12. libri V. *Casus alienos sine ullo dolore intuentibus*. Et ep. 4. libri VI. *Cum id sine ullo sensu futurum sit*. Item in Bruto: *Qui summos honores sine ulla commendatione majorum est adeptus*. Et ibid. *Sine ulla dubitatione*. Rursus ep. 15. libri XV. *Sine ulla molestia dignitatem meam retinuissem*. Et Orat. I. in Anton. *Re & veritate nobis milites sine ulla recusatione, summo etiam studio, nomina dant*.

Nec

Nec unquam, credo, idem Cicero aliter scribit. Deinde & ceteri ejus ætatis scriptores eodem modo. Virgilius libr. I. Georg. *Et sæpe sine ullis conjugiis vento gravidæ.* Ovidius lib. II. el. XI. de P. *Ergo quod fuerat stimulis factura sine ullis.* Livius lib. III. *Sine ulla injuria.* Justinus, qui antiquiorem se Trogum Pompejum in compendium redegit, &, ut credere licet, verba ejus ut plurimum retinuit, libr. XII. c. 15. *Ipse non sine lacrymis tantum, verum etiam sine ullo tristioris mentis argumento fuit.* Nepos Hannib. *Sine ullo detrimento.* Et Timol. *Sine ullo morbo lumina oculorum amisit.* Et Agesilao, *Sine ullo tecto in acta accubuit.* Pari modo idem, *Sine ulla stipulatione, sine ulla pompa funeris, sine ullis doloribus, sine ulla religione & fide, sine ullo præsidio, sine ulla publica impensa.* Vide Indicem in Nep. a nobis locupletatum. Ex his igitur apparet, quam solenne Scriptoribus ævi Ciceroniani sit, ita ut dixi scribere, & nunquam fere eos aliter scripsisse. Quæ etiam causa esse videtur, quod vetus Interpres, cum in cap. VII. ep. ad Hebræos inveniret χωρὶς πάσης ἀντιλογίας, non, ut locutio Græca suadebat, vertit *sine omni contradictione* sed superioribus illis ævi Ciceroniani convenienter, *sine ulla contradictione.* Sic & Act. XXV, 16. *Sine ulla dilatione.* Et Hebr. X, 28. *Sine ulla miseratione.* Etiam cum *absque* pro *sine* usurpat, vocem, *ullo* vel *ulla* ei jungit, dicitque *absque ulla penuria, absque ullo timore, absque ulla indignitate, absque ulla dubitatione, absque ullo numero, absque ulla cunctatione, absque ullo errore, absque ullis opibus, absque ulla requie, absque ullo peccato, absque ullo termino, absque ulla consolatione.* Quas locutiones singulas beneficio Indicis, qui volet, reperire poterit. Semel tantum dicit *absque omni*, ut Jer. XXII, 28. *Vos absque omni voluptate.* Franciscus

Sylvius

Sylvius in capite LXIV. Centuriæ tertiæ Progymnasmatum & ipse de vocula *sine* observationem quandam habet, eamque his verbis proponit: *Sine ulla ornatioris eloquii virorum controversia hoc fere usurpatum est, ut post particulam* sine, ullum *aut* quicquam, *non* aliquid *poni solitum sit.* Subjicit deinde varia cum aliorum, tum quoque Tullii verba, in quibus apparent hæc: *Sine ullo judicii negotio, sine ulla pactione, sine ulla exceptione, sine ulla dubitatione, sine ullo interpellatore, sine ulla particula justitiæ, sine ulla mora, sine cujusquam suspicione, sine cujusquam similitudine, sine ulla hilaritate, sine ullo dolore.* Vult ergo & ille observari, quod post *sine* ponatur *ullo* vel *cujusquam.* Veruntamen non de voce *omni*, sed voce *aliquo* idem ille hic vitanda monet. Cum igitur tot Scriptores ævi Ciceroniani, tam qui ligata, quam qui soluta oratione scripserunt, & quidem adeo constanter, non *sine omni*, sed *sine ullo*, scripsisse videam, rursus ego cum his *sine ullo*, quam cum Comicis *sine omni* scribere malim. Loca Comicorum si quis requirat, ut, si & ipse ita scripserit, Latinitatem suam aliqua ratione excusare possit: demonstrabo sane & illa. Unus est Pœnuli Act. I. sc. 2. *Quasi falsa muriatica esse autumantur sine omni lepore & suavitate.* Alius Truculenti Act. II. sc. 7. *Hoc in mare abit, miserque perit sine omni bona gratia.* Alius rursus Andriæ Act. II. sc. 3. *Quæ nunc sunt certa et consilia, incerta ut sient sine omni periclo.* Ceterum Germani mei, quod sæpius *sine omni*, quam *sine ullo* scribunt, non tam quod Comicos imitari velint, quam quod lingua ipsos vernacula invitet aut inducat, facere videntur, Germani enim subinde dicimus *ohn allen:* ut *ohn allen zweiffel, ohn allen argwohn, ohn alle ursach.*

CAPUT X.

Non esse dicendum tollere oculos, suos extendere manus suas, inducere animum suum; *sed pronomen in talibus omittendum esse.*

PUtant multi perinde esse, sive dicas *tollere oculos ad cœlum*, sive dicas *tollere oculos suos ad cœlum*; itemque sive dicas *inducere animum*, sive dicas *inducere animum suum*. Et memini sane alicubi legere, *Sustulit oculos suos ad cœlum*. Deinde Georgius Crauserus, is qui Scintillas Ciceronianas scripsit, sane minus Ciceroniane scripsit, quod in præfatione libelli sui scribit sic: *Integram ejusmodi formularum Ciceronianarum chiliada foras dare animum meum induxi*. Sciendum igitur, priorem tantum loquendi modum, in oratione soluta quidem, a Latinis usurpatum fuisse. Tanti nimirum interest, ipsa quoque pronomina possessiva, ubi adjiciantur, aut non adjiciantur, observasse. Qui tollit oculos, is non alterius, sed suos oculos tollit, nec tamen dicunt Latini *tollere oculos suos*; sed modo dicunt, *tollere oculos*. Plinius lib. III. ep. 27. *Ille non tollere oculos, non remittere stylum, sed obstirmare animum*. Pari modo dicunt *extendere manus*; non, *extendere manus suas*. Curtius lib. IV. *Credite nunc omnes extendere ad vos manus, implorare patrios Deos, operam vestram, misericordiam, fidem exposcere*. Nec aliter dicunt *tenere linguam*; non *tenere linguam suam*. Ovidius lib. II. Trist.

Non fuit opprobrium celebrasse Lycorida Gallo:
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

Et lib. II. Fastorum:

--- Sæpe illi dixerat Almo,
Nata, tene linguam, nec tamen illa tenet.

Porro *inducere animum* & *inducere in animum* toties

scriptum

scriptum est a Tullio, nec unquam pronomen ab eodem adjectum reperitur. Ut lib. ep. ad Att. ep. 4. *Animum inducere non potui ut viderem.* Et Or. pro S. R. *Qui potuit animum inducere, ut filium exheredaret.* Et lib. XIV. ep. ad Att. ep. 12. *Antonius induxit animum sibi licere quod vellet.* Et I. de Div. *Tu igitur animum poteris inducere contra ea dicere.* Et lib. II. *Tu igitur animum inducis causam hanc defendere?* Et V. Tusc. *Inducant animum divitias contemnere.* Et Or. pro Syll. *Induxi in animum defendere aliquem.* Et I. c. Cat. *Si ire in exilium animum induxeris.* Et Or. pro Cluent. *Neque enim legare ejusmodi matri poterat in animum inducere.* Et denique lib. VII. ep. 3. ad Att. *Id quod animum induxerat pauliſper non tenuit.* Singula ista in Apparatu Latinæ locutionis Marii Nizolii, locupletato illo ab Alexandro Scoto, notata sunt. Cum igitur tot locis Tullius scripserit *animum inducere* vel *in animum inducere:* quis eundem Tullium unquam aliter scripsisse credat? Sed dicat quispiam, Terentium tamen non tantum *Induxi animum* & *Induxi in animum*, sed & *Animum induxi meum* dixisse. Sciendum igitur quid unaquæque lingua ferat, quisque uniuscujusque linguæ sit genius, id non ex oratione ligata, sed soluta æstimandum esse: cumque Terentius non soluta, sed ligata oratione scripserit, ad eum provocari hic adeo non posse. In versibus multa poni, quæ in oratione soluta non ponantur, nemo nescit. Ut ergo credam, in oratione soluta quoque Latinos non tantum *inducere animum* & *inducere in animum*, sed & *inducere animum suum* & *inducere in animum suum* dixisse, ex Cicerone, Cæsare, Livio, & id genus aliis exempla proferenda erunt. Illud notatu dignum, quod ætate adhuc Augustini a genio Latinæ linguæ adeo alienum habitum

bitum id fuit, ut, cum Augustinus in versione sacrarum literarum legisset, *Extendit manum suam*, insolens id ei visum fuerit, eamque ob causam in lib. I. Locutionum ita scripserit: *Locutio* (Extendit manum suam) *quam propterea Hebræam puto, quia & Punicæ linguæ familiarissima est, in qua multa inveniuntur Hebræis verbis consonantia. Nam utique sufficeret, Et extendit manum, etsi non adderetur suam.* Ait hic sufficere, si dicatur *Extendit manum*, nec adjiciatur pronomen *suam*: quod autem in versione sacrarum literarum pronomen adjectum est, locutionem putare se Hebræam esse; quia & Punicæ linguæ, in qua multa Hebræis verbis consonantia inveniantur, familiarissima sit. Et est sane ita, ut Augustinus suspicatus est, locutionem *Extendit manum suam* Hebræam esse; non quidem quod verbis Hebræis concepta sit, sed quod secundum locutionem Hebræam sit formata. Hebræi in talibus semper adjiciunt pronomen, dicuntque נשא עיניו *tollere oculos suos*, שלח ידו *mittere* vel *extendere manum suam*, נשא רגליו *tollere pedes suos*, פתח פיו *aperire os suum*, נשא קולו *tollere vocem suam*. Exemplum Genes. XXXI, 4. *Et sustulit Abraham* עיניו *oculos suos*. Et cap. XXIX, 1. *Et sustulit Jacob* רגליו את *pedes suos*. Item Jud. XV, 15. וישלח ידו *& extendit manum suam*. Plura id genus qui desiderat, inveniet in c. XXXVII. nostri de Hebraismis novi Testamenti Commentarii. Ibidem & videre licebit, quomodo scriptores N. T. dum Græce scripserunt, Hebræos sint imitati, scripserintque similiter ἐπᾶραι τὰς ὀφθαλμὰς αὐτῶ *tollere oculos suos*, ἐπᾶραι τὴν φωνὴν αὐτῶ *tollere vocem suam*, ἀνοίγειν τὸ στόμα αὐτῶ *aperire os suum*, ἐκτεῖναι τὴν χεῖρα αὐτῶ *extendere manum suam*; cum alii Scriptores Græci, perinde ut Latini, pronomen in talibus omittant, dicantque ἐκτεῖναι χεῖρα, ἐπᾶραι ὀφθαλ-

ὀφθαλμὸς, ἐπᾶραι φωνήν. Qua eadem de re & in cap. XXVII. & quidem pag. 131. partis libri posterioris, itemque in cap. VIII. libri de Latinitate falso suspecta, pag. 66. actum videbis.

CAPUT XI.

Phrases pro tempore *&* cum tempore *satis quidem Latinas esse; sed interdum tamen non recte eas usurpari.*

SAtis Latinum est *pro tempore*. Ita enim auctores quique optimi. Ut Virgilius:

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.

Salustius Bello Catil. *Pro tempore atque periculo exercitum comparare.* Et Bell. Jug. *Pro tempore & loco paratis rebus cuncta mœnia exercitu circumvenit.* Justinus lib. XI. c. 1. *Pro concione ita vulgus omne consolatus hortatusque pro tempore est.* Tacitus lib. XI. Annal. *Pro tempore rebus turbidis consulere.* Est autem *pro tempore* idem, quod *pro conditione temporis*, ut Suetonius in Cæsare, & *pro ratione temporis*, ut Cicero lib. VI. ep. 13. ad fam. loquitur, nisi quod pro voce sing. numeri habent vocem plur. num. *temporum.* Et perperam fit, quod phrasin *pro tempore* vulgo pro adverbio temporis præsentis *nunc* vel *jam* usurpant, dicuntque *pro tempore Rector*, *pro tempore Decanus.* Qua de re Matthias quoque Berneggerus in Notis ad cap. II. lib. XI. Justini monuit. *Longe alio sensu*, inquit, (phrasin eam usurparunt Salustius, Justinus, Tacitus) *quam hodie doctos etiam hac uti phrasi videas.* Si cum antiquis loqui putari velint ii, qui dicunt *pro tempore Rector*, *pro tempore Decanus:* intelligendum erit, majore ipsos honore dignos esse; ceterum pro conditione tem-

poris suscepisse interim hunc honorem: vel, tales ipsos esse, ad quos, ut Mamertinus in Panegyrico loquitur, penuria meliorum delatus honor sit. Quorum utrumque si deprecentur, ipso quoque modo loquendi abstinaent, nec deinceps eo sic, ut solent, utantur.

Sed quid de phrasi *cum tempore* est habendum? Possitne illa quoque recte aliquando usurpari? Crediderim ego non male dici, si dicatur, *Cum tempore perire omnia*, eoque significetur, uti ipsum tempus perit, ita & cetera omnia perire: ut adeo quidam hic comitatus denotetur. Verum si *cum tempore* dicas pro *procedente tempore*, perperam omnino id fieri videtur. Augustus Thuanus in Præfatione Historiæ suæ scripserat, *Remittentibus cum tempore odiis:* eoque nomine a Scioppio in judicio de stylo historico notatus est. Pari modo Gerh. Titius in Responso priore, pag. 118. *Poteris cum tempore homonymo tuo C. V. associari.* Videntur autem nostræ ætatis homines, ut ita loquantur, lingua adduci vernacula; & quidem Germani mei, quod lingua vernacula dicunt *mit der zeit:* Galli autem, quod lingua vernacula dicunt *avec temps:* & consimili de causa aliæ nationes. Illud *procedente tempore*, quod pro *cum tempore* usurpandum significavimus, invenias apud Plinios. Unus quidem lib. XI. Hist. nat. c. 16. scribit, *Tempore procedente instillant cibos:* alter vero in ep. XX. libri III. *Vereor, ne procedente tempore ex ipso remedio vitia nascantur.* Sic & Valerius Max. lib. V. c. 6. ex. 4. *Resp. procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit.* Dici quoque possit *procedente die.* Sane Cicero III. Tusc. scribit: *Quod ita esse dies declarat: quæ procedens ita mitigat, ut iisdem malis manentibus non modo leniatur ægritudo, sed in plerisque tollatur.* Caspar

Scioppi-

Scioppius varia quoque alia ostendit, quæ pro male usurpato illo *cum tempore*, usurpari possint. Citat quidem, quod alicubi Cicero habet, *Laurea amittit longo tempore viriditatem*; & alibi, *Quo plus cuique ætatis accessit, eo fit tardior*; & rursus alibi, *Oportunitas non fit major productione temporis*; & denique *Quæ tu scelera partim parari, etiam cogitari, partim ex tempore futura censes*. Citat item & huc accommodat, quod Plautus in Trinummo habet, *Amicum castigare ob commeritam noxiam immane sive injucundum est facinus: verum in ætate utile ac conducibile*. hic enim *in ætate* idem esse quod *ætatis* seu *temporis progressu*. Denique & illud Livii citat ex libro ejus XLII. *Si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem tempusque afferre posse, quibus amissa recuperare posset*. hoc enim ita dici pro eo, quod vulgo dicerent, *eum quæ amisit cum tempore recuperare posse*. Videsis Judicium Scioppii de stylo hist. pag. 134. Addi autem his quæ Scioppius congessit potest, quod Seneca de Tranq. an. c. 1. scribit, *Omnium virtutum tenera esse principia, tempore ipso duramentum, & robur accedere*. Item quod Sulpicius Sev. lib. I. Hist. S. scribit, *Spatio temporis accisus crinis crescere*. Sed & Ovidius lib IV. Trist. Eleg. 6. habet, quæ egregie huc pertinent:

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri.
Præbet & incurvo colla premenda jugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.

In quibus duobus distichis, itemque in duobus hos sequentibus, unica voce *tempore* exprimitur, quod vulgo dicunt *cum tempore*. In aliis autem itidem sequentibus poëta casu recto utitur, dicitque:

Tempus ut extentis tumeat facit uva racemis.
Tempus & in canas semen producit aristas.

Sed quid habendum de eo, quod in epist. XIII. libri III. Symmachi scriptum observo, *Crescunt vitia cum tempore?* Et annon prædicta illa Thuanea ac Titiana, saltem Symmachianis istis gemina videri possunt? Nego posse. In ipsis quoque Symmachianis illis vocula *cum* comitatum notat: & sensus est, uti tempus crescit atque longius fit, ita & vitia crescere; & una cum tempore illud fieri. Apparet hoc ex iis, quæ in epistola Symmachi sequuntur: *Ingratus*, id est, invitus & nolens, *mihi attrahendus es, priusquam justiorem veniam faciat longior dies.* Video mentionem hic fieri *longioris diei*, id est, temporis. Dies dum longior fit, crescit quasi ac major fit, & una cum die crescere ac majora fieri vitia vult Symmachus. Illud *cum tempore* invenio & apud Senecam: sed rursus non sic, ut Thuanus & Titius usurpabant, sed aliter; & quidem ita, ut comitatum significet, usurpatum. Verba Senecæ in ep. LIIX. sunt hæc: *Quicquid vides, currit cum tempore.* Vult sane ille, una cum tempore cuncta cetera perire. Quod apparet ex his, quæ antecedunt: *Corpora nostra rapiuntur fluminum more.* Item ex his, quæ proxime sequuntur: *Nihil ex his, quæ videmus, manet. Ego ipse dum loquor, mutari ista, mutatus sum.* Quod ait, nihil ex his, quæ videmus, manere, vult utique omnia interire; & una quidem cum tempore: ut adeo hic quoque aliquis temporis quasi comitatus sit intelligendus.

CAPUT XII.

De phrasibus in oculis alicujus esse talem, in oculis alicujus apparere talem; *itemque de phrasi*, Absconditum est ab oculis alicujus, *quid sentiendum.*

QUoniam Christiani sacras literas versamus, in earum-

earumque versionibus plurimi apparent Hebraismi: fit ut Hebraismis nonnulli adeo assvescant, ut, cum lingua vernacula, aut vetere Latina utuntur, subinde orationi suæ Hebraismos immisceant. Ita dicunt *parvum esse in oculis suis*, pro *parvum videri sibi*. In Epitaphio quodam distichon legere memini istiusmodi:

Parvus sum, parvusque fui, parvusque manebo:
Inque meis oculis nil nisi parvus ero.

Et sententia quidem distichi admodum pia est, modestiamque ac submissum animum Viri, qui distichon illud fecit, satis arguit; verum Latinitas ejusdem probari per omnia non potest: siquidem *parvum esse in oculis suis* pro *parvum videri sibi*, non Latinorum, sed Hebræorum more dictum est. Simile fere est, quod Lipsius ep. LXI. Cent. I. scribit, *pulcriorem in oculis apparere justioremque*. Verba ejus sunt: *Per circumstantias quasdam augemus, polimus, & velut fucum & lenocinium circumponimus dolori. Scilicet ut pulcrior in oculis appareat justiorque.* In quibus verbis Casp. Scioppius in Judicio de stylo hist. duo notat, & quod phrasi *circumponere lenocinium dolori*, & quod phrasi *in oculis apparere*, usus est Lipsius. Et quidem de altera istarum phrasium Scioppius ita: *Haud scio, an alium quam sacrarum literarum Interpretem auctorem habeat.* Quibus quod non nisi ab Interprete sacrarum literarum phrasin usurpatam significat, etiam hoc velle videtur, ipsum Interpretem, quod phrasi ea usus est, non Latinos, sed Hebræos secutum esse. Et habet sane Interpres phrasin eam Es. LIX, 15. quod vertit, *Malum apparuit in oculis ejus*, (Domini) *quia non est judicium.* Ubi *malum apparuit in oculis D.* est pro *malum visum fuit Domino, displicuit Domino.* Sed multo frequentior in ejusdem Interpretis versione

est phrasis, *esse in oculis alicujus talem.* Ut Proverb. XII, 15. *Via stulti recta in oculis ejus* scil. est. Item Jerem. XXXIV, 15. *Fecit quod rectum est in oculis meis.* Est autem utraque phrasis formata ad Hebræam היות בעיני פלוני *esse in oculis alicujus:* de qua dedita opera in cap. XXXVI. Commentarii de Hebraismis N. T. egimus. Exemplum ejus est Prov. XXI, 2. כל־דרך איש ישר בעיניו *omnis via hominis recta* (scil. est) *in oculis ejus*, id est, *recta ei videtur.* Et hoc quidem loco Interpres non, ut alibi, Hebraismo usus vertit, *Omnis via viri recta est in oculis ejus;* sed declinato eo vertit, *Omnis via viri recta sibi videtur.* Verbum היורה quod Latino *esse* respondet, in talibus idem est, quod *existimari*, *videri.* Quæ significatio ipsius quoque verbi Latini *esse*, itemque Græci εἶναι, non raro esse solet. Ut in illo, quod poëta dicit, *Erit ille mihi semper Deus.* Item, *Et eris mihi magnus Apollo.* Et Cicero in Orat. pro Archia: *Sit sanctum apud vos hoc poëtæ nomen.* Ceterum inter Latinam & Hebræam phrasin illud est, quod Latini non, ut Hebræi, dicunt, *esse in oculis alicujus talem*, pro *existimari ab aliquo talem*, *videri alicui talem;* sed *esse alicui talem*, vel *esse apud aliquem talem.* Illud בעני *in oculis*, quod Hebræi hic usurpant, idem esse quod Græcum ἔμπροσθεν, & Latinum *coram*, prædicto loco Commentarii de Hebraismis N. T. docuimus.

Sed quid de eo sentiendum, si quis scribat, *absconditum est ab oculis alicujus* pro *ignotum*, *incognitum est alicui?* Ad hunc modum Gerh. Titius pag. 98. Responsi prioris scribit: *Sed quia magnos illos & ingeniosos viros contemnis*, *mysterium hoc ab oculis tuis hactenus fuit absconditum.* Nobis, ut superior, ita hic quoque loquendi modus ex idiomate Hebræo arcessitus videtur. Hebræi dicunt נעלם הדבר בעיני בלעני

absconditum

abscondita est res ab oculis alicujus, cum significare volunt, rem alicui incognitam esse. Vide Lev. IV, 15. Et locutionem eam imitati sunt Scriptores novi Testam. cum verba Domini sic verterunt, Νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου, *nunc autem absconditum est ab oculis tuis:* pertinetque hoc locutionis genus ad Hebraismos illos, quos peculiari volumine persecuti sumus. Quod autem Scriptores sacri in sermone Græco subinde Hebraismos usurparunt, id certo consilio ac dedita opera fecerunt; quomodo & Scriptores Latini subinde Græcismos usurparunt. Quocirca nec vitio verti, aut ignorantiæ tribui illis hoc potest, aut debet. Nam, ut Seneca ait, *non erubescit solœcismum Grammaticus, si sciens faciat, erubescit, si nesciens.*

CAPVT XIII.

Male putari, Sextum casum verbo passivo additum causam semper efficientem denotare.

PUtant quidem, si verbo passivo nomen sexti casus, intercedente præpositione *a* vel *ab*, subjiciatur, personam semper agentem significari. Quod quidem & in Lexico Fabri, locupletato illo a Buchnero, notatum video: *A & Ab præcedente verbo passivo personam agentem significant.* Deinde & Joh. Rhenius, cum regulam constituisset hujusmodi: *Verba passiva recipiunt Ablativum cum præpositione A vel AB*, subjicit deinde: *Ex* (&) *De materiam notat: A vel AB efficientem.* Istiusmodi regulis quia nulla exceptio additur, non aliud intelligi potest, quam exceptionem istas regulas nec admittere. Atque talibus deceptus, credo, Famianus Strada in Historia Belgica scripsit: *Nec parum ad eam victoriam*

apud

apud Monconturium a Catholicis relatam Mansfoldius contulit; incensus præsertim æmulatione Nassavii, cui mediam eo die Hugonotorum aciem ducenti ipse, qui contrarium agmen in medio quoque positum moderabatur objectus equitatum Nassavii repressit primum, mox & fugavit. Horum priora qui Latine doctus separatim legat, suspicetur, Catholicos quos vocant victos atque fugatos fuisse. At corpus orationis reliquum inspicienti facile apparet, non Catholicos, sed Hugonotos quos vocant victos tum fuisse; Catholicos vero victoriam reportasse. Hoc igitur cum Auctor sibi vellet, non scribendum ei fuit, *Ad victoriam a Catholicis relatam non parum contulit Mansfeldius*; sed, *Ad victoriam, quam Catholici reportarunt*, ab Hugonotis puta, *non parum contulit Mansfeldius*. Nec melius idem scripsit alibi, *Actiaca victoria a Cæsare Octaviano relata*, pro *Act. victoria, quam Cæsar Oct. reportavit. Victoria a Catholicis relata* aut *reportata* non est victoria, quam ipsi Catholici reportarunt; sed quam a Catholicis reportarunt alii. Quod ad phrasin *victoriam referre* attinet, citat sane illam Stephanus ex Livio: neque ego cum Scioppio eam rejecerim. Dictum autem fuerit *victoriam referre*, uti dicitur *laudem referre*; ut *referre* idem sit quod *ferre*, *accipere*. Et, si modo Livius dixit *referre victoriam* pro *reportare*, *adipisci*, *victoriam*, possit & casus sextus adjici, dicique *referre victoriam ab aliquo*; quomodo dicunt *reportare victoriam ab aliquo*, *adipisci victoriam ab aliquo*. Sane cum Nepos in Chabria dicat *adipisci victoriam*, Cæsar lib V. de B. Civ. ut Scioppius observavit, dicit *victoriam adipisci ab aliquo*. Ita dicunt *repulsam ferre*, & deinde cum addito, *repulsam ferre ab aliquo*. Vide Nepotem in Pausania. Sed quæ est causa, quod, si victoriam retulerint sive reportarint Catholici, non tamen potest dici, *victoriam a Catholicis relatam*

relatam seu *reportatam esse?* Si hi quidem laudent aliquem, illi vero culpent, annon recte is dicetur laudari ab his, culpari ab illis? Quidni ergo, si Catholici retulerint seu reportarint victoriam, dici quoque possit, victoriam a Catholicis relatam seu reportatam esse? Observare licet, si nomen sexti casus, intercedente præpositione A, verbo activo adjiciatur, idem nomen sexti casus intercedente eadem præpositione verbo passivo adjectum, non causam efficientem, sed idem illud, quod verbo activo additum denotat, denotare. Exempli gratia, quia Latini dicunt *pacem redimere ab aliquo*, si quis pacem redemerit, dici non potest, ab eodem illo, qui pacem redemit, pacem redemtam esse; sed dicendum est, pacem redemtam esse ab alio quodam. Si enim diceretur, ab eodem illo, qui pacem redemit, pacem redemtam esse, illud casus sexti nomen causam efficientem denotaret. Atqui apud bonos Auctores id non observatur, nomen sexti casus verbo passivo additum causam efficientem denotare, si idem nomen sexti casus verbo activo additum aliud notet. Justinus lib. XLIII. cap. ult. *Quam rem* (urbem Romanam a Gallis captam, incensamque) *domi nuntiatam publico funere Massilienses prosequuti sunt: aurumque & argentum publicum privatumque contulerunt ad explendum pondus Gallis, a quibus redemtam pacem cognoverant.* Ubi quod scriptum *Massilienses cognovisse pacem a Gallis redemtam*, ex eo intelligendum non est, Massilienses cognovisse, quod pacem Galli redemissent; sed vero cognovisse eos, quod pacem redemissent Romani, & a Gallis quidem. Atque ita apparet, nomen sexti casus intercedente præpositione A, verbo passivo *redemtam esse* additum, non causam efficientem denotare; sed denotare idem illud, quod verba activo *redimere* additum

additum significat. Quomodo, inquam, τὸ *a Gallis* intelligendum est, si dicas, *Romani pacem redemerunt a Gallis:* Ita quoque intelligendum est, cum dicitur, *Pax redemta est a Gallis.* Sic & quod Plautus dicit in Trinummo, *Censebit aurum a patre allatum*, non est sensus, aurum attulisse patrem, ut casus sextus verbo passivo additus causam efficientem denotet; sed sensus est, aurum a patre attulisse alium quendam. Unde ibidem & sequitur, *Aurum a patre fert, dotem filiæ.* Varia id genus Scioppius in libello, quo Latinitatem Stradæ examinat, recenset. Ut quod Cicero alicubi scribit, *A me diligentia expectatur;* & sensus est, non quod Cicero diligentiam expectet, sed quod diligentiam ejus expectent alii. Item quod Cæsar dicit, *Pecuniæ a municipiis exiguntur;* & sensus est, non quod pecunias exigant municipia, sed quod a municipiis exigant eas alii. Rursus quod Salustius dicit, *Quid aliud ab Annibale defensum est quam libertas?* & sensus est, non, Annibalem defendisse libertatem; sed populum Rom. defendisse eam ab Annibale. Et quod Valerius Max. dicit, *A Scipione in curia ratio poscebatur*; & sensus est, non, Scipionem rationem poposcisse, sed a Scipione poposcisse eam tribunos plebis. Apparet illud, quod dixi; videlicet quibus verbis activis casus sextus adjicitur, iisdem & passivis, & eadem quoque notione, eundem casum adjici, id est, ut non causam efficientem, sed terminum, a quo aliquid arcessitur, significet. Ita dicitur *Redimere pacem a Gallis, afferre aurum a patre, expectare diligentiam a Cicerone, defendere libertatem ab Annibale, poscere rationem a Scipione, exigere pecuniam a municipiis, ferre repulsam ab aliquo, impetrare aliquid ab aliquo, emere frumentum ab aliquo, petere salutem; petere pacem ab aliquo; redimere captivos ab aliquo, accipere cladem ab aliquo, repetere res suas ab aliquo:* &

deinde

deinde per verbum passivum, *pax redemta est a Gallis*, *aurum allatum est a patre*, *diligentia expectatur a Cicerone*, *ratio poscitur a Scipione*, *libertas defenditur ab Annibale*, & ita porro. In quibus singulis præpositione A nomini addita, non causa efficiens, sed aliquis quasi terminus, a quo aliquid arcessitur, denotatur. Ac pari ratione quod dicebat Strada *victoria a Catholicis relata*, in eo vocula A, si quidem locutio Latina censeri debeat, non causam efficientem denotare neque sensus esse potest, quod victoriam Catholici reportarint; sed quod Catholici quidem victi sint, victoriam autem reportarint alii. Sed quærat quispiam, annon verbis istiusmodi & alius sextus casus, & quidem qui personam agentem denotet, addi possit. Qui victoriam reportat, is sane persona agens est. Jam qui agit aliquid, ab eodem aliquid & agi merito dicitur: estque planissime æquipollentia inter hæc, *Simo verberat Davum*, *& Davus verberatur a Simone*. Annon ergo, si quis victoriam reportet, ab eodem victoria & reportari dici potest? Diserte hujusmodi quippiam exprimi usus non fert: sed subaudiri tamen posse inficias non iverim. Cum pacem Romani redemerunt a Gallis, tum pax a Gallis & redemta fuit. Sed cum pacem redemtam dico a Gallis, nondum exprimitur causa efficiens, quæ pacem a Gallis redemerit, quemadmodum aliis verbis passivis causa efficiens subjici solet, & dici exempli gratia, *Laudatur ab his*, *culpatur ab illis*. Si igitur causa efficiens præterea exprimenda in talibus esset, dicendum sic foret, *Pax redemta est a Gallis*, *a Romanis*. Ita τὸ *a Gallis*, terminum, ut dixi, a quo res arcessitur; τὸ *a Romanis* autem causam efficientem denotaret. Verum, ut dixi, usus hoc non fert, ut duo istiusmodi sexti casus, quorum unus terminum, a quo res arcessitur, alter causam effici-

efficientem denotet, verbis passivis simul adjiciantur; sed adjicitur tantum casus sextus, qui terminum, a quo res arcessitur, denotat: alter vero, qui causam efficientem denotat, non diserte exprimitur, sed quasi subaudiendus relinquitur. Ut regula hinc exurgat fere hujusmodi; casum illum sextum, qui verbis passivis, quæ dixi, ab auctoribus adjectus reperitur, non causam efficientem, sed terminum, a quo res arcessitur, denotare: Si quis vero alitet scribat, & verbis passivis, quæ dixi, casum sextum, qui non terminum, a quo res arcessitur, sed causam efficientem denotet, subjiciat, eum non satis Latine scribere censendum esse. Exempli gratia, quia dicitur *emere frumentum ab aliquo*, si fratrem tuum frumentum emisse significare velis, ineptus feceris, si id ita exprimas, *Frumentum a fratre meo emtum est.* Ita enim non fratrem tuum, sed quendam alium, & quidem a fratre tuo, frumentum emisse intelligendum erit. Pari modo quia dicitur *defendere urbem ab hostibus*, si Venetos urbem a Turcis defendisse significare velis, non dicendum erit, *urbem defensam esse a Venetis*; sed vero, *urbem defensam esse a Turcis.* Ad postremum subjicio pro altero illo casu sexto, qui causam efficientem significet, reperisse me casum tertium alicubi positum. Nimirum Cicero lib. XII. ep. 28. inter cetera sic habet: *Quod societatem reip. conservandæ tibi mecum a patre acceptam renovas, gratum est.* Ubi *tibi* manifeste est pro *a te*, quomodo subinde & alias.

CAPUT XIV.

De nominibus substantivis discursus, terminus, ditio, *& quibusdam aliis, quæ subinde non justo significatu usurpantur.*

MUlta sunt nomina substantiva, quæ subinde alio, quam

quam apud veteres, significatu hodie usurpantur. Estque inter ea primum vox *discursus:* quæ quidem ipsum actum hinc inde currendi denotat. Cæsar lib. VIII. de B. Gall. *Multo clamore discursuque passim se fugæ mandant.* Ovidius II. Fast. *Vallem latis discursibus implent.* Sed hodie a plurimis pro sermone & dissertatione usurpatur. Joh. Scharffius & alii vocem eam in definitione syllogismi ponunt, & hunc ita definiunt: *Syllogismus est discursus, in quo positis & legitime dispositis propositionibus colligitur alia tertia, quæ vocatur conclusio.* Aristoteles in definitione syllogismi vocem λόγος usurparat: quam plerique eorum, qui Latine philosophati sunt, non male Latina voce *oratio* expressérunt. Hæc enim Latinis idem, quod Græcis λόγος significat. Verum alii, nescio qua de causa, vocabulum hic alterum usurpare malunt. Sed & alii passim *discursum* pro sermone seu oratione usurpant. Gerh. Titius pag. 222. Responsi prioris: *Ut autem ipse intelligas, recensebo breviter nervos tui per ambages deducti discursus.* Verum enimvero ejus vocabuli *discursus* significationis exempla in scriptis antiquiorum non observantur. Tantum Amm. Marcellinus libr. XVII. *pauca discurram* dixit pro *pauca disseram:* & lib. XXX. *actus discurrere per epilogos breves.* Ad quæ Ammiani Vir clariss. Frid. Lindenbrogius adjecit, quod in præfatione Caroli M. contra Synodum de adorat. imag. legitur: *In præfata Synodo habetudinis continentur discursus:* ex aliis autem, iisque paulo antiquioribus, ejus vocabuli significationis exempla proferre non habuit. Ceterum conjicere quoque licet, qui factum fuerit, ut verbum *discurrere* ea, qua dixi, notione Ammianus usurparit. Nimirum natione ille Græcus fuit. Cum igitur sciret, Græcum διαλθεῖν tali significatione

usurpari, Latinum quoque *discurrere* eadem significatione usurpari posse credidit. Vide & Lexicon Etymologicum Martinii.

Porro & vocabulo *terminus* valde hodie abutuntur, quod passim pro verbo & vocabulo id ponunt. Exempli gratia Gerh. Titius in Resp. *Liceat tantisper terminis illis juridicis* κατ' ἀναλογίαν *uti.* Item, *Illæ sacræ literæ in terminis, ut loquimur, docent, Deum unum esse, nec alium esse præter eum.* Verum pro *termini juridici, termini philosophici*, quidni dicatur, *verba juridica, vocabula juridica, verba philosophica, vocabula philosophica?* Sane vocabulum *terminus* ab antiquis ea notione usurpatum non memini. Significat id vocabuli idem quod *finis.* Unde & vocabula ista subinde conjunguntur, diciturque *finis & terminus:* idque significatione tum propria, tum figurata. Cicero: *Constituere sibi certos fines & terminos.* Item: *Finis & terminus contentionum.* Utuntur & Mathematici, quodque alicujus rei finis est, id *terminum* dicunt. Sed &, quod Logici seu Dialectici eo vocabulo utuntur, dicuntque syllogismum habere tres terminos, id non absurde, neque sine ratione, ita fit; quippe quos terminos illi dicunt, extrema quodammodo sunt: quam ob causam & ab Aristotele ὅροι appellantur. Estque ea notione vocabulum Logicum, quod per ὀνοματοθεσίαν, quam Aristoteles vocat, ita usurpari cœpit. Licet enim Philosophis, ut jam supra in cap. I. diximus, docendi causa novas vocabulis significationes tribuere. Verum quod vocem *terminus* pro ipso quoque *vocabulo* & *verbo* (tam generali enim significatione & vox *verbum* ab antiquis usurpatur) usurpari videmus, id non modo sine exemplo antiquitatis, sed & sine ratione, fieri videtur. Quod si dicant, esse hanc ὀνοματοθεσίαν quandam, quod *terminus*

minus pro *verbo* & pro *vocabulo* usurpatur, ad eum fere modum, quo vocabulis συλλογισμὸς, κατηγορία, ὅρος & id genus aliis, significationes novas assignavit Aristoteles: sciendum, philosophos non solere ὀνοματοθετεῖν, nisi cum necessitas exigit, & novæ res observantur, quibus vocabula nondum posita erant: id quod ab ipso quoque Aristotele observatum videmus. Cum igitur nova illa, quam dixi, vocabuli *terminus* significatione nihil opus sit, ipsamque illam rem vocibus *vocabulum* & *verbum* efferre liceat, quidni ipsis hisce vocibus utamur, dicamusque *verbum juridicum*, *vocabulum juridicum?* Ne quis autem dubitet, an *verbi* quoque notio adeo generalis sit, consideret illud Ciceronis in Orat. pro Dejot. *Etsi hoc verbo scio reges laudari non solere.* Intelligit enim vocabulum *frugalitatis*, quod secundum Grammaticam *nomen* esset appellandum: Estque ea *verbi* significatio primaria: altera vero, quæ in Grammaticis observatur, κατ' ὀνοματοθεσίαν ita facta.

Vox *ditio* non placet Scioppio, si pro regione, provincia, aut parte terrarum, quæ potestati cujusdam subjecta est, usurpetur. Et notat ille Lipsium, quod scripserit, *In ditione Leodicensi diutius subsistam*; & Casaubonum, quod scripserit *In ditione aliqua degere.* Vide Judicium ejus de stylo hist. Scribit autem passim ita & Thuanus. Ut lib. LI. *Qui a Cosmo ab Hispanis Senensi ditioni inhiantibus sibi metuente mutuam pecuniam ad bellum contra ipsos gerendum sumeret.* Et sane veteribus vocem ea significatione usurpatam esse, & ipse vix crediderim. Ceterum pro potestate atque imperio in regionem aliquam, usurpata vox passim visitur: dicuntque *cadere sub imperium ditionemque alicujus*, *dedere in ditionem*, *concedere in ditionem*, *nutu ac ditione alicujus*

cujus gubernari, omni ditione terras tenere, in ditione ac potestate alicujus esse, redigere in ditionem, redire, venire in ditionem: quæ omnia & in Lexicis congesta videas.

Voce *dictio* utuntur vulgo pro verbo seu vocabulo. Ut Wellerus in Grammatica Græca: *Dictio enclitica abjecto suo accentu ultimam præcedentis vocabuli acuit*, &c. Burgersdicius in Institutionibus Logicis: *interpretatio est vel dictio vel oratio. Dictio est interpretatio simplex. Interpretatio simplex est, cujus nulla pars significat separatim. Dictio vel nomen est vel verbum.* Ecce, *dictionem* in nomen & verbum, quæ Grammatici vocant, dividit, atque ita notionem ejus latiorem quam nominis & verbi facit. Sic & Joh. Drusius passim *dictionem* dicit pro vocabulo. Ut lib. II. Quæst. 62. *Dictio Sanhedrin, quæ toties obvia in monumentis Ebræorum, quid significat?* Et quæst 68. *Sunt enim duæ dictiones, quarum altera Græca est, altera Ebraica.* Isaacus quoque Casaubonus vocabulum ea notione subinde usurpavit: eoque nomine notatus est a Scioppio in Judicio de stylo historico. De genuino vocabuli usu idem Scioppius ita: *Latinis dictio est, quod Græcis Φράσις, aliter etiam Elocutio & Stylus: omninoque actionem dicentis notat. Cicero: Si res inciderit, quæ dictione sit explicanda, id est, oratione. Et, totam causæ meæ dictionem in certas partes dividam. Terentius: Servo non est testimonii dictio,* &c. Consentit quoque Joh. Gerh. Vossius; quod scribit, *nunquam ita locutos Ciceronem vel æquales*, (ut *dictionem* pro *vocabulo* seu *verbo* dicerent:) *imo nec diu postea ita locutos esse Latinos; sed iis dictionem esse orationem vel dicendi genus.* Vide libri I. de vitiis Lat. serm. caput XXXI.

Vocem *dicterium* usurpant vulgo pro quovis breviter

breviter & eleganter dicto. Joh. Scharfius in Physica generali: *Tritum illud dicterium: Posita forma tria ponuntur.* Verum antiquis vox ea non nisi male dicta aut falsè dicta significavit. Martialis libr. VI. Epigr.

Omnibus arrides: dicteria dicis in omnes.
Sic te convivam posse placere putas.

Male quoque faciunt Lexicographi, Decimator, Faber & alii, quod a verbo Latino *dico* eam vocem derivant: id quod ante, quod mirere, & Varro fecerat. Est enim origine Græcum, & scribitur Græce δεικτήριον: qua de re & Gerh. Joh. Vossius in Etymologico Latinæ linguæ monuit. Sed errat rursus idem, quod scribit *dicterium* idem esse quod *dictum & jocum;* idque Macrobium lib. II. Saturn. probare loco Ciceronis ex lib. II. ep. ad Corn. Nepotem: *Nostri, cum omnia quæ dixissemus dicta essent, quæ facete & breviter & acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicteria voluerunt.* Neque enim in verbis Ciceronis, quæ Macrobius laudat, vox *dicteria*, sed vox *dicta*, apparet. Et vult Cicero, Latinos omnia, quæ facete, breviter & acute dicerentur, proprio nomine *dicta* appellasse. Apparet quoque ex antecedentibus & consequentibus, quod nec Macrobius de voce *dicteria*, sed de voce *dicta* agat. Ceterum de *dictis*, quæ hic vocantur, egregius etiam locus est in epistola XXXII. libri VII. ad familiares. *Equidem sperabam*, inquit, *ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci sua sponte possent.* Videsis ibidem de dictis Ciceronis plura.

Vocabulum *influxus* plane ignotum fuisse antiquioribus, censet Vossius. Vide libri III. de vitiis Lat. serm. caput XVI. Quia tamen simplex *fluxus* in usu est, non dubitem ego, veteres æque ab *influo*

formasse *influxus*, atque a *fluo* formarunt *fluxus*; & quomodo dixerunt *fluvios influere in Pontum*, ita *fluviorum in Pontum influxus* eos dicere non dubitavisse. Deinde significatio vocabuli impropria ac figurata est, quod Jul. Firmicus lib. I. cap. 1. dicit, *Si ex solis stellarum influxibus pendeamus*. Quem vocabuli usum itidem non est quod adeo refugiamus; præsertim si in argumento philosophico versemur. Id vero ridiculum, quod *causam* vulgo definiunt, quod sit tale, *quod importet influxum, in esse causati*. In qua definitione non una, sed tres omnino voces sunt, quæ non recte se habent. Sed de ceteris alias. Ad vocem *influxus* quod attinet, æquum sane est, Philosophos non tantum τῦ ὀνοματοποιεῖν, id est, ex vocabulis antiquis nova fingendi, sed & τῦ ὀνοματοθετεῖν, id est, vocabulis antiquis novas significationes imponendi, potestatem habere, ut jam supra in capite I. & alibi, monuimus: verum cur vocabulo *influxus* utantur, cum *causam* definire instituunt, novamque significationem tribuant, nulla causa apparet. Quin imo *causa* omnino nec definienda; sed vocabulum ut homonymum modo distinguendum erat, dicendumque, & illud, quod efficit aliquid, & illud, propter quod fit aliquid, & illud, ex quo fit aliquid, & denique illud, in quo rei essentia consistit, *causam* dici. Sane Aristoteles cum περὶ αἰτίᾶς *de causa* agit, non generalem aliquam τῦ αἰτίᾶ definitionem cudit, quæ & materiam, & formam, & efficientem, & finem complecti posset: sed vocem αἴτιον distinxisse, & varias ejus significationes tradidisse satis habuit.

Duellum vulgo hodie vocant, quod *pugnam singularem*, id est, unius cum uno pugnam, dicere licet. Præcipue vero JCtis, cum de pugna singulari agunt, *duellum* eam appellare nulla religio est; quasi *duellum*

lum sit a *duo*, & ipsius vi originis pugnam inter duos significaret. Noti sunt Auctores, qui de duellis scripserunt; & inter alios Augustus quidam Vischerus. Verum scire licet, *duellum* antiquis nihil aliud fuisse, quam quod postea dixerunt *bellum*. Plautus Truc. Act. II. Sc. 6.

Ne expectetis, spectatores, meas pugnas dum prædicem
Manibus duelli prædicare soleo; haud in sermonibus.

Item Amphit. Act. I. Sc. I.

Victores victis hostibus legiones reveniunt domum,
Duello extincto maximo atque internecatis hostibus.

Horatius lib. I. ep. 2.

Græcia barbariæ lento commissa duello.

Inde *duellator* pro *bellator*. Plautus Capt. Prol.

-- Valete, judices justissimi
Domi; bellique duellatores optimi.

Inde *& ars duellica* dicitur pro *ars bellica*, Epid. III. Sc. 4. Neque vero ignotum est, ex *duellum* qua analogia factum deinde sit *bellum*. Cicero in Oratore: *Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? Nam ut* duellum bellum, *&* duis bis, *sic* Duellium *eum, qui Pœnos classe devicit*, Bellium *nominarunt, cum superiores semper appellati essent* Duellii. Quintilianus lib. I. c. 4. *Sed B in locum aliarum* (literarum) *dedimus aliquando; unde Burrus, & Bruges, & Belena: nec non eadem fecit ex duello bellum, unde Duellios quidam dicere Bellios ausi.* Quibus Ciceronis & Quintiliani locis pro *Duellium*, *Bellium*, *Duellios*, *Bellios* legendum esse *Duilium*, *Bilium*, *Duilios*, *Bilios*, Petrus Ciacconius Commentario in Columnam Rostratam ex eo conjicit, quod ipse Cicero alibi *Duilius*, & Scriptores Græci item δυίλιος & βιλιος scribunt. Quicquid autem sit de litera vocali E, illud satis liquit, pro syllaba DU

usurpatam deinde unam literam consonam B. Sunt autem & alia quædam eadem plane ratione ex antiquis facta; ex *duonum* puta *bonum*, & ex *duigas bigas*, & ex *duidentem bidentem*. Quoniam igitur veteres quod cunque bellum *duellum* dixerunt; neque Cicero ejusque æquales, sed his majores, id fecerunt: facile intelligitur, quid de eo habendum, quod vocem *duellum*, & pro pugna singulari quidem, hodie usurpant. Primum enim archaismus est in eo vocabulo. Deinde nec justo significatu usurpatur, quod *pugnam singularem* eo designant: cum antiquis idem fuerit quod *bellum*. Illud *pugna singularis*, quo usus ipse sum, observo in lib. I. Hist. sacr. Sulpicii Severi. Verba hujus sunt: *Goliat quidam ex Allophylis, ferocibus verbis probra in hostes jaciens singularem pugnam ciebat*. Ab aliis & *certamen singulare*, itemque *dimicatio singularis* appellatur. Quarum appellationum posteriore & Hugonem Grotium in libro de jure pacis & belli usum video. Ceterum quia dimicatio istiusmodi vulgo *duellum* dicitur, ipsa quoque vox *duellum* in libri indice expressa apparet. Quod quidem eo factum videtur, ne nihil de istoc argumento in eo libro dictum putaretur. Dicitur autem *pugna singularis* & *dimicatio singularis*, ut *potentia singularis*, *imperium singulare*. *Potentiam singularem* Cornel. Nepos vocat eam, quæ unius est; & *imperium singulare* itidem quod est unius. Vide Bionem ejus: itemque locum de Regibus.

Pomum multi putant idem esse quod *malum*; quatenus hoc fructum cujusdam arboris denotat. Quod & Johannem Scharfium decepit; ut in Manuali Logico pro exemplo Syllogismi sophistici initio poneret hæc:

O Malum

O. Malum est fugiendum.
O. Pomum est malum.
E. O. pomum est fugiendum.

Deinde in iterata libelli editione scriberet sic:

Nullum malum est appetendum.
Omne pomum est malum.
Ergo nullum pomum est appetendum.

Ita ergo syllogismi sui sophistici propositionem, minorem fecit istam, *Omne pomum est malum.* Ex quo apparet, vocabula *pomum* & *malum* ipsum tunc pro æquipollentibus habuisse. At in editione libelli recentiore signum universalitatis, quod propositioni minori adjectum fuerat, omisit, & scribendum potius sic putavit:

Nullum malum est appetendum.
Pomum est malum.
E. pomum non est appetendum.

Etsi vero propositionem minorem hic indefinitam reliquerit; tamen, quia enunciationes indefinitæ pleræque tales sunt, ut signum universale illis addi possit, ipsam quoque hanc, qui legerit, potius universali quam particulari æquipollere eam existimabit. Et videri sane possit errorem suum agnovisse tandem; ac ne nimis manifestus ille esset, hac ratione cavere voluisse. Verum qui præfationem, quæ editioni libelli novissimæ præmissa est, legat, rursus dubitare possit, an errorem suum ille unquam agnoverit. Scribit enim, *duo esse, quæ in Manuali suo Logico reprehendantur: quorum alterum sit, quod vox malum in sua æquivocatione denotet quoque pomum seu fructum arboris:* ac deinde πολυσημίαν vocis *malum* ostendere laborat. Quasi vero dubitatum de eo unquam sit, an vox *malum* πολύσημος sit, & plura significet. Ceterum vocem *pomum* videri possit

nunc recte usurpare voluisse, quod scribit, *malum denotare quoque pomum seu fructum arboris*. Arborum sane non quamcunque, sed certam quandam, & eam quidem, quæ a Latinis *malus* dicitur, intelligit. Et verum est, fructum arboris, quæ Latinis *malus* dicitur, ab iisdem *malum* appellari. Nec minus verum, pomum quoque ejusdem arboris eodem vocabulo insigniri. Ut enim pyrus, prunus, cerasus, aliorumque generum arbores sua poma habent, ita habet & malus. Si igitur vocabula *pomum* & *fructus* ut æquipollentia hic usurpare voluisset, bene omnino esset. Verum est enim, *malum* denotare pomum ejus arboris, & fructum ejus arboris, quæ malus dicitur. Sed vereor, ne vocem *pomum* non ita generali notione usurpare voluerit, ut idem sit, quod *fructus;* sed vocem *pomum* solam, & deinde duas illas *fructus arboris,* ejus puta quæ *malus* dicitur, pro æquipollentibus usurpare, atque ita eidem voci *pomum* notionem rursus nimis strictam subjectam voluerit. Certe cum scripsit, *Omne pomum est malum*, vocabulo *pomum* notionem adeo strictam subjectam voluit, ut nihil aliud esset quam *malum*, id est, fructus ejus arboris, quæ *malus* dicitur. Quod quia perperam omnino factum est, nec tamen in præfatione illa, quæ editione Manualis Logici novissimæ adjecta est, ubi ipsa illa, quæ in libello suo reprehendantur, recensere voluit, & ad prædictum illum syllogismum manifeste alluserit, ullam ejus rei mentionem fecit: ne tum quidem, ut dixi, errorem suum agnovisse videtur. Minime probatione indigebat, quod *malum* sit homonymum, quodque in exemplo syllogismi sophistici recte notione duplici positum id esset; sed probandum erat, syllogismum in materia, ut quidem videri debebat, recte habere; & verum omnino esse, quod

omne

omne pomum sit malum, quodque vocabula *pomum* & *malum* notionem æque strictam, & fructum arboris, quæ dicitur *malus*, denotare possint. Quod autem vocabulo *pomum* ab antiquis notio multo generalior subjecta fuerit, id legendis eorundem libris satis intelligi potest. Quid manifestius illo Virgilii, *Addam cerea pruna; & honos erit huic quaque pomo?* Ex hoc enim apparet, pruna quoque cerea pomum esse. Nec minus liquidum in eam sententiam est, quod idem Virgilius in Ecl. IX. habet, *Insere, Daphni, pyros; carpent tua poma nepotes.* Nimirum & pyra hic poma appellata apparet. Æque generaliter usurpata vox est in illo Eclogæ VII. *Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.* Itemque in illo Eclogæ primæ: *Cui pendere sua patereris in arbore poma.* Pertinet huc & illud, quod est in carmine de Nuce:

Hoc in notitiam veniat maloque piroque:
Destituent sylvas utraque poma suas.
Quæque sibi vario distinguit poma colore,
Audiat hoc cerasus: stipes inanis erit.

Atque eam vocabuli *pomum* notionem Servius in Ecl. II. Virgilii satis quoque dilucide notavit. *Nuces*, inquit, *generaliter dicuntur omnia tecta corio duriore; ut avellanæ, amygdalum, juglandes, castaneæ: sicut contra dicuntur poma omnia molliora.* Vult ergo ille, pruna quoque, cerasa, pyra, mespila, esse poma, utpote molliore corio tecta. Sed sunt inter veteres, qui vocabulo notionem adhuc latiorem subjectam voluerunt. Sane lege 205. D. de verb. significatione definitum sic est: *Qui fundum vendidit, pomum recepit; nuces & ficos & uvas &c.* Martialis lib. VII. epigr. XC.

De nostro facunde tibi, Juvenalis, agello
Saturnalicias mittimus, ecce, nuces.

Cetera

Cetera lascivis donavit poma puellis
Mentula custodis luxuriosa Dei.

Ubi quia mala, pyra, pruna, cerasa, vocat *cetera poma*, necesse est ipsas quoque nuces, quas prædixerat, eo vocabulo ipsum comprehensas voluisse. Ambiguum aliquando fuit, an pomorum appellatione ipsæ quoque nuces pineæ comprehenderentur. Quod apparet ex eo, quod Macrobius lib. II. cap. VI. scribit: *Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat ut ædiles ediderent, ne quis in harenam nisi pomum misisse vellet, forte his diebus Cascellius consultus a quodam, an nux pinea pomum esset, respondit, Si in Vatinium missurus es, pomum est.* Ceterum Sulpicius Severus & fructum palmæ *pomum* vocat. Dialogo I. habet ille sic: *Post cœnam invitat nos ad arborum palmam, cujus interdum pomis uti solebat.* Item: *Ex majore parte, qui intra illa secreta consistunt, cum alia ibi germina nulla succedant, istarum arborum* (palmarum) *pomis aluntur.* Fructum palmæ ex his apparet non adeo esculentum esse: & tamen Sulpicius *pomum* illum vocat.

Septimana satis Latina vox est: sed hodie alia notione, quam ab antiquis, usurpatur; quod videlicet pro *spatio septem dierum* accipitur; Antiquis nomen adjectivum fuit *septimanus, septimana, septimanum:* dixeruntque *septimanum militem*, qui esset septimi ordinis, septimæ legionis, quomodo *primanum*, qui *esset primi ordinis.* At eam rem, quam hodie *septimanam* dicunt, id est, septem dies, veteres Latini vocabulo *hebdomas*, aut alia terminatione *hebdomada*, expresserunt. Cicero lib. XVI. ep. 9. *Symphoniam Lysonis velim vitasses, ne in quartam hebdomadam incideres.* Ita quidem casus primus esset *hebdomada*, formatus ille ex casu quarto Græco

Græco ἑβδομάδα. Neque vero insolens id est, ex Græco quarto casu Latinum primum fieri. Ita enim ex Græco κρατῆρα Latinum *cratera*, *crateræ*; & ex Græco λαμπάδα Latinum *lampada*, *lampadæ*; & ex Græco σπυρίδα Latinum *sporta* est factum. Atque ipsa illa spatii septem dierum appellatione, quæ ævo Ciceronis obtinuit, Interpres sacrarum literarum suo adhuc tempore plurimum usus est. Ut Genes. XLIX, v. 26. *Implete hebdomadam dierum: & 28. hebdomada transacta.* Et Exod. XXXIV, 22. *Solennitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ.* Et Num. XXVIII, 26. *Expletis hebdomadibus.* Et Levit. XXIII, 16. *Expletio hebdomadæ septimæ.* Cetera loca demonstrare Index potest. Apparet autem, Interpretem illum dixisse modo *hebdomas*, *hebdomadis*; modo *hebdomada*, *hebdomadæ*. Sciendum tamen ipsum quoque illud *septimana*, quod pro spatio septem dierum hodie usurpant, jam ea ætate, qua antiquus Interpres sacrarum literarum scripsit, usurpari cœptum videri. Sane 2. Mac. XII, 31. versum est, *Venerunt Hierosolymam die solenni septimanarum instante.* Deinde lex *Dominico* de spectaculis, in Cod. Theodosiano habet: *Dominico, qui septimanæ primus est dies.* Nec aliter Ruffinus, Auctor libelli de mensuris, qui Prisciano tribuitur, horumque æquales. Vide & Vossium libr. I. de vitiis sermonis Latini cap. 33.

Vocem *ægritudo* usurpant hodie pro quovis morbo, pro quavis infirmitate: at veteres non nisi pro affectione animi, & quidem pro mœrore usurpabant. Justinus lib. XXXIV. cap. 2. perquam manifeste: *Nec multo post adolescens ex ægritudine collecta infirmitate decedit.* Ecce ait ille ex ægritudine infirmitatem collectam fuisse. Ex quo apparet; *ægritudinem & infirmitatem* res diversas esse. Idem lib. XXXII.

XXXII. cap. 2. *Perseus perspecta patris ægritudine, quotidie absentem Demetrium apud eum criminari.* Paulo post c. 3. sequuntur hæc: *Brevi post tempore morbo ex ægritudine animi contracto decessit.* In quibus proximis vox *animi* est addita. Ipse Cicero lib. III. Tusc. quæst. habet ita: *Proprie ut ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo nomen habet, non sejunctum a dolore.* Et paulo ante: *Præclare nostri, ut alia multa, molestiam, solicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum ægrorum ægritudinem nominaverunt.* In libro IV. & definitiones ponit. *Hæc prima definitio est*, inquit, *ut ægritudo sit animi adversante ratione contractio.* Et paulo post: *Est igitur ægritudo opinio recens mali præsentis, in quo demitti, contrahique animo rectum esse videatur.* Posteriore ævo tamen *ægritudinem* & corpori tributam fuisse non negamus. Sulpicius Severus lib. II. Dial. *Cum Evantius gravissima ægritudine extremo mortis periculo cœpisset urgeri.* Et consentaneum huic, quod Justinus & ejus æquales interdum vocem *animi* adjiciunt, atque ita significant, esse & ægritudinem corporis. Locum Justini paulo ante indicavi. Curtius lib. IV. cap. 10. *ægritudine animi fatigata.* Idem diserte & *corporis* addit. Ut lib. III. cap. 5. *Animum autem ægritudo corporis urgebat.* Sic & Florus lib. IV. cap. 7. *Quorum alterum corporis ægritudo, illum metus & ignavia subduxissent.*

Vox *camera* satis Latina est; sed non rectus usus ejus est, si pro conclavi quocunque usurpetur. Antiquis *camera* nihil aliud fuit quam fornix. Nonius, *Camerum, obtortum: unde & camera tecta in curvitatem formata.* Et citat ille verba Virgilii ex lib. III. Georg.

- *Et cameris hirtæ sub cornibus aures.*

Varro lib. III. de re rust. cap. 7. *Peristereon fit, ut testudo,*

testudo, *magna camera tectus, uno ostio angusto.* Inde *camerare & concamerare.* Plinius lib. XXXIV. cap. 14. *Eodem lapide Dinocrates architectus Alexandriæ Arsinoës templum concamerare inchoaverat.*

Vocabulum *affectus* hodie plurimi non nisi pro motu animi vitioso usurpant. Et miscent quoque vernaculis, dicuntque *Es sind affecten.* Ad hunc modum Strada lib. I. de Bello Belg. *Veritatem historiæ nulla res magis infringit quam scriptoris affectus.* Quasi non & bonus, aut ἀδιάφορος, affectus esse possit. Veteres quemvis animi motum, sive bonus, sive malus, sive denique ἀδιάφορος ille esset, ea voce designarunt. Cicero lib. V. quæst. Tusc. *Sic enim princeps ille Philosophiæ differebat, qualis cujusque animi affectus esset, talem esse hominem: qualis autem ipse homo esset, talem esse orationem, orationi autem facta similia, factis vitam. Affectus autem animi in bono viro laudabilis. Et vita igitur laudabilis boni viri. Honesta ergo, quoniam laudabilis.* Ait hic manifeste, affectum in bono viro laudabilem, ac proinde vitam quoque boni viri laudabilem esse. Valerius Max. lib. IV. c. 6. *A placido & leni affectu,* verecundia puta, *ad æque honestum,* amorem conjugalem puta, *pergam.* Seneca in Hippolyto ait, *sanos affectus tenere.* Celsus in præfat. lib. I. *Corporibus inviolatis, hæc tamen metu, dolore, inedia, credulitate, lassitudine, mille aliis mediocribus affectibus, sæpe mutantur.* Nec sane Scioppius concedere Stradæ debuit, quod posteriores, Gallio, Porcius Latro, Curtius, voce *affectus* ad significandum motum animi vitiosum, præter rationem, sive boni, sive mali alicujus specie, commotum, usi sint. Gallionis apud Senecam Controv. I. verba citat hæc: *Quid si me flere vetes, cum vidi hominem calamitosum? Quid si vetes propter aliquod honestum factum periclitanti*

clitanti favere? Affectus noſtri in noſtra poteſtate non ſunt. Affectus iſti, quos nominat Gallio, motus animi vitioſi & præter rationem non ſunt. Si hominem videas calamitoſum, vicem ejus dolere, & vel flere, quis vitioſum & malum dicat? Pari modo favere ei, qui propter honeſtum aliquod factum periclitetur, non licitum modo, ſed & præclarum & laudabile eſt. Quod Portius Latro ait, *Non feci ratione, affectu victus ſum*, ex eo non ſequitur, quod vox *affectus* notionem pravitatis ſimul involvat. Verum quidem eſt, ſi quis non ratione aliquid faciat, ſed affectu quodam vincatur, affectum iſtum motum animi pravum ac vitioſum eſſe: ſed non ideo vox *affectus* quomodo *furtum*, *homicidium*, & id genus alia, μετὰ μοχθηρίας συνειλημμένα *cum pravitate comprehenſa*, ut cum Ariſtotele loquar, videri debet. Si dicas, bibendo aliquem factum eſſe ebrium, facile intelligitur, bibitionem, qua aliquis ebrius factus eſt, rem malam eſſe: nec tamen ſequitur, ipſum quoque vocabulum *bibere* pravitatem ſimul involvere. Ut igitur bibitio alia bona, alia mala, alia ἀδιάφορος eſt: ita prorſus & affectus alius bonus, alius malus, alius ἀδιάφορος cenſeri debet.

CAPUT XV.

De nominibus quibusdam adjectivis, quæ non juſto ſignificatu a nonnullis uſurpantur.

SUpra in c. IV. unum atque alterum nomen adjectivum indicavimus, quod non juſto ſignificatu a nonnullis uſurpatur. Sed ſunt adhuc plura id genus. Et primum quidem de vocabulo *diſcretus* videamus. Id ab antiquis non niſi ſignificatione paſſiva uſurpatum fuit, & quidem ſignificavit *diviſum, ſeparatum*. Ita Lucretius lib. VI. dicit *diſcreta tellus*;

tellus; & Columella *discreta semina*: idque ipsius vi originis; nam *discernere* idem est, quod dividere, separare. Valerius Max. lib. IV. c. 5. ex 6. *Inter ipsum illud tempus, quo divinus spiritus mortali discernebatur a corpore.* At hodie vocem *discretus* usurpant significatione activa, & *discretum* dicunt, qui momenta rerum discernere novit ac prudenter agit; & contra *indiscretum*, qui id facere nescit aut negligit. Ut Possevinus: *Nec erubuit indiscretissimus imperator, ubi rem familiarem hospitis exhausit, etiam auxilia poscere.* Quo nomine & a Scioppio in Judicio de stylo historico est notatus. Ubi Scioppius simul & hoc exposuit, qui factum fuerit, ut vocabulis *discretus* & *indiscretus* ea, qua dixi, notione quidam uterentur. *Hodierno Italiæ idiotismo*, inquit (vox *discretus*) *notat eum, qui discrimen facit inter nimium & parum, inter id quod decet, quodque non satis convenit. Hoc discrimen qui negligit aut confundit, indiscretus vulgo dicitur. Uterque vero habitus discretio & indiscretio.* Alludit ille ad vocabula Italica *discreto, indiscreto, discretione, indiscretione*: ex iisque illa altera, quæ ut Latina usurpantur, effecta censet: De usu vocis *discretus* consentit & Vossius, quod in suo de vitiis sermonis Latini libro scribit, vocabulum *discretus* antiquis semper passivum esse de iis, quæ secernuntur; nunquam autem activum pro eo, qui rerum momenta discernit. Qua de re Aug. Buchnerus in Additionibus ad Lexicon Fabri judicium suum sic interponit: *Quod si Plautus tamen active* notos *pro iis dixit, qui noverunt; suspectum pro suspicace Dionysius Cato in Distichis, non absurde adeo* discretus *pro eo, qui discernit, dici videatur.* Sed non sufficit exempla proferre, quod vocabula passivæ significationis etiam activa significatione interdum usurpentur; sed ostendendum, ipsum quoque voca-

bulum *discretus* apud veteres significationem activam habuisse. Quod reputans Jovianus Pontanus eos, quos vulgo *discretos* appellant, malit *discernentes* dici. Quod ipsum prædicto loco & Buchnerus commemorat, his quidem verbis: *Tales tamen, hoc est, qui eo habitu præditi sunt, qui Discretio appellatur, Discernentes dici Jovianus Pontanus malit; cum Discretos appellare vulgare & sordidum sit.* At nec vocabulum activæ significationis *Discernentes* huc quadrat. Est enim vocabulum hoc generale, quod de quibusvis, qui aliquid discernunt & separant, dici potest. Non sunt vocabulis novæ significationes imponendæ, nisi novæ res inventæ sint, quibus nomen nondum sit impositum, quibusque imponi idem adhuc oporteat. Atqui nova res hic nulla est: & potest id, quod illi volunt, aliis vocabulis exprimi: & his quidem, quibus expresserunt veteres. Ipso vocabulo vulgari *prudens* uti hic quid vetat? At Scioppius ubi Possevinum reprehendit, varias adhuc alias veterum locutiones congerit, quibus tum eum, quem vulgo *discretum*, tum eum, quem vulgo *indiscretum* vocant, designare liceat. Verba ejus in Judicio de stylo hist. hæc sunt: *Quæ* (discretio & indiscretio) *quomodo pure minimeque barbara dici queant; hinc cognoscitur. Livius l. I. Cum in tanta multitudine hominum, discrimine recte an perperam facti confuso, facinora clandestina fierent. Cicero: Omnia officia tolluntur, delectu omni & discrimine remoto. Idem: Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia. Quasi dicat, Vulgus agit omnia sine judicio & discretione. Idem: Populus non delectu aliquo, aut sapientia judicat, sed impetu nonnunquam & quadam temeritate. Horatius: Cum fas atque nefas exiguo fine discernunt. Varro diceret, Non signant alba linea. Cicero: Quid facere potuit elegantius ad hominum existimationem.*

Possevinus

Possevinus dixerit, Quid facere potuit cum majore discretione. Idem Cicero: Vos qui cum summa elegantia atque integritate vixistis. Nimirum elegantia ab eligendo dicta est, quasi dilectus & discrimen. Rursum Cicero: Si quis in convivio secum ipse meditetur, aut si quid aliud attentius cogitet, inhumanus videatur, inscitia loci ac temporis, id est, ob indiscretionem, sive quod nullo neque temporis neque loci discrimine utatur. Ad Augustum Buchnerum ut redeamus, quia nemo veterum vocabula *discretus, indiscretus, discretio, indiscretio*, ea qua dixi significatione usurpavit, ipsa illa significatio in Lexicis nec ponenda erat. Si enim quascunque vocabulorum significationes, etiam quas recentiores pro lubitu illis assignant, recensere in Lexicis velis, infinitus ac plane ineptus labor iste fuerit. Vocabuli *discretio* justam significationem cum exposuisset, subdit deinde: *Est & innominati apud veteres habitus recentius nomen, a quo Discreti novo & ipsi nomine, quibus præditi, appellantur.* Deinde longiusculam *Discretionis* definitionem ex Joviano Pontano subjungit, & de suo quoque plusculà adjicit, quibus egregium illud *Discretionis* vocabulum illustret. Sed bene est, quod ipse *innominati apud veteres habitus recentius nomen* appellat; quodque ipse Pontanus, cujus longiusculam definitionem tradit, inter cetera sic habet: *Verum a discernendo appellata populariter ab illiteratis magis, quam a doctis viris, est Discretio, potissima quidem prudentiæ pars.* Si ita definitiones cudere licet, eodem jure dicemus rem *blictri* dictam potisimam partem prudentiæ esse. Neque enim *discretio* magis quam *blictri* prudentiæ antiquitus habita pars est.

Superioribus vocabulis *discretus, indiscretus, discretio, indiscretio*, subjicio vocabula *incivilis*, & *incivilitas*, quorum illo quidem *agrestem*, hoc vero *rusticita-*

ſticitatem hodie denotant. Uſus ita vocabulis iſtis fuerat Joſ. Scaliger; & notatus eo nomine eſt a Scioppio in Scaligero hypobolimæo pag. 232. At nuper vocabulo *incivilis* uſus ita eſt Gerh. Titius, quod in pag. 55. Reſponſi prioris ſcripſit: *Ille vero incivilis & minime ferendus eſt ſarcaſmus, quem tu pag. 60. in me immittis.* Item vocabulo *incivilitas*, quod pag. 13. Reſp. poſterioris ſcripſit; *Parco tibi, nec volupe eſt illam incivilitatem ulciſci.* Antiquis vocabula *incivilis* & *incivilitas* quomodo uſurpata fuerint, ex uſu vocabulorum *civilis* & *civilitas*, qui apud eosdem antiquos obſervatur, fere apparet. Primum Quintilianus in lib. II. cap. XV. *civilitatem* appellat, quam Plato in Gorgia πολιτικὴν dixerat. *Plerique credunt*, inquit, *eum* (Platonem) *in hac eſſe opinione, ut Rhetoricen non artem, ſed peritiam quandam gratiæ ac voluptatis exiſtimet: & alio loco civilitatis particulæ ſimulacrum, & quartam partem adulationis: quod duas partes civilitatis corpori aſſignet, medicinam & quam interpretantur exercitatricem: duas animo, legalem atque juſtitiam: adulationem autem medicinæ, vocet coquorum artificium: & exercitatricis, mangonum, qui colorem fuco & verum robur inani ſagina mentiantur: Legalis cavillatricem: juſtitiæ Rhetoricem.* Secundum hunc igitur *civilitas* ipſa tuendæ & conſervandæ ſocietatis civilis prudentia eſt: & in quo prudentia hujusmodi eſt, is *civilis* dicendus fuerit. Deinde *civilitas* dicta antiquis fuit gravitas & modeſtia quædam virorum principum, qua non ſuperbi & crudeles, ſed moderati & clementes in ſuos cives eſſent. Svetonius Aug. cap. LI. *Clementiæ civilitatisque ejus multa & magna documenta ſunt. Nec enumerem quot & quos diverſarum partium venia & incolumitate donatos principem etiam in civitate locum tenere paſſus ſit. Civilitatem* conjungit

jungit ille cum clementia, eaque vocabula fere ut ἰσοδύναμα usurpat. Idem Cæs. cap. LXXV. *Auli Cecinnæ criminosissimo libro & Pitholai carminibus maledicentissimis laceratam existimationem suam civili animo tulit.* Ubi *civilis animus* est animus clemens & moderatus. Ergo *incivilis animus* & *incivilitas* inclementiam, crudelitatem & sævitiam significabunt. Aug. Buchnerus in Additionibus ad Fabrum, & tertiam *civilitatis* significationem ponit; adeoque *incivilitatis* quoque significationem quandam tertiam esse velit. *Est & civilitas*, inquit, *& dicitur hodie ea virtus, quæ ad convictus & consvetudines civiles pertinet, quæ omnem vultum, habitum & gestum corporis, quin orationem ipsam ad quandam decori & elegantiæ rationem, qua placeat, probeturque, dirigit & moderatur: rusticitati contraria.* Verum de hac tertia vocabuli significatione quid sentiendum, ex superioribus intelligi potest: nimirum quia nova est, & antiqui eam nesciverunt, merito repudianda est.

De voce *affectatus* Scioppius in Judicio de stylo historico notat, quod Lipsius usus ea sit pro putido & in re quapiam persequenda nimio; idque ex hodierno Italorum idiotismo ei adhæserit. Verba Lipsii in cap. XVI. Monit. polit. sic habent: *Orientales imperatores in his talibus* (specie, gestu, cultu) *magis curiosi aut affectati*, id est, talia magis aucupantur, venantur, nimio studio persequuntur. Et sane vocis *affectatus* usum istum non satis Latinum esse & ipse facile crediderim. Siquidem observare licet, non ipsos homines, qui affectant quippiam, sed res, quæ sunt in homine aut circa hominem, ab antiquis *affectatas* dictas esse: ut *affectatus sermo*, *affectata verba*. Atque ita aliquid vitii vox involvit: ut *affectata verba* dicantur, quæ nimis anxie & curiose

rioſe quæruntur. Sed tamen & in bonam partem vocem uſurpatam invenias. Plinius in Panegyrico de Trajano: *Affectata aliis caſtitas tibi ingenita & innata.* Statius in lib. V. Sylv.

Nec tantum pietas, ſed protinus ardua virtus
Affectata tibi.

Atque iſte vocabuli uſus, quod non de homine ſed de re uſurpatur, ipſe ejus origini magis conſentaneus eſt; ſiquidem homo eſt qui affectat: res autem, quæ affectatur. Feſtus: *Affectare eſt pronum animum ad faciendum habere.* Ita dicunt *affectare cruorem alicujus, affectare diligentiam, affectare iter, regnum.*

CAP. XVI.

De verbis aſportare, compilare, *& aliis quibusdam, quæ non juſto ſignificatu a nonnullis uſurpantur.*

SUnt & verba quædam, quæ non juſto ſignificatu vulgo uſurpantur. Eſtque inter ea primo verbum *aſportare*, quod nonnulli pro *apportare*, *afferre*, uſurpant. Ita ſcriptum alicubi memini, *libros quosdam ex Oriente aſportatos eſſe*, pro eo, quod dicendum fuiſſet, *ex Oriente apportatos eſſe.* Et Joh. Schröderus in utiliſſimo opere, quod Pharmacopœiam inſcripſit, inter cetera ſic habet: *Oleum terræ ante paucos annos nobis innotuit ex India aſportatum.* Vult utique ille, oleum terræ ad nos ex India apportatum eſſe. Ad quem modum Plinius lib. VII. cap. 56. ſcribit, *plumbum ex Caſſiteride primum apportaſſe Midacritum.* Hic igitur non *aſportatum*, ſed *apportatum* dicendum fuit. Quippe *aſportare* eſt pro *abſportare*; & ſignificat proprie id, quod noſtra lingua dicimus *wegtragen*, *wegbringen.* Terentius Phorm. Act. III. Sc. 3. *Quoquo hinc aſportabitur terrarum,*

terrarum, certum est persequi, aut perire. Cicero III. in Verrem: *Omnia ex fanis, ex locis publicis, palam spectantibus omnibus, ploſtris evecta asportataque.* Idem VI. in Verr. *Simulacrum avellendum, asportandumque curavit.* Ex quibus omnibus apparet, verbum *asportare*, præterquam quod actum portandi notat, ipſum quoque motum de loco notare; cum *apportare* motum ad locum notet. Conjungitur enim cum verbis *avellere*, *evehere*; habetque adverbium *hinc* ſibi additum. Clariſſimus Böclerus in Indice in Nepotem idem verbum binis vocibus *illuc conferre* exponit; quaſi motum quoque ad locum denotaret atque involveret: verum aliter omnino res ſe habet. Adjiciuntur quidem & vocabula, quæ motum ad locum involvant: verum ex eo colligendum non eſt, quod verbum per ſe ſpectatum idem ſit, quod *illuc conferre*. Locus Nepotis, ad quem alluditur, eſt in Themiſtocle, & ſic habet: *Sua omnia, quæ moveri poterant, partim Salamina, partim Trœzenem asportant.* Ubi motus ad locum non verbo *asportare*, ſed nominibus *Salamina* & *Trœzenem*, vel potius præpoſitione ad hæc eadem ſubaudienda, eſt expreſſus. Dicitur enim *Salamina* pro *ad Salaminam*: quam formam loquendi plenam nonnunquam & uſurpari in capite 29. libri de Latinitate falſo ſuſp. monuimus. Germani mei dicerent, *wegbringen nach Salamin, nach Trœzen.* Vetus onomaſticon Pricæo in notis ad Apulejum laudatum habet *Asportare* ἐμφέρειν. Sed legendum videtur ἐκφέρειν; ut Græca præpoſitio ἐκ Latinæ *abs* reſpondeat. Sane Gloſſarium Philoxeni habet melius, *asportavit* ἐξεφορτίσατο. Significat enim, quod, quomodo in verbo Græco præpoſitio ἐξ motum de loco denotat, ita in Latino *asportare* præpoſitio *abs* idem præſtet. Quod autem per ſyncopen literæ B dicitur *asportare* pro *abſportare*,

portare, ei simile est, quod pari modo dicunt *aspellere* pro *abspellere*. Plautus Trin. Act. III. Sc. 2. *Ille qui aspellit, compellit: qui consuadet, vetat.* Cicero lib. II. Tusc. ex Poeta: *Sed longe a læto numine aspellor Jovis.* Sed quærat quispiam, quid igitur in illis, quæ initio proferebamus, desiderari possit; quod videlicet scriptum est *ex Oriente asportari, ex India asportari.* Sane motus de loco non tantum ipso verbo, sed & præpositione *ex* est denotatus. Deinde verum quoque est, oleum, de quo scriptum est, ex India asportari: & similiter quosdam etiam libros asportari ex Oriente. Quæ igitur est causa, quod Vir experientissimus non debuit scribere, *oleum terræ ex India asportari;* sed potius, *idem oleum ex India apportari?* Vult utique ille non hoc tantum, quod oleum terræ ex India asportetur, verum etiam, & quidem præcipue, quod idem oleum in Germaniam, & ad nos apportetur. Cum ergo scripsit, *oleum terræ ante paucos annos nobis innotuisse ex India asportatum*, ad vocem *asportatum* utique subaudiendum reliquit *ad nos.* Et quia τὸ *ad nos* subaudiendum reliquit, *asportatum* eum pro *apportatum* posuisse; eodemque illo motum ad locum notatum voluisse manifestum est. Alius vir clarissimus, cum similiter scriberet, τὸ *ad nos* diserte adjecit. Nimirum Joh. Rhodius in Notis ad Scribonium Largum, p. 131. sic habet: *Castellus cinnamomum ad nos verum non asportari memorat in Antidotario Messanensi.* Quod autem verbum *asportari* & τὸ *ad nos*, sive diserte additum, sive subauditum modo, conjungi non possunt; causa hæc est, quod ipsum verbum *asportare* motum de loco involvit, quodque usus non fert, ut, cum de persona prima loquuntur, ad quam allatum quippiam sit, verbo utantur, quod motum de loco involvat; sed

potius

potius verbo, quod motum ad locum involvat; & quidem verbo *afferre*, aut *apportare*. Varro lib. III. cap. 14. *Genera cochlearum sunt plura: ut minutæ albulæ, quæ afferuntur e Reatino: & maximæ, quæ de Illyrico apportantur: & mediocres, quæ ex Africa afferuntur.* Ecce, cum ille cochleas Romam, ubi ipse scripsit, afferri velit, non scribit *asportari eas e Reatino, de Illyrico, ex Africa;* sed *afferri e Reatino, apportari de Illyrico, afferri ex Africa.* Sic & Plinius, ut jam supra diximus, scribit, *plumbum ex Cassiteride insula primum apportasse Midacritum.* Exprimitur utrobique locus, unde apportatum aliquid sit, atque ita motus de loco notatur; nec tamen *asportare*, sed *apportare*, aut *afferre* usurpatum hic videmus.

Porro & de verbo *compilare* videamus. De eo Loosæus in Scopis Latinæ linguæ ita: *Indoctis est colligere sive sublegere, & selecta simul colligare & in unum acervum cogere. Quique huic studio incumbit, ficto illinc nomine compilator dicitur.* Et sane proximis superioribus sæculis frequentissimus iste vocabuli usus fuit. Exempli gratia auctor libri, cujus inscriptio est *Lumen animæ*, librum suum sic exorsus est: *Summi mihi Pontificis favente gratia ejus pariter ad instinctum hunc decrevi ad laudem Dei & in salutem proximi compilare, edereque tractatum.* Hic *compilare tractatum* nihil aliud est quam *congerere, colligere tractatum.* Deinde & nostra ætate sic usurpari vocem videas. Ut, quem librum *Consensum orthodoxum sacræ Scripturæ & veteris Ecclesiæ* auctor dixerat, Theologi quidam Wirtembergici *Compilationem Cinglianam* dixerunt. Pari modo, quos *Dissertationum sacrarum libros tres* ego inscripseram, Gerhardus Titius *Dissertationum sacrarum compilationem* vocavit. Cumque inhumanitati tributum

id ipsi a me fuisset, quod librum meum *compilationem* vocasset, respondit ille: *Compilationis etiam vox quid quæso indecori, aut quod Dissertationibus tuis non conveniat, habet?* Putat ergo, vocabulum *compilationis* nihil indecori involvere; atque ita declarat, vocabulo ita se usum esse, ut Loosæus dicebat, id est, ut quamcumque collectionem significet. At ego credideram, prorsus Latine ipsum vocabulo uti voluisse: ut videlicet aliquid etiam indecori denotaret. Nunc quia aliud ipsum voluisse intelligo, inhumanitatis, quod quidem ad istud vocabulum attinet, plane ipsum absolvo; ceterum minus Latinum illum vocabuli usum esse contendo. Veteres Latini quidem non nisi notione furti, reique indecoræ, vocabulo isto utuntur. Dicunt enim *compilare ædes, compilare fana, compilare hominem, compilare rempublicam:* ut planissime nostro *bestehlen* vocabulum respondeat. Cicero lib. I. de Nat. D. *Tot millia latrocinantur morte proposita: alii omnia quæ possunt fana compilant.* Plautus Asinariæ Act. II. Sc. 2. *Illic homo ædes compilavit.* Horatius lib. I. Sat. 1.

Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent, fugientes. - -

Martialis lib. VI. ep. 72.

Vir notæ nimium rapacitatis
Compilare Cilix volebat hortum.

Deinde dicunt *compilare pecuniam, vestes:* ut vox respondeat simplici nostro *stehlen*, aut composito *wegstehlen.* Plautus Menæchmorum Act. IV. sc. 1. *Ego hic me patiar in matrimonio, ubi vir compilet clanculum, quicquid domi est, atque ad amicam deferat?* Dicunt pro eo & *suppilare.* Idem Plautus Menæchm. Act. V. sc. 1. *Cum pallam atque aurum meum domo suppilas uxori tuæ, & tuæ degeris amicæ.* Atque

que ea vocabulorum significatio ipsi quoque eorum origini est consentanea. Recte enim suspicati Lambinus atque Bosius sunt, tria illa verba *compilare*, *expilare*, *suppilare* originem debere vocabulo Græco φιλήτης, quod significat *furem*. Falsi autem ex veteribus Asconius Pædianus ac Nonius, quod a Latino *pilus* vocabula illa derivarunt; & ex recentioribus Josephus Scaliger, quod a Latino *pilum* eadem orta credidit. Asconius quidem ad Actionem Ciceronis in Verr. de præt. urb. sic: *Compilarit, pilos pervellerit: sic fraudaverit furto, ut ne pilos quidem in corpore spoliatis reliquerit.* Nonius autem: *Suppilare est involare vel rapere, a pilorum raptu: unde & furtum passi compilati dicuntur.* Et de Asconio quidem recte Scaliger ad Festum: *Hæc indigna sunt & veteri & erudito interprete. Saltem syllabæ modulus debebat eum inducere, ut aliter existimaret.* At nec ista derivatio, quam ipse Scaliger fecit, nobis satisfacit. *Sed verbum est militare*, inquit, *compilare, cogere. Nam pilatum agmen dicebatur pressum ac densum. Varro apud Servium Danielis nostri: Duo sunt genera agminum. Quadratum, quod immistis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere. Pilatum alterum, quod sine jumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur. Scaurus de vita sua: In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi, id est, strictim & dense. Ab eo pilare est premere, cogere. Hostibus Belli Histrici primo:*

Percuit atque hastam pilans præ pondere frangit.

Idem: *Sententia præsto Pectore pilata est. Asellio Sempronius: Quartum signum accedebat, sive pilatim, sive passim iter facere volebat. Ennius Satyrarum secundo:*

Inde

Inde loci liquidas, pilatasque ætheris ōras
Contemplo. - - hoc est, pressas, densas, &, ut ipse ante dicit, liquidas. Ab eo igitur compilare: non, ut Asconius, a pilis. Qui igitur omnia pressim colligit, dicitur compilare. Quare hic (apud Festum) *recte cogere, ut in unum condere exponitur.* Firmare Scaliger studuit id, quod Festus scripserat; *Compilare est cogere & in unum condere.* Produxit igitur quod Latini dicunt *pilatum agmen, pilatim exercitum ducere*, & alia quædam. Ad verbi compositi *compilare* nullum exemplum attulit. Debuisset autem & hujus exemplum producere. Nobis in auctoribus nihil dum observatum est aliud quam quod *compilare* in malam partem accipiatur, & idem significet quod furari, spoliare; id quod & supra demonstravimus. Et consentanea huic vocis significationi sunt cetera composita, *expilare* & *suppilare*; & eorundem item origo: quæ nusquam rectius quam a Græco φιλήτης repetetur. Hæc vox enim sine dubio *furem* significat; & literæ Græcæ φ in Latinam P facilis est transitus, utpote quæ ejusdem est instrumenti. Quæ autem verborum *expilare* & *suppilare* origo est, eam & verbi *compilare* esse oportet. Deinde & propria significatio omnium fere eadem est, ut idem sint, quod *furto auferre.* Impropria vero & figurata significatio est, quod Horatius lib. I. Sat. 1. dicit, *Crispini scrinia compilare;* & Cicero Orat. pro Mur. *Jurisconsultorum sapientiam compilare.* Et apparet, significationem non minus figuratam, quam propriam, aliquid indecori significare, & quidem quod clam aliunde aliquid depromseris, nec, per quos profeceris, fateri velis.

Verba *spectare* & *pertinere* quidam usurpant notione possessionis. Exempli gratia Famianus Strada: *Burgundia ad Belgii Principem spectat.* Item: *Germanos*

manos ad Caroli Cæsaris imperium spectasse. Quo nomine & reprehensus est a Scioppio in libello, quo Latinitatem ejus examinavit. Dicendum omnino ei fuit, *Burgundia in ditione est Principis Belgii, Burgundia juris est Principis Belgii.* Item: *Germanos fuisse in ditione Caroli, Germanos paruisse Carolo.* Quod nostri pueri dicunt, *Liber ad me spectat, ad me pertinet*, phrasin sibi ipsi fingunt ad illud, quod lingua vernacula dicimus, *Das buch gehoret mir zu.* Possent autem defungi paucioribus, & dicere, *Liber est meus.* Phrases *spectare ad aliquem, pertinere ad aliquem*, satis Latinæ quidem sunt; sed justa notione usurpatæ. Virgilius: *Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.* Cicero Epp. ad Att. *Consilium ejus ad bellum spectat.* Pari modo dicunt, *Res ad concordiam, ad rebellionem, ad interregnum spectat.* Cicero pro Dejot. *Ad te unum omnis mea spectat oratio.* Ubi accusativus quidem personæ apparet; sed verbum *spectare* non notione possessionis est usurpatum. Pari modo dicunt *pertinere ad aliquem*; sed itidem alia, quam possessionis notione. Cicero de Amic. *Eadem bonitas ad multitudinem pertinet.* Item: *Quod non feciissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur.* In quibus *pertinere* utique officium denotat. Idem 2. de Or. *Late patet* (hæc ars) *& ad multos pertinet.* Et I. de Off. *Hoc latissime patet, ad plurimosque pertinet.* Ubi artem *ad multos pertinere*, idem est quod artem in multis esse, vel, ut multi ei operam dent, æquum esse. Rursus in Or. pro Marc. *Id etiamsi tunc ad te, ut quidam falso putant, non pertinebit, nunc certe pertinet.* Ubi *pertinere ad aliquem*, est alicujus interesse.

Verbum *indigitare* quoque frequentissime hodie usurpatur, & notione quidem indicationis & nominationis;

nationis; cum apud veteres admodum rarum sit, &, si quando inveniatur, non pro *nominare*, aut *indicare*, sed pro *invocare* positum sit. Gerh. Titius p. 223. Responsi sui prioris: *Cum tamen in verbis Lucæ & Pauli indigitatis improprie sumatur* (vox ποτάριον puta.) Ubi apparet, *indigitatis* positum ab illo esse pro *indicatis*, aut *nominatis*; quasi verbum sit a præpositione *in* & nomine *digitus*. Pari modo Drusius libro III. Quæstione 60. *Ut intelligere possimus, caligas, quibus hodie ditiores utuntur, ex corio Hispanico, quas Belgæ brosecinos indigetant.* Ubi *indigetant* est pro *vocant, appellant*. Nec aliter Grotius in vers. 7. c. 23. Matth. & v. 7. c. 2. Marc. Casaubonus præf. in Polybium, & Salmasius Exercitat. in Solinum pag 47. Verum ejus vocabuli significationis exempla apud veteres non observantur; sed *indigitare*, si quando observantur, idem est quod *invocare*. Ut in illo Macrobii lib. I. Saturnal. c. 18. *Virgines Vestales ita indigitant, Apollo Medice, Apollo Pæan.* In Lexico Stephani locum sic citatum videas, *Virgines Vestales ita Apollinem indigitant*. Verum nomen quarti casus *Apollinem* in contextu Macrobii non est additum. Servius ab librum XII. Æneidos manifeste: *Alii ab invocatione indigetes dictos volunt, quod indigito est precor, invoco*. Vult ille, Deos indigetes a quibusdam ita dictos putari, quod indigitentur, id est, invocentur; quia indigito idem sit quod *precor, invoco*. Videsis Vossium lib. 1. de vit. Lat. serm. cap. 34. & Etymologico Lat. ling. ad vocem *Indigamenta*; itemque Buchnerum ad Lexicon Fabri.

Verbi *afferre* non rectus usus est, si quis dicat, *afferre equum, afferre navem, afferre hominem*. Scripsit Lauredanus, ut observavit alius, *Naves onerarias quatuor secum afferens*. Et Bembus, *Legatus equum Patribus attulit*. Sed non recte loqui, qui sic loquuntur,

quuntur, intelligi vel ex Plauti Pseudolo licet; ubi, cum quidam dixisset, *Attuli hunc*, alter vero diceret, *Quid attulisti*; Illud, quod dictum fuerat, corrigitur his verbis, *Adduxi, volui dicere.* Hinc enim apparet, illud quod per se incedit, non afferri, sed adduci dicendum esse. Sed *afferre hominem* dici tamen quis possit, si homo infans sit, ac manibus ferri possit. Justinus lib. IV. *Summis precibus rogat sibi afferri ostendique puerum.*

Verbi *adoptare* pravus usus est, si quis dicat, *adoptare ordinem*, pro *adoptari* seu *cooptari in ordinem.* Ad hunc modum Strada: *Sacrum ordinem Cardinalatus libenter adoptant, non ambitiosi, sed providi.* Qui & notatus eo nomine est a Scioppio in libello qui notus est. *Ridicule*, inquit Scioppius, *dicitur quis adoptare ordinem Cardinalium, cum ipse in ordinem illum adoptatur aut cooptatur.* Et recte sane. Quippe *adoptare* & *cooptare* nihil aliud sunt quam *eligere, adsciscere.* Jam ordinem Cardinalium non eligunt & adsciscunt; sed magna ambitione utplurimum id agunt, ut in ordinem illum allegantur & cooptentur. *Cooptare in ordinem, in collegium*, proba phrasis est. Cicero Orat. pro Cœl. *Quam absentem in amplissimum collegium cooptarunt.* Et. I. in Verr. *In senatoribus cooptandis non modo suffragia nulla fuerunt, sed ne genera quidem spectata sunt, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret.*

Verborum *agere* & *agitare* pravus usus est, si dicatur *agere prælia, agitare prælia.* Ita rursus Strada: *Quo successu prælia quotidie agitarentur.* Quod & Scioppius notavit in libello, quo Latinitatem Stradæ examinavit; scripsitque, *nec agere, nec agitare prælia Latine dici:* id quod nobis quoque ita verum videtur. Scripsit quoque Strada, *Nuptiæ septennio post peractæ sunt.* Sed nec illud placet Scioppio; qui

qui scribit, *nec agere, nec peragere, nuptias Latine dici, sed celebrare.*

Verbum *allegare* perperam usurpatur, si pro simplici *legare* ponatur. Ad quem modum scripsit Strada, *Allegatus ab Albano in Angliam Assonvillius;* & notatus eo nomine est a Scioppio in libello, quo Latinitatem ejus hic examinavit. Et jam olim Hadrianus Cardinalis in suo de sermone Latino libello, de differentia verbi compositi *allegare* & simplicis *legare* monuit; quod videlicet *allegare* sit *quasi in legationem quem rogatum pro parvis privatisque causis mittere: legare pro publicis magnisque rebus.* Antonius autem Schorus in libro de phrasibus Latinæ linguæ hac de re ita: *Allegare significat mittere in privatis negotiis aliquem, aut aliquos ad aliquem, qui nostram causam apud eum agant. Aut quod legare est in publicis rebus, allegare in privatis significat.* Et sane loca auctorum, quæ illi citant, satis id demonstrant. Cicero Orat. pro S. Ros. *Homines nobiles allegat iis qui peterent, ne ad Syllam adirent.* Et Orat. III. in Verr. *Petit a me Rabonius, & amicos allegat, facile impetrat.* Idem in epistolis: *Si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis me præcipue diligi.* Item: *Extremum illud est, ut philosophiam ad te allegem.* Comici item, Plautus & Terentius, sic usurpant. Plautus Casina: *Pater allegavit villicum, qui posceret sibi istam uxorem: Filius autem allegavit armigerum suum.* Terentius Andria: *Te obsecro, ut ne credas, a me esse allegatum hunc senem.* Plura id genus in libro Hadriani, quem dixi, congesta videre licet. Ibidem & verbi simplicis *legare* usus; quem dixi, veterum Scriptorum exemplis est comprobatus. Sed est & alius verbi *allegare* usus, quem prædicti Hadrianus Cardinalis & Antonius Schorus itidem rejiciunt; si

videlicet

videlicet pro *citare* ponatur. Schorus ita: *Allegare non significat apud Ciceronem & veteres auctorum testimonio uti, aut afferre aliquid, quod probet ea, quæ sunt proposita.* Sed notarunt tamen alii, quod inter veteres Plinius, Suetonius & alii ea notione verbum usurparint. Plinius in epistolis ita: *Tam multa allegavit, quæ ad rem propositam pertinere minime videbantur.* Item: *Adhibes preces, allegas exemplum.* Citarunt hæc Stephanus & Curio in Lexicis, & in eandem sententiam nonnulla item alia.

Verbi *appellere* parvus usus est, si dicatur *Navis appulit* pro *navis appulsa est*: Id quod Gerh. Joh. Vossius & Ant. Schorus plane vulgare esse dicunt. Scripserat ita Poggius Florentinus, eoque nomine a Laur. Valla notatus est. Verba ejus fuerant: *Rerum quas miseram Pisas per unam navem, quæ ut certum est, jamdudum appulit in portum.* Et sane, quod dicendum sit non, *navis appulit*, sed *navis appulsa est*, facile intelligi potest, si modo, ut Cicero in Bruto suadet, rationem tanquam obrussam adhibeamus. Quod appellit, id appellit vel seipsum, vel aliud. Jam navis appellere seipsam non potest, quippe quæ principio motus interno caret; sed appellit eam ventus, quique eam gubernaculo dirigit, aut remis propellit, homo. Deinde neque aliud quippiam navis appellit; &, si faceret, huc tamen illud non pertineret. Nam quod Poggius dixit, *navem appulisse in portum*, mens ejus est, navem in portum venisse. Ceterum quod naves *appelli* & *appulsæ esse* dicantur, ejus exempla passim sunt obvia. Livius lib. XXVII. *Canere inde tubæ simul ab arce, & aportu, & a navibus, quæ aperto mari appulsæ essent.* Cicero VII. in Verr. *Posteaquam paulum provecta classis est, & Pachynum quinto die denique appulsa est.* Item ibidem: *Appellitur navis Syracusas.* Corn. Nepos Miltiade: *Ille præfecti regii classe ad*

Eubœam appulsa celeriter Eretriam ceperunt. Deinde ipsos quoque homines *navem* aut *classem appellere* dicunt. Nepos Thrasybulo: *Cum Prætor classem ad Ciliciam appulisset.* Cicero III. de nat.D. *Qui cum ad Peloponnesum classem appulisset.* Sed de hominibus non modo dicunt, quod *navem appellant*, sed & nomine non addito, quod *appellant*; nec tantum, si vehantur nave, sed & si alia ratione aliquo perveniant. Livius lib. IIX. *Eo anno Alexandrum Epiri regem in Italiam classe appulisse constat.* Non dixit, Alexandrum *classem appulisse* in Italiam; sed eundem *classe appulisse.* Quintilianus lib. VII. cap. 4. *Pater ejus a transmarina peregrinatione, cum ad littus idem appulisset, lecto nomine suspendit se.* Cic. I. de Div. *Visus est in somnis pastor ad me appellere.* Non est autem dubium, quin in talibus subaudiendus sit accusativus pronominis reciproci, & *appellere classe in Italiam* dictum pro *appellere se classe in Italiam*; & *visus est ad me appellere* pro *visus est se ad me appellere.* Sane Terentius Andr. Act. IV. Sc. 6. dicit, *Haud auspicato huc me appuli.* Estque Phrasis *appellere se aliquo* talis, quales sunt *ferre se aliquo*, *proripere se aliquo*, *ducere se aliquo*, *facere se aliquo*: quarum phrasium postremam in libro de Latinitate falso susp. ex Apulejo produximus. Sed annon ipse quoque homo nave aut classe *appelli* dici possit; Potest utique. Sulpicius Severus Dial. I. *Tricesimo die Massiliam appulsus, inde huc decimo pervenerim.* Sed & ipse Cicero alicubi dicit *appelli navigiis in Siciliam.* Et sane dum navis appellitur aliquo, ipse simul homo, qui in navi est, appellitur. Præcipue autem vectores, quos Latini vocant, recte dici poterunt appelli. Hi enim in navi fere otiosi sunt; neque ut gubernator ceteræque operæ navem dirigunt aut propellunt.

CAP.

CAPVT XVII.

De verborum adhibere, confundere, seducere, *& aliorum quorundam significatione antiqua quidem, sed non tamen ævi Ciceroniani.*

A Verbis, quæ proximo superiore capite congessimus, separare libuit verba *adhibere, confundere,* & alia quædam. Hæc itidem significatione non justa usurpari subinde videas; sed non tali tamen, quæ nostra demum aut patrum memoria exorta sit, sed jam mille amplius abhinc annos. Quamvis autem verborum illorum significatio tam antiqua omnino sit: tamen quia ævo Ciceronis non obtinuit, ii, qui Ciceronem, hujusque æquales imitari velint, ut quidem inter literatos convenit fere, jam ab eadem cavere sibi debebunt. Dicunt hodie passim, *adhibere fidem alicui* pro *habere fidem alicui.* Josephus Scaliger in Animadverss. Euseb. pag. 176. *Huic commento omnes Philologi fidem adhibuerunt.* Antonius Schorus, vir alioquin sermonis Latini observantissimus, in libro de Phrasibus Latinæ linguæ, ad verbum *Diffido: Non significat quod vulgus putat, Fidem non adhibeo; sed despero, non confido.* Et credidit fortasse ille, ejus phraseos usus exempla in ipso quoque Cicerone se observasse. Nimirum in libro II. Ciceronis de Divinatione editiones quædam habent sic: *Quod si insanorum visis fides non est adhibenda, quia falsa sunt, cur credatur somniantium visis, quæ multo etiam perturbatiora sunt?* Verum editiones meliores, quæ ad fidem codicum MSS. emendatæ sunt, ut Manutii & Gruteri, pro *adhibenda* habent *habenda;* ut Cicero sicut frequentissime alibi, ita hic quoque scripserit *habere fidem.* Sed non putandum tamen, phrasin *fidem alicui ad-*

hibere, noſtro demum ævo formari cœpiſſe. Uſi enim ea ſunt, qui mille amplius abhinc annis ſcripſerunt, Hieronymus, Auguſtinus, Sulp. Severus, Auſonius, & alii. Auſonius ep. X. *Si qua fides falſis unquam eſt adhibenda poëtis.* Sulpitius in Vita Mart. *Obſecro eos, qui lecturi ſunt, ut fidem dictis adhibeant.* Item: *Martinus non temere adhibens incertis fidem.* Rurſus: *Cum fidem nullus adhiberet.* Auguſtinus lib. de ſpir. & lit. cap. XXXI. *De hac fide nunc loquimur, quam adhibemus, cum aliquid credimus; non quam damus, cum aliquid pollicemur. Nam & ipſa dicitur fides. Sed aliter dicitur. Non mihi habuit fidem: aliter autem, Non mihi ſervavit fidem.* Notat ille diverſam vocabuli *fides* ſignificationem, quæ ſit in phraſibus *adhibere fidem* & *dare fidem.* Ceterum *fidem adhibere* nos dicit, cum aliquid credimus: atque ita ſignificat, eadem notione ſe phraſin uſurpare, qua uſurpavit Sulpicius; ut nimirum idem ſit quod *credere.* Sed mox tamen antiquorum more dicit etiam *habere fidem.* Sunt autem in phraſibus *habere alicui fidem*, & *adhibere alicui fidem*, verba *habere* & *adhibere* idem quod *tribuere.* At Plautus, quod phraſi *adhibere fidem* uſus eſt, tum verbum, tum quoque nomen alia notione poſuit. Habet ille Rudentis Act. IV. Sc. 2. ſic:

Quanquam ad ignotum arbitrum appellis, ſi adhibebit fidem,
Etſi eſt ignotus, notus eſt: ſi non notus, ignotiſſimus eſt.

Et *adhibere fidem* idem hic eſt quod *fide uti*, *integre & fideliter agere.* Eſtque talis phraſis, quales ſunt *adhibere diligentiam, adhibere curam, adhibere rationem, adhibere judicium.* In talibus enim *adhibere* idem eſt quod *uti.* Cicero in Bruto: *Quo magis expur-*

expurgandus est sermo, & adhibenda tanquam obrussa ratio, quæ mutari non potest. Quintilianus lib. X. cap. 3. *Quæramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus: adhibeamus judicium inventis.*

Porro & de verbo *confundi* videamus. Usurpant hoc pro *pudore affici, pudore confundi*, atque ita certam perturbationum speciem eo vocabulo designant. Quod quidem ita faciunt exemplo antiqui sacrarum literarum Interpretis, cujus versionem scilicet multum terunt. Utitur Interpres verbo isto ad efferenda vocabula Hebræa חפר בוש & similia, quæ *erubescere & pudore affici* significant. Ut Ps. XXX. *In te Domine speravi: non confundar in æternum.* Et Ps. XXXIII. *Facies vestræ non confundentur.* Idem Ps. XXXIV. *Confundantur & revereantur.* Conjungitur etiam *confundi & erubescere.* Ut Es. XXII, 22. *Confunderis & erubesces.* Et XXXI, 19. *Confusus sum & erubui.* Sed & verbo activum *Confundere* pro *rubore suffundere, pudorem incutere*, in ea versione sæpe visitur. Deinde & alii ejus ævi Scriptores eadem notione verbum usurpant. Sulpicius Severus in vita Mart. *Quo lecto clamor populi tollitur, pars diversa confunditur.* Antiquiores, si per metaphoram vocabulo uterentur, generali notione usi sunt, & quidem pro *affici, perturbari.* Livius lib VI. *Confusam eam ex recenti morsu animi cum pater forte vidisset, percontatus, satin salvæ.* Doluit M. Fabii Ambusti filia, quod homini plebejo nupta esset. Unde & apud Livium sequitur, fassam illam fuisse, *eam esse causam doloris, quod juncta esset impari.* Atque istum feminæ dolorem Livius verbo *confundi* expresit. Plinius lib. III. ep. 20. *Veritus sum, ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam gravissimi luctus reduxissem.* Eadem notione nomen quoque inde derivatum *confusio* usurpat Lib. I. epist. 22. *Erit confusioni meæ non medi-*

ocre solatium, situ nihil quereris. Idem in Panegyrico: *Quam ego audio confusionem tuam fuisse, cum digredientem prosequereris?* Valerius Max. lib. IV. cap. 7. *Nihil est, quod hoc nomine confundaris. Nam & hic Alexander est.* Vult Alexander matrem Darii bono esse animo, nec perturbari, quod Hephæstionem more Persarum adulata tanquam Alexandrum salutarat. Præcedit proxime, quod mater Darii *per summam trepidationem excusationis verba quæsiverit.* Pari modo Vellejus Paterculus, Tacitus, & alii eodem verbo utuntur. Vide Lexicon Fabri locupletatum a Buchnero. Interdum verbo confundi adjiciunt nomina, dicuntque *confundi pudore, confundi dolore.* Plinius lib. V. epist. 5. *Qui nuntius gravi me dolore confudit.* Ovidius in epistola Cydippes ad Acontium:

-- Confusa pudore
Sensi me totis erubuisse genis:

Ex quibus apparet, antiquiores generali *perturbationis*, aut speciali *doloris*, notione verbum istud usurpasse.

Verbum *deputare* usurpant vulgo pro *destinare, assignare, delegare & deputatos* dicunt, quibus certarum rerum cura est commissa. Quæ quidem vocabuli significatio ævo Ciceronis plane ignota fuit. Significabat autem *deputare* tum temporis idem quod *amputare, resecare.* Qua significatione Cato dixit *Deputare vineam.* Deinde quoque idem fuit quod *censere, existimare.* Unde dicunt *deputare in lucro, deputare se malo dignum.* Atque eas solas significationes in Lexicis notare solent. Deberent autem & illam notare, qua *deputare* idem est, quod *destinare, assignare* & cum casu tertio construitur; non quidem ut ea significatione verbum hodie, usurpandum, doceant, sed ideo tantum, ut posterioris ævi scripta intelligantur.

ligantur. Quam ob causam & distincte in Lexicis agendum de talibus foret: quomodo Vir clarissimus Aug. Buchnerus in Additionibus ad Fabrum significationes vocabulorum antiquissimas, & quæ posteriore ævo obtinere cœperunt, diligenter discernere solet, sed in hoc verbo tamen id facere neglexit. Sed ejus, quam dixi, significationis exempla proferamus. Sulpicius Severus lib. I. Hist. sacr. *Turbæ exercendis colendisque agris deputata.* Idem lib II. *Accusatores deputari leonibus præcepit.* Vetus sacrarum literarum Interpres Num. XXXV, 26. *Extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt.* Reperitur quoque constructum cum casu quarto, intercedente præpositione. Ut 2. Macc. IV. *In alios sumptus eas deputari.*

Huc etiam pertinet verbum *seducere*, ut idem pro *decipere*, & *ad malum impellere* usurpatur. Atque eo significatu verbum secure ipsi quoque Viri summi usurpant. Ut Lipsius lib. I. ep. 80. *Vide ne abducat & seducat te affectus:* qui & notatus eo nomine est a Sciopio in Judicio de stylo hist. Hauritur autem verbi usus iste ex versione præcipue sacrarum literarum, quam vulgatam dicunt; in qua quippe frequentissimus usus ille est. Ut Jerem. XXIX, 8. *Non vos seducant prophetæ.* Et L, 6. *Pastores eorum seduxerunt eos.* Item Matth. XXIV, 4. *Videte, ne quis vos seducat.* Et 1. Corinth. III, 18. *Nemo se seducat.* Rursus 2. Cor. XI, 3. *Sicut serpens Hevam seduxit.* Efferuntur verbo isto Græca ἀναπείθειν, πλανᾶν, ἀποπλανᾶν, ἀπατᾶν. Verum in scriptis antiquiorum iste vocabuli usus non observatur, sed significat in illis *seorsum ducere, in locum ab arbitris remotum ducere.* Glossæ Philoxeni: *Seducit*, εἰς τὸ κατ' ἰδίαν ἀποσπᾶ καὶ ἐξάγει. Cicero lib. I. ep. 9. *Quoniam quidam nobiles homines & de me optime meriti nimis amarent inimicum*

cum meum, meque inspectante sæpe in senatu modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur. Ubi *severe seducere* est a cœtu aliquem removere, quasi de gravibus seriisque rebus cum eo deliberare velis. Terentius Hec. Act. II. sc. 1. *Pamphilus me solum seducit foras.* Plautus Curc. Act. II. sc. 3. *Aggredior hominem: saluto adveniens. Salve, inquit, mihi, prehendit dextram, seducit, rogat, quid veniam Cariam.* Seneca ep. XC. *Avaritia dum se ducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena: & multa concupiscendo omnia amisit.* Cum autem vocabulum ab antiquis adeo frequentatum sit, minime id in Lexico Fabri, locupletato illo a Buchnero, omittendum; sed potius duplex ejus significatio, tum quæ apud antiquiores obtinuit, tum quæ post obtinere cœpit, notanda ac discernenda fuit. Sed putant tamen nonnulli, se ipsam quoque illam verbi significationem, de qua initio dicebamus, in scriptis antiquiorum observasse. Et quidem ex Epistolis Ciceronis ad Atticum citant hæc: *Me vero adjuvarent iis in angustiis seductum.* Ubi *seductum* idem esse volunt, quod *deceptum.* Sed fatentur tamen iidem, illud *seductum* a quibusdam codicibus plane abesse. Quare nec ex isto loco ea, quam dixi, vocabuli significatio demonstrari poterit. Quod deinde afferunt ex Terentio, *Etiam nunc me seducere istis dictis postulas*, id itidem satis liquidum non est. Locus est in Andriæ Act. IV. sc. 1. & in plerisque codicibus potius sic legitur, *Etiam nunc me ducere istis dictis postulas?* Sunt etiam codices, qui verbum quidem compositum, verum non *seducere*, sed *subducere* habent. Sed simplex verbum magis huc quadrat. Qui quod ipsa phrasis *dictis ducere* etiam alibi visitur? Phormionis Actus III. Scena II. *Adeon te esse incogitantem atque impudentem, ut phaleratis dictis ducas me.* Vulga-

Vulgaris modus loquendi hodie est, ut dicant *teneor facere* pro *oportet me facere*. Exempli gratia Thuanus lib. LI. *Ut alter alteri octo navigia omnire instructa cum cIↃcc hominibus & commeatu in bimestre idoneo commodare teneatur.* Et Casaubonum notat Scioppius, quod scripserit, *Tenetur nuptias cogitare:* dicitque hoc Barbari genus unum hodie omnibus esse familiarissimum. Ego istum verbi *teneor* usum non quidem plane barbarum dicere velim, quippe quem in Institutionibus Juris, & alibi, observare memini: sed ævi Ciceroniani tamen esse nego. Sunt autem varia, quæ istius loco vocabuli usurpare possis. Scioppius in Judicio de stylo hist. hæc Ciceronis ex ejus Topicis recenset, *Non debebit præstare, quid fornix vitii fecerit.* Item hæc ejusdem, *Et quid alterum alteri præstare oportebit.* Porro autem & hæc, *Id habet operis ac muneris, ut hoc nobis efficiat. Munus meum hoc non est. Cum meæ partes sint hospitum recipiendorum. Principum munus est resistere levitati populari.*

Verbum *præsumere* & ipsum inter ea est, quæ perperam subinde usurpantur. Ejus duæ significationes antiquissimæ sunt, ut jam supra in capite primo monuimus. Una, & quidem propria, significatio est, ut *præsumere* idem sit quod *ante sumere, ante capere;* ac de partibus corporis usurpetur. Ut quod Plinius lib. XXXVI. c. 6. scribit, *Theophrastus auctor est, potores in certamine bibendi præsumere fartnam ejus,* lapidis puta. Altera significatio est, quod *præsumere* idem est quod *augurari, aliquid futurum putare, præsagire;* atque ita ad animum refertur. Quam ob causam ipsum quoque nomen *animo* subinde additur, diciturque *animo præsumere.* Virgilius addit & *spe*, dicitque *spe præsumere bellum.* Plinius autem, *voto & cogitatione.* Ut lib. III. ep. 1.

Hanc ego vitam voto & cogitatione præsumo. Accessit deinde & alia significatio; ut *præsumere* idem esset quod *audere*, *moliri*, *occipere*, & quidem in partem malam. Sulpicius Severus lib. I. Hist. sac. *Illicita præsumens incensum Deo obtulit.* Agit ibi de Ozia rege. Item de Saule agens non multo aliter: *Illicita præsumtione rex ad vicem sacerdotis holocaustum obtulit.* Dixerunt quoque *præsumo facere*, itidem in malam partem, & ut verbum *præsumo* fere redundaret. Concilium Agathense Can. XV. *Civitatenses sive diœcesani presbyteri vel clerici rem ecclesiæ vendere aut donare penitus non præsumant.* Hic *non præsumant vendere aut donare* est pro *non vendant*, *non donent:* quomodo nos dicimus, *keiner unterstehe sich das zu thun*, pro *keiner thue das.* Vide & supra caput primum. Ab istiusmodi igitur locutionibus ei, qui Ciceronem hujusque æquales imitari velit, (merito autem velle omnes debent) cavendum atque abstinendum erit. In scriptis enim Ciceronis, & ejus ævi aliis, hujusmodi locutiones non reperias. Supra in capite primo & de eo diximus, quod Vir clarissimus scripsit *præsumo facere*, quomodo nos dicimus, *ich nehme mir vor etwas zu thun*; eumque loquendi modum, utpote ad phrasin vernaculam effictam, rejecimus. Pertinet autem ad censum eorum, quæ in capite proximo superiore sunt recensita.

CAPUT XIIX.

De vocabulorum hactenus, saltem, *& idgenus aliorum quorundam usu minus Latino.*

PRæter vocabula, quæ *nomina* & *verba* a Grammaticis appellantur, sunt & alia quædam, quæ perperam subinde usurpari videas. Estque inter ea adver-

adverbium *hactenus*. Vulgo hoc de tempore usurpant, putantque idem esse quod *usque ad hoc tempus*. Gerh. Titius pag. 98. Responsi prioris: *Mysterium hoc ab oculis tuis hactenus fuit absconditum*. Atque ita passim & alii. Verum recte Tursellinus in libello de particulis Latinæ linguæ: *Cum usque ad hoc tempus significatur, non solet Hactenus usurpari; sed Adhuc*. Et ante eum Paulus Manutius in Commentario ad epistolam I. lib. II. epistolarum Ciceronis: *Hactenus de re semper usurpatur: Adhuc de tempore. Non enim recte dixeris, Hactenus ita sensi; sed, Adhuc ita sensi. contraque proprie non dicitur, De literis adhuc; sed De literis hactenus*. Et est sane ita: cum efferendum est *usque ad hoc tempus*, Cicero ejusque æquales semper *adhuc* dicunt. Cicero lib. V. ep. 5. *Quod majore in varietate versata est adhuc tua causa, quam homines volebant*. Non dicit ille, *Majore in varietate versata est hactenus tua causa*, ut vulgo dicerent. Ibidem lib. VI. ep. 15. *Neque Cæsari solum, sed etiam amicis ejus omnibus, pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo*. Hodie plerique dicerent, *Sicut hactenus feci*. Et Orat. III. in Verr. *Facinus fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum*. Livius lib. XL. *Adhuc seu cura mea, seu fortuna, restitit parricidio tuo*. Seneca ep. XXIV. *Non pro mea adhuc, sed pro patriæ libertate pugnavi*. Nepos Miltiade: *Qua pugna nihil adhuc est nobilius*. Alterum illud, quod hodie toties pro *adhuc* usurpatur, antiquis illis idem est, quod *ad hunc usque locum*. Virgilius lib. VI. per tmesin: *Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta*. Præmissum erat ab Ænea:

Tot maria intravi duce te: penitusque repostas
Massylum gentes, prætentaque Syrtibus arva:
Jam tandem Italiæ fugientes prendimus oras.

Ut satis appareat, *hactenus* idem esse, quod *ad hunc usque*

usque locum. Sæpe & de loco libri usurpatur. Ut initio libri II. Georg. Virgilii:

Hactenus arvorum cultus & sidera cœli.

Cicero lib. II ep 1. *Sed de literis hactenus*, id est, ad hunc usque locum epistolæ. Et in talibus, ut Manutius monebat, nunquam *adhuc* usurpatur; quemadmodum cum de tempore agitur, nunquam *hactenus*. Loquor autem de antiquioribus, quorum & verba protuli. Nam posteriore ævo *hactenus* pro *adhuc* usurpatum fuisse non nego.

Porro vero & de voce *saltem* videamus. Eam hodie vulgo usurpant pro *tantum*. Ut Gerh. Titius pag. 49. Resp. prioris: *E qua periodo tu priora saltem verba citasti.* Atque ita ille passim scribit. Sic & Lipsius Cent. I. ep. 28. *Fucos poëtarum saltem tetigi.* Estque hic vocabuli usus hodie frequentissimus. Sed monuerunt Viri docti non semel, usum hunc vocabuli minus probum esse: utpote Gerh. Joh. Vossius in cap. XXXV. libri de vitiis Latini sermonis & Caspar Scioppius non uno loco. Monueram & ipse in Epist. priore ad Gerh. Titium. Verum is in Responso suo hunc vocabuli usum defendere laborat, provocando ad Plautum, cujus loca in Lexico Plautino notarit Paræus. Loca Plauti videamus. Primus est Capt. Act. III. Sc. 1. & sic habet: *Saltem, si non arriderent, dentes ut restringerent.* Verum *saltem* hic manifeste est pro *minimum* & quod nos dicimus *zum wenigsten.* Conqueritur ibi parasitus, quod cum multos adolescentes sollicitasset, ut se ad prandium aut cœnam ducerent, nemo tamen se id facturum professus esset; sed omnes vel tacuissent, vel abnuissent. Dixisse se unum dictum ridiculum de melioribus, quibus antea menstruales epulas adipisci solitus esset; verum neminem risisse, & ne canem quidem irritatam imitari quemquam voluisse. Deinde subjicit: *Saltem, si non arriderent, dentes ut restringerent.*

gerent. Et sensus est, si nollent ridere, minimum dentes debuisse restringere, atque ita declarare, dicta & jocos parasiti non omnino sibi displicuisse. Alter locus est Curc. Act. IV. sc. 2. & sic habet: *Hi saltem in occultis locis prostant: vos in foro ipso.* Sed hic quoque *saltem* non idem quod *tantum;* sed, ut alibi, idem quod *minimum* est. Cum parasitus de lenonibus disseruisset, ac malos eorum mores perstrinxisset, interpellat eum trapezita, dicitque: *Ædepol lenones meo animo novisti lepide.* Tum vero parasitus Curculio ad trapezitam conversus: *Eodem hercle,* inquit, *vos pono & paro: parissimi* (vos trapezitæ) *estis iibus. Hi saltem in occultis locis prostant, vos in foro ipso. Vos fœnore, hi male suadendo & lustris lacerant homines.* Hic quis non videt *saltem* significationem obtinere usitatam, idemque esse quod *minimum?* Vult parasitus, lenones, cum & ipsi hominibus incommodent, saltem, id est, minimum in locis occultis id facere: nec in locis publicis & in foro id facere sustinere: trapezitas autem adeo impudentes esse, ut in ipso foro homines lacerent. Sic & in ceteris, quæ Paræus citavit, locis, vel manifestum plane est *saltem* idem esse quod *minimum;* vel minimum *saltem* pro *tantum* accipi non est necesse. In loco Pœnuli, Act. III. sc. 1. annon manifestum itidem est, *saltem* idem esse quod *minimum?* Verba sic habent: *Obsecro operam celocem hanc mihi, ne corbitam date: attrepidate saltem; nam vos approperare haud postulo.* Cum requisivisset, ut operam sibi celocem, non corbitam, id est, celerem, non tardam, darent, deinde quasi corrigit se, requiritque, ut saltem, id est, minimum, attrepidassent. Atque eam vocabuli significationem & origo ejus, quam Servius & Donatus tradidere, confirmat. Quorum ille in quartum Æneidos: *Hoc tractum*

est

est a captivis, qui cum tenerentur ab hostibus, dicebant, sublatis omnibus salutem concede. Donatus ad Andr. II, 1. 13. *Ut aliquot saltem nuptiis prodat dies: Desperatis rebus solam petentes salutem hoc verbo utimur.* Item ad Adelph. II. 2. 41. *Vox nata a captivis, qui nihil aliud præter salutem a victore petunt.* Testatur quoque Gellius lib. XII. cap. 14. *fuisse hominem in libris atque literis assiduum, qui diceret saltem sibi dictum videri, Ut litera media extrita. Salutem enim ante dictum, quod Latini saltem dicerent. Nam cum alia quædam petita & non impetrata sunt, tum solere quasi extremum aliquid petituros, quod negari minime debeat, dicere, hoc saltem fieri aut dari oportere; tanquam salutem postremo petentes, quam impetrari certe & obtineri sit æquissimum.* Sed quoniam ipsi Gellio nimis commentitium hoc visum fuit, idemque amplius quærendum censuit; & quia in codicibus manu scriptis etiam *saltim* reperitur: crediderim potius, *saltum* factum esse a *salto*, quomodo *cursim* a *cursu*, & *raptim* a *raptu*, & *sensim* a *sensu*, & *statim* a *statu*; quomodo & Prisciano visum fuisse ex libro ejus XV. apparet. Atque ea vocabuli origo eam quam dixi significationem & ipsa confirmat, nam cum saltim, id est, minimum, hoc vel illud petere aut velle nos dicimus, tunc alia quædam omittimus & quasi transilimus. Exempli gratia in illo Terentii Eun. Act. I. sc. 2. *Ego impetrare nequeo hæc abs te, biduum saltem ut concedas solum.* Thais desiderat, ut, si plures dies non possint, saltem, id est minimum, solum biduum concedatur. Excipit Phædria: *Si quidem biduum: verum ne fiant isti viginti dies.* Et respondet rursus Thais: *Profecto non plus biduum.* Jac. Kokertus Indice in Terentium *saltem* voce *solum* hic exponit: & ubi de Terentii pleonasmis agit, *saltem solum* in pleonasmis numerat.

numerat. Verum *ſolum* nomen hic eſt adjectivum, & pertinet ad *biduum:* ut ordo vocum ſit *ſolum biduum ut ſaltem concedas.* Noſtri dicerent, *Daß du zum wenigſten nur zwey tage zugeben wolleſt.* Dixerat ante Thais, *Sine illum priores partes hoſce aliquot dies apud me habere;* atque ita petierat, ut dies pluſculos Phædria concederet. Cum autem is indignaretur, ſubjicit deinde, *Ego impetrare nequeo hoc abs te: biduum ſaltem ut concedas ſolum.* Quia diceret: Quia impetrare abs te nequeo, ut plures dies concedas, rogo, ut ſaltem biduum concedas. Vellejus Paterculus in lib. II. voces *ſaltem* & *tantummodo* conjunxit; quaſi ἐκ παραλλήλου poſitæ, & una per alteram expoſita eſſet. Verba ejus hæc ſunt: *Velut in hoc ſaltem tantummodo indulgente nobis fortuna, ne occupato duce.* Verum conjicit Gruterus, alterum duorum gloſſema eſſe, & præter auctoris mentem irrepſiſſe. Quod tamen nobis non videtur. Quemadmodum enim in verbis proximis Terentii *ſaltem* & *ſolum* conjungi potuere: ita a Vellejo *ſaltem* & *tantummodo.* Ceterum ut apud Terentium vocum *ſaltem* & *ſolum* non eadem omnino vis eſt: ita nec apud Vellejum vocum *ſaltem* & *tantummodo.* Vox *ſaltem* quidem idem hic eſt quod *minimum:* quomodo & alibi. Ac vim ejus Bœclerus in Notis ad Vellejum optime expreſſit his verbis: *In tanta calamitate* (cæſi Vari, trucidaturumque legionum trium) *illud tamen pro beneficio fortunæ eſt agnoſcendum, quod hæc clades non acciderit occupato diſtrictoque alibi duce Tiberio.* Conjunxit igitur Vellejus *ſaltem* & *tantummodo*, quomodo & nos dicimus *zum wenigſten nur.* In Ciceronis, hujusque æqualium, ſcriptis *ſaltem* pro *minimum* perpetuum eſt. Ut Or. III. c. Rull. *Qui provocati a me venire voluerunt, revocati ſaltem revertantur.*

tur. Et pro S. Rosc. *Vere nihil potes dicere: finge aliquid saltem commode.* Item lib. IX. ep. 8. *Aliquo si non bono, at saltem certo statu civitatis.* Et lib. IX. ep. 4. ad Att. *Eripe mihi hunc dolorem, aut minue saltem.*

Quid porro voces *adhuc semel* videntur, si quidem pro *iterum* ea usurpentur. Ita Gerh. Titius in pag. 64. Resp. prioris: *Necdum satiatus tamen tam præclaro de Titio relato triumpho adhuc semel, & ita, ei incumbis.* Et pag. 96. *Ut non oculos tantum adhuc semel feriat, sed os plane obturet, appono iterum syllogismum illum integrum.* Primum dubium est, an Latini dicant *triumphum referre de aliquo. Triumphum agere de aliquo* & *triumphare de aliquo*, nota sunt. Sed quomodo dicitur *victoriam reportare ab aliquo*, ita dicendum videtur *victoriam* aut *triumphum referre ab aliquo*, vel *ex aliquo.* Valerius Max. lib. III. cap. 6. ex. 4. *Navalem triumphum ex Pœnis retulit.* Et lib. IX. cap. 3. ex 4. *Ex Latinis victoriam in urbem referenti.* Porro illud *adhuc semel* formatum videtur ad vernaculum nostrum *noch einmahl*; & dictum ita pro *iterum.* Germani cum nos iterum aliquid facturos significare volumus, dicimus, *ich will es noch einmahl thun.* Neque sensus est, non amplius quam semel nos facturos; sed simpliciter, nos iterum facturos: sive jam semel, sive bis, sive pluries facturi simus. Id igitur Latine non videtur dicendum *Adhuc semel faciam*; sed *Iterum faciam.* Neque tamen negabo, illud *adhuc semel* locum aliquando habere posse; si nimirum dicere velis, non amplius te quam semel, id est, non bis, nec ter, nec pluries, sed tantum semel, facturum aliquid esse.

Vocabuli *abhinc* usum minus Latinum putant quidam, si de tempore futuro usurpetur, dicaturque *Abhinc triennum id faciam:* Gerh. Joh. Vossius puta,

Joh.

Joh. Buchlerus, & alii. Verum de ipso quoque futuro tempore vocem *abhinc* veteres usurpasse ostendit Casp. Scioppius productis verbis Ciceronis ex Orat. pro Rosc. *Repromittis tu abhinc triennium Roscio?* Item verbis Pacuvii, *Seque ad ludos jam inde abhinc exerceant.* Vide Grammaticam ejus philosophicam, & Animadversiones in librum Vossii de vitiis Latini sermonis. Sed de eo quid sentiendum, quod Dionysius Petavius in Tomi II. de dogmatibus ecclesiasticis Præfatione scripsit: *Quæ dogmatum pestilentia, quatenus his nostris temporibus perditorum hominum audacia renovari ac recrudescere cœpit, discent qui volent iis ex libris, qui in Germania, Polonia, Dacia, & finitimis locis pro illa* (Trinitate) *vel contra illam centum abhinc annis prodierunt.* Agit ille de libris, qui proximis centum annis super doctrina de Trinitate prodierunt; eosque *abhinc centum annis prodiisse* dicit. Dubitatur autem, an, si proximis centum annis, vel quod idem est, intra proximos centum annos, aliquid factum significare velis, ad efferendum istud vocabulo *abhinc* uti liceat, & dicere, *centum abhinc annis* illud factum esse. Sane Scriptores veteres, quoties tempus præteritum vocabulo *abhinc* notant, non id volunt, quid intra, sed quid ante tempus illud, factum sit. Cicero III. Verr. *Quæstor Cn. Papirio Consuli fuisti abhinc annis quatuordecim.* Ubi non vult ille, Verrem proximis quatuordecim annis, id est, per & intra proximos quatuordecim annos; sed, ante proximos quatuordecim annos consuli Papirio quæstorem fuisse. Item IV. in Verr. *Offendit eum mensem comitialem comitiis abhinc triginta diebus habitis.* Rursus lib. XII. ep. ad Att. *Quod Cornificio me abhinc amplius annis XXV. spopondisse dicit Flavius.* Et in Orat. pro Rosc. Com. *Criminatio tua quæ est? Roscium cum Flavio*

pro societate decidisse. Quo tempore? abhinc annis XV. Ex Plauti Mercatore citatur, *Qui abhinc sexaginta annis occisus foret.* Ex his igitur apparet, vocem *abhinc* usurpari, cum exprimendum est, ante quot annos hoc vel illud factum sit. An vero usurpari quoque possit, cum exprimendum est, intra quot annos proximos factum aliquid sit, quemadmodum Dionysius Petavius volebat, de eo minus liquet. Scripsit tamen ita & Stubrockius quidam in libr. contra Wendrockium p. 43. *Quid aliud aliquot abhinc annis Jansenistæ vestri fecerunt?* Scribendum autem fuisset *proximis annis.* Terentius Eun. Act II. Sc 3. *Proximis mensibus tribus illum non vidi.* Ubi Donatus: *Proximis, præteritis intelligimus. Proxima enim nobis aut præterita sunt, aut futura.* Et sane de tempore quoque proxime futuro sic loquuntur. Nepos Conone: *Classem qua proxima æstate mare tueri posset.* In calce editionis Valerii Maximi Aldinæ scriptum video: *Cautum est, ne quis abhinc decennium novem hosce Valerii libros impune typis queat excudere.* Quod qui Latine sciens tum cum liber primum exiret legit, putare potuit proximis decem annis licere librum typis denuo exprimi; sed post proximos decem annos idem non licere: atque ita non exigua lucri pars potuit intercipi. Ne autem fieri hoc posset, scribendum fuit, *Proximo decennio*, aut *Proximis decem annis.*

Porro & de vocabulo *iterum* videamus. Eo perperam plurimi utuntur pro *vicissim.* Ut cum dicunt, *Ego iterum tibi gratificabor, Officia mea tibi iterum prompta ac parata erunt.* Tale quoque est illud Gerh. Titii in Repetitione doctr. protest. de S. Cœna: *Expecto solidam eruditiorum informationem, eam iterum candide ad veritatis lancem examinaturus.* Non vult ille solidam eruditiorum informationem sese denuo

&c

& secundo ad lancem veritatis examinaturum, (siquidem informationem illam adhuc expectabat; nec dum illa facta erat) sed, se vicissim examinaturum, quomodo scilicet sua examinari vult ab aliis. Nec melior vocabuli usus, quod Jac. Martinus in Partitionibus Metaphysicis ait: *Deambulatio est causa sanitatis: & iterum sanitas est causa deambulationis.* Antiquis *iterum* idem fuit quod *secundo.* Ut cum dicunt: *Iterum consul, tertio consul.* Cicero pro Rosc. Amer. *Iterum ac tertio nominavi.* Et lib. I. de Invent. *Primo quidem decipi incommodum est: iterum stultum: tertio turpe,* Subinde & geminatur, diciturque *iterum atque iterum, iterum iterumque.* Virgilius lib. VIII. Æn. *Iterum atque iterum fragor intonat ingens.*

Vocabulum *intro* perperam usurpatur, si ponatur pro *intus.* Ut a Thuano in lib. X. *Menzanum castellum aggrediuntur, sed irrito successu; qui intro erant, se gnaviter defendentibus.* Et lib. XI. *Domibus, quæ ex adverso arcis intro sunt, terra oppletis.* Fabius Quintilianus lib. I. cap. 5. satis manifeste: *Intro & intus loci adverbia. Eo tamen intus, & intro sum, solœcismi sunt.* Charisius item lib. I. *Intro est, in locum: intus, in loco dicimus: ut etiam apud Græcos* ἔσω, ἔσω πρὸς ἔνδον. Noti quoque sunt versus Lucilii:

Nam velut INTRO aliud longe est, atque INTUS videmus:
Sic & APUD TE longe aliud est, neque idem valet AD TE
INTRO nos vocat ad se: tenet INTUS apud se.

Vocabula *extrinsecus* & *intrinsecus* perperam vulgo ut nomina adjectiva usurpantur: & quia sic usurpantur, formantur porro inde adverbia *extrinsece, intrinsece*; quomodo a nominibus adjectivis in US terminatis adverbia in E formari solent. Gerh. Titius p. 70. Resp. prioris: *Corporis alicujus humani*

unitatem non distractum iri pluribus, in quibus per omnipotentiam Dei præsens statuitur, locis, utpote essentiæ illius corporis penitus extrinsecis. Item pag. 151. *Toties prædicatum determinat audientis intellectum, ut is particulam* ὀκτικὴν *Hoc referat non ad illud extrinsecum, ad aliquid cum illo extrinseco conjunctum.* Adverbium *extrinsece* habet pag. 115. *Inde*, inquit, *essentialis illa unitas corporis manet salva, etsi pluralitate locorum corpus extrinsece afficiatur.* Antiquiores adverbium *extrinsece* nesciverunt: *ipsum extrinsecus* autem pro adverbio usurparunt. Cicero lib. II. de nat. D. *Ducunt extrinsecus spiritum pulmones.* Et lib. IV. Quæst. Acad. *Irrumpunt extrinsecus in animos nostros per corpus imagines nobis dormientibus.* Varro lib. I. de re rust. c. 41. *Ut non denudes medullam, ne extrinsecus imbres noceant.* Livius Lib. II. *Sine ullo metu extrinsecus imminentis belli.* Nec tamen auctoritate prorsus destituuntur ii, qui voce *extrinsecos*, ut nomine adjectivo, utuntur. Quippe Gregorius M. lib. IIX. ep. 4. *extrinsecam subjectorum utilitatem*, & Boethius lib. III. de Differ. Top. *extrinsecus locos* dixit. Et apparet horum demum ævo vocem *extrinsecus*, ut nomen adjectivum, usurpari cœpisse. Sed contra analogiam tamen id ita factum videtur. Quippe singula ex *secus* composita sunt adverbia: ut *forinsecus*, *altrinsecus*, *utrinquesecus*, *undiquesecus*. Ceterum quia communi quasi populi suffragio decretum est, ut Latinitate, quæ tempore Ciceronis obtinuit, utamur, Gregorii ac Boethii illa relinquamus, &, si talia, qualia illi extulerunt, efferenda nobis obveniant, potius vocabulis *externus* & *internus* utamur.

Voculæ *ut non* ita conjunctæ, est sane ubi recte usurpentur; neque perpetuo, cum in nostra lingua duabus voculis *daß nicht* utimur, Latini unicam voculam *ne* usurpant. Sed cavendum tamen rursus est,

est, ne, ubi unica vocula *ne*, aut binæ *utne*, ponendæ sunt, aliæ binæ *ut non* ponantur. In Elencho Trihæresii scripserat Scaliger, *Non alia ratione id omnium fecimus, nisi ut non esset nostrum.* Sed monitum a Scioppio, scribendum fuisse, *Ideo eam observationem publicavi: ut ne mea tantum esset*, vel, *ne mea tantum esset.* Vide pag. 231. Scaligeri hypob. & pag. 180. Judicii de stylo hist. Yvo Villiomarus, quem ipsum Scaligerum esse credidit Scioppius lib. VI. num. 12. in Rob. Titium scripserat, *Ut non longius discedam, quid ineptius quam caput integrum expositiunculæ versus Virgiliani dicare?* Verum hic quoque scribendum fuisse, *Ne longius discedam*, idem Scioppius monuit. Regulam item constituit hujusmodi: *UT NON eventum notat: Ne & UT NE finem.* Sed & ex bonis auctoribus exempla profert, in quibus ipsum *ut non* apparet. Ut ex Cicerone: *Quæres fecit, ut tibi literis obstrepere non auderem.* Et ex Milite glorioso Plauti: *Meretrices me ad se arcessi lubent: ut suo non liceat operam dare negotio.* Quibus varia alia addi possunt. Varro lib. I. de re rust. *Cujus surculi corticem integrum servandum, & eum sic exacuendum, ut non denudes medullam, ne extrinsecus imbres noceant.* Ubi semel *ut non*, & deinde *ne* positum apparet. Lentulus lib. XII. ep. 14. epistolarum Cic. *Videor esse consecutus, ut non possit classe Dolabella in Italiam pervenire.* Seneca lib. II. de ir. c. 25. *Unde & illud sequitur, ut minimis sordidisque rebus non exacerbemur.* Et Ep. 19. *Non potest fieri, ut non aliquando succedat multa tentanti.* Valerius Max. lib. IV. cap. 3. ext. 4. *Interim a sole mihi velim non obstes.* Ubi *ut* est subaudiendum. Rursus perperam fiet, si post verba timendi duæ voculæ *ut non* pro vocula *ut* sola ponantur: aut vocula *ut*, ubi ponendum erat *ne*. Lud. Molinæus in præf. libri, quem Paræneſin ad

ædificatores imperii in imp. vocat: *Vereor, qui Anglorum populos tam solicite rimantur, ut sua non observent ulcera, & ne multiplicando juris dictiones morbos accersant.* Hic pro *ut non* ponendum fuit *ut* solum, aut voculæ binæ *ne non.* Rursus *ut* solum pro *ne* solo perperam posuit Drusius lib. IV. Observ. c. 16. quod scripsit, *Vereor ut Hieronymus scripserit* κατσίαν σύριγγα. Sæpe ita & Lipsius, & ut observavit Scioppius, vix unquam aliter. Ex. gratia Cent. I. ep. 35. *Austri isti vereor, ut dent majores tempestates.* Et in calce Institutionis epistolicæ: *Hæc dicta anda mihi nunc super epistolis censui cum fructu nonnullo eorum, qui audierunt: vereor ut exiguo, qui tantum legent.* Ubi scribendum sine dubio, *Vereor, ne exiguo* scil. *cum fructu eorum, qui tantum legent.*

Vocula *vel* quoque non recte subinde usurpatur. Ut quod Casaubonus Commentario in Athenæum scripsit, *Ambullæ sorteæ fuerunt aut fictiles vel ex ære.* Hic enim, cum *aut* præcessisset, *aut* item sequi debuisset: uti Scioppius in Judicio de stylo hist. judicat. Simile est, quod Thuanus lib. IX. scripsit, *Ne aut arma sumatis ipsi, vel auxilia illis contra me subministretis.* Subinde & post voculam *an* perperam vocula *vel* usurpatur. Ut quod Possevinus scripsit, *Nescio an hujus concessionis vi Mantuani agros possideant, vel novo jure aucti fuerint.* Et Alciatus, *Ambigo, an hæc Veneris sit imago, vel Berenices.* Dicendum enim illis fuit, *Nescio, hujusne concessionis vi, an novo jure. Ambigo Venerisne hæc imago sit, an Berenices.* Vide Scioppium pag. 124. Judic. de stylo hist. Subinde & Germanis mei iste de voculæ *vel* usu error obrepit; idque occasione vocularum *ob* & *oder.* Putant enim hisce voculis respondere posse Latinas *an* & *vel;* quoniam iisdem sæpe alias respondent. Verum sciendum, nostris illis voculis, ita sese insequentibus, potius

tius Latinas *utrum* & *an* respondere. Cicero lib. IV. Quæst. Acad. *Utrum ea vestra, an nostra culpa est;* Pro quo hodie dicerent, *An vestra vel nostra culpa ea est?* Denique de vocabula *vel* notandum, quod subinde perperam ponatur pro *sive*. Ut si dicatur, *Diana vel Phœbe nihil aliud est quam Luna.* Nimirum cum æquipollentiam vocabulorum denotant Latini, non *vel*, sed *sive* usurpant. Quintilianus lib. I. cap. 6. *Vocabulum, sive appellationem, nomini subjecerunt tanquam speciem ejus.*

Ut voculas *an*, & *vel*, perperam pro *utrum* & *an* usurpari dictum est: ita & voculæ *an* & *aut* pro eisdem perperam subinde usurpantur. Steph. Pighius Herculis Prod. pag. 102. *Nihil ageret diceretve in publico, nisi prius pensitatum, an laudi aut vitio cedere debeat.* Scribendum fuit, *Utrum laudi, an vitio,* vel *laudine, an vitio.* Cicero lib. I. ep. 7. *Multum interest, utrum laus minuatur, an salus deseratur.* Interdum *an* post *utrum* geminatur. Ut IV. in Verr. *Utrum hoc signum cupiditatis tuæ, an tropæum necessitudinis atque hospitii, an amoris indicium esse voluisti.* Justinus lib. XXIV. non usurpat *utrum*; sed *an* geminat. *Diu deliberavit,* inquit, *an confestim rem aggrederetur; an vero fessis via militibus noctis spatium ad resumendas vires daret.* Ubi posteriori *an* additum est *vero.* Valerius Max. lib. IX. c. 1. ex. 7. voculam *an* ter posuit: *Quo in flagitio nescias primum quem detestere; an qui istud corruptelæ genus excogitavit, an qui suam pudicitiam sequestrem perjurii fieri passi sunt, an qui religionem stupro permutarunt.*

CAP. XIX.

De vitiosis quibusdam verborum cum nominibus constructionibus.

SUnt verba quædam, quæ perperam subinde cum

nominibus construuntur. Ita multi secure dicunt *communicare alicui*. Scaliger alicubi scripsit, *Meruit hæc materia honestis viris communicari*; notatusque eo nomine est a Scioppio in Scal. hypobol. p. 232. & in Judicio de stylo hist. p. 108. Sic & Vulcanius in libello de literis & lingua Getarum: *Habeo etiam eadem lingua Rhythmum vetustissimum de vita S. Annonis, cujus initium tibi etiam, benigne Lector, communicabo.* Antiqui magno consensu dicunt *communicare cum aliquo*, & *communicare inter se*. Cicero Or. pro S. Rosc. *Desinant causam suam cum Chrysogno communicare.* Idem I. Philipp. *Ego provinciam cum Antonio communicavi.* Et in Læl. *Ut si quam præstantiam virtutis consecuti sunt, impartiant eam suis, communicentque cum proximis.* Oratione I. in Verrem quod scriptum est, *Num tibi illius victoriæ gloriam cum illo communicandam putas?* pronomen quidem casus tertii apparet; sed positum illud pro pronomine sexti casus cum præpositione A: præterea vero & constructio illa cum sexto casu intercedente præpositione *cum* apparet. Cæsaris quædam in tertio de bello civ. mendose vulgo; in codice autem Fulvii Ursini ita legi monet Scioppius: *Adhibito Libone, Lucejo & Theophane, quibuscum communicare de maximis rebus Pompejus consueverat.* Vide & Gronovium lib. II. Observ. p. 113. Deinde sunt quidem in Cæsare exempla verbi cum casu tertio constructi; sed ut constructio non propter ipsum, sed propter aliud ita facta sit. Ut lib. VI. de B. Gall. *Neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.* Item: *Iis omnibus domus patent, victusque communicatur.* Nimirum quia verba præcedunt, quæ casum tertium adsciscunt, ne propter novam constructionem ipsum quoque pronomen repetendum esset, idem casus

tertius

tertius & ad verbum *communicare* referendus est. Estque hoc auctoribus non insolens. Livius lib. XXXV. cap. 19. *Odi, odioque sum Romanis.* Cicero lib. XIII. ep. 4. ad fam. *Hæc eo spectant, ut te horter & svadeam.* Sed ut ad genuinam verbi *communicare* constructionem redeamus, Justinus quoque more meliorum lib. XXXVI. scripsit: *Et quoniam metu contagionis pulsos se ab Ægypto meminerant, ne eadem causa invisi apud incolas forent, caverunt, ne cum peregrinis communicarent.* At Sulpicius Severus, ut varia alia a more scribendi antiquiorum abhorrentia habet, ita quoque *communicare alicui* dicit. Dialogo tertio: *Congregati apud Treviros Episcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio communem sibi causam fecerant.* Videtur autem ille, & alii item ejus ævi viri ecclesiastici, constructionem eam formasse ad phrasin Græcam κοινωνεῖν τινι. Vide sis Notas nostras in Dialogum illum Sulpicii. Quod autem tunc dubitabamus, an verbum *communicare* antiquiores & genere neutro, nulloque casu quarto adjecto, de communione & conversatione usurpassent, is scrupulus prædictis illis verbis Justini exemtus nobis est. Cicero dicebat *communicare aliquid cum aliquo.* At Justinus sine casu quarto, *communicare cum aliquo*; idque pro *conversari cum aliquo.*

Porro & de constructione verbi *attinet* videamus: quam & ipsam vulgo perperam facere solent. Dicunt enim *Quod me attinet*, pro *Quod ad me attinet.* Gerhardus Titius pag. 54. Responsi prioris: *Ut in apprehenso eorum sensu, quod quidem rem ipsam attinet, mecum prorsus consentiant.* Et pag. 98. *Quod hanc quidem controversiam attinet.* Et rursus p. 108. *Quod sensum locutionis meæ attinet.* At alius Titius, cui prænomina sunt Johanni Petro, quique amicus noster est, in Manuductione ad excerpendum recte

monet, veteres semper Præpositionem addere, & dicere, *Attinet ad me*, *Attinet ad eam rem.* Et est sane ita, ut alter ille Titius monet. Terentius Andr. *Nihil ad me attinet.* Item Eunucho: *Scin tu turbam hanc propter te esse factam? & adeo ad te attinere hanc omnem rem? C. Ad me?* Rursus Adelphis: *Illum curo unum: ille ad me attinet.* Item: *Jamne me vis dicere, quod ad te attinet?* Plautus Rudente: *Quam ad rem dicam hoc attinere somnium?* Et Epid. *Quid istud ad me attinet?* Cicero pro Rosc. Amer. *Servos ipsos, quod ad me attinet, neque arguo, neque purgo.* Item lib. IV. de Fin. *Si igitur illa cultura vitium in vite insit, ipsa cetera credo velit, quæ ad colendam vitem attinebant.* Neque vero est, quod aliquis obtendat illud Ciceronis ex Orat. pro Quint. *Neque quenquam attinebat id recusare:* aut illud ejusdem ex Orat. pro S. Rosc. *Quid attinuit eum id nuntiare:* aut denique illud Horatii Epod. IV.

Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones atque servilem manum?

In his enim *quemquam attinebat* non est pro *ad quenquam attinebat*; sed post *attinebat* est accusativus cum infinitivo. Et pari ratione sentiendum de ceteris.

Huc etiam pertinet phrasis *damnare ad mortem.* Usus ea fuerat Thuanus, & notatus eo nomine est a Scioppio in Judicio de stylo hist. Drusius quoque, cum vim phraseos *morti dare*, qua Sulpicius Severus initio fere libri II. Hist. sacr. usus est, exponere vellet, scripsit, *ad mortem damnassent*, *morti adjudicassent.* Verum verbum *damnare* non sic construunt cum nomine, ut ipsum nomen casu quarto, intercedente præpositione *ad*, ponant. Imo nec vocem *mors* hic usurpant; sed potius vocem, quæ *vitam* significat. Dicunt enim *damnare capitis*,

capitis, & *damnare capite*. Quod perinde est ac si dicerent *damnare vitæ* & *damnare vita*. *Caput* enim, ut in aliis quibusdam, ita hic quoque ipsam vitam denotat. Ita dicunt *pactum pro capite pretium*, *capitis judicium*, *capitis periculum*. Videsis Indicem in Nepotem, voce *caput*. Porro *damnare capitis* & *damnare capite* vim habent eam, quam phrases *damnare pecunia*, & *mulctare agro* habent. Qui pecunia damnatur, non damnatur, ut pecuniam accipiat, sed ut amittat eam; & qui mulctatur agro, non nanciscitur agrum, sed eundem amittit. Pari modo igitur, qui capite damnatur ac deinde plectitur, is caput, id est, vitam non accipit, sed amittit. Exempla talium passim observare licet. Justinus lib. VIII. *Tanta pecunia damnantur, quanta exsolvi non posset.* Livius lib. III. *Toties fusi fugatique, castris exuti, agro multati, sub jugum missi, & se & vos novere.* Item: *Qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur.* Quod ad alteram phrasin attinet, quæ casum secundum habet, quidam Scioppium atque Vossium secuti, subaudiunt nomen sexti casus *crimine*; ut integra phrasis sit *damnari capitis crimine*: quod nobis non probari, in Indice in Cornelium Nepotem, ad voces *caput* & *accusare*, significavimus. Cujus rei causa hæc est, quod non tantum dicitur *damnari capitis*, sed & *damnari capite*. Quemadmodum enim ad sensum hujus supplendum voce *crimine* opus non est: ita nec ad illius. Deinde reputandum est, quod dicunt *arguere criminis*, *damnare sceleris*: quodque ad hæc vox *crimine* subaudiri non potest. Valla lib. III. Eleg. cap. 32. ex Cicerone citat: *Annon intelligis primum quos homines, & quales viros mortuos summi criminis arguas?* Item: *Sceleris atque nefarii parricidii condemnabimus.* Theodoricus

doricus quoque in Notis ad Vallam ex eodem Ciceronе profert: *Damnasse enim sceleris hominem amicum reip. causa videretur.* Quemadmodum igitur ad phrases *arguere criminis*, *condemnare sceleris*, nomen sexti casus *crimine* subaudiri nequit: ita nec ad alteras illas subaudiendum illud esse putem. Sunt & multa alia ejus constructionis exempla, in quibus τὸ *crimine* subaudiri nequit. Valla prædicto loco citat hæc Livii: *Sed nequaquam tantum relictum est, quanta summa damnatus erat.* Ubi itidem ad voces *quanta summa* prædictum sexti casus nomen subaudiri nequit. Pari modo nec locum habet in eo, quod Quintilianus lib. X. cap. 2. dicit, *damnare tempora infelicitatis*; & quod Cicero in Partit. & Valerius Max lib. IV. cap. 7. dicunt, *stultitiæ aliquem damnare*: & quod rursus Valerius M. lib. VI. cap. 9. dicit, *perpetuæ infelicitatis se prædamnare*: & quod rursus Quintilianus lib. II. cap. 6. dicit, *Nec enim nos tarditatis natura damnavit*: & quod Auctor ad Her. dicit, *peccati alicujus damnari.* Quam insulsum foret dicere *peccati crimine damnare, infelicitatis crimine damnari, stultitiæ crimine damnare?* Quemadmodum autem τὸ *crimine* in talibus diserte addi nequit, ita nec subaudiri potest. Crediderim ego casum secundum, qui verbis accusandi & damnandi adjicitur, more Græcorum ita adjici. Hos enim Latini in plurimis quoque aliis sequuntur, ac totam pene linguam iis debent. Ipsi autem Græci ad suum illum casum secundum, quem verbis accusandi & damnandi adjiciunt, præpositionem ἕνεκα subaudiendam relinquere videntur. Si tamen ad ipsas quoque Latinas phrases *damnari furti*, *damnari capitis*, omnino aliquid subaudire velis, dixerim potius subaudiendam esse vocem *nomine*: quoniam video Ciceronem in Orat. VII. in Verrem etiam plene dixisse *nomine sceleris*

teris conjurationis damnari. Ita dicunt, *negligentiæ alicui suspectum esse*, & deinde plene, *nomine negligentiæ alicui suspectum esse*. Cicero lib. II. ep. 1. *Quanquam me nomine negligentiæ suspectum tibi esse doleo.* Sed dicat quispiam, τὸ *crimine* interdum differte additum reperiri; ideoque si additum non sit, subaudiendum videri. Valerius Max. lib. II. c. 2. ex. 3. *Non es damnandus rustici rigoris crimine.* Et lib. IV. c. 2. ex. 5. *Incesti crimine accusatus.* Et lib. IV. cap. 6. ex. 1. *diri facti crimine damnatus.* In quibus omnibus *crimine* est ablativus causæ: suntque vocabula generis & speciei conjuncta. Ut enim dicitur *arbor palmæ*, *herba lapathi:* ita dicitur *crimen furti*, *crimen diri facti.* Ceterum quod τὸ *crimine* interdum adjicitur, ex eo colligendum non est, quod, si additum non sit, necessario sit subaudiendum. Quemadmodum enim *damnari criminis*, *damnari sceleris*, dicunt & τὸ *crimine* minime subaudiunt: ita & *damnari furti*, *damnari capitis* dicere possunt, ut id quod dixi vocabulum tamen non subaudiant. Ad phrasin *damnare ad mortem* ut revertamur, etsi ipsa illa verbi cum nomine constructio non observatur, est tamen quod prope ad eam accedit. Nimirum Lucretius l. VI. habet sic, *Implicitus morbo, morti damnatus ut esset.* Ubi *morti damnatum esse* est idem, quod *de vita alicujus desperari.* Ad quem modum fere & Virgilius lib. IV. Æneid. dicit *caput orco damnare:* atque ita casus tertius verbo additus apparet. Plautus Rud. Act. V. Sc. 1. dicit, *damnare aliquem ad recuperatores.* Plinius autem in epistolis, *damnari in opus*, *in ludum.*

Verbum *dissuadere* quoque viros doctos non usquequaque recte cum nominibus construere video. Ipse Manutius scripsit alicubi, *dissuadere aliquem ab aliqua re:* & notatus eo nomine est a Scioppio in Judicio de stylo hist. Sed & in argumento Satyræ VI:

Juve-

Juvenalis scriptum observo, *Ursidium Posthumum ab uxore ducenda dissuasurus.* Verum veteres verbo illi accusativum non personæ, sed rei adjecerunt, dixeruntque, *dissuadere aliquid.* Ovidius XII. Metamorph. *Frustra bellum dissuaserat augur.* Cicero contra Rull. *Quis unquam tam secunda concione legem agrariam suasit, quam ego dissuasi.* Nec dubium est, quin præterea dativum quoque personæ adjecerint, quomodo ipsi verbo simplici. Dicunt & *dissuadere de aliqua re.* Cicero III. de Off. *Cum præsertim de captivis dissuasurus esset.*

CAPUT XX.

De Hebraismis quibusdam, in sermone Latino vitandis.

IN antiqua sacrarum literarum versione Latina non minus, quam in Græca, quam plurimos esse Hebraismos, notum est. Quos omnes si usurpare is, qui Latine hodie scribere instituit, vellet, inconcinna atque ineptissima scribendi ea ratio foret. Et vitantur sane utplurimum Hebraismi isti; quod omnes agnoscant, eum, qui Latine scribere velit, non aliarum linguarum idiotismis uti, sed ipsius linguæ Latinæ genium sequi par esse. Ipsi quoque Interpretes recentiores, Tremellius & Junius, cum Hebræa verterent, Hebraismos non ubique servandos, sed utplurimum declinandos eos putaverunt. Maxime vero omnium Sebastianus Castalio, Hebraismos in versione sua vitavit, & econtrario idiotismos linguæ Latinæ, quoad potuit, usurpavit. Sed fit tamen, ut his, qui Latine scribunt, imprudentibus Hebraismi subinde excidant. Cujus rei exempla quædam supra in cap. V. & XII. sunt proposita. Nunc iisdem unum atque alterum adhuc addere libet.

Et

Et primum quidem verbo *surgere* significationem novam tribui, idemque per Hebraismum usurpari videas. Exempli causa Joh. Scharfius in institutionibus Logicis scripsit: *Nostris temporibus surrexit quidam Petrus Ramus.* Ubi verbum *surgere* pro *existere, exoriri* ille posuit; & quidem per Hebraismum. Verbo Hebræo קום respondet sane Latinum *surgere*, notione erigendi se. Quod autem Hebræum illud & alia notione usurpatur, Latinum ei non respondet. Dicunt Hebræi קם נביא cum significare volunt, prophetam exortum esse. Exemplum Devt. XIII. 3. כי יקום בקרבך נביא *Si exortus inter vos sit propheta, & res mirandas fecerit.* Atque eam significationem Scriptores novi Test. verbis quoque Græcis ἀναστῆναι & ἐγείρεσθαι tribuerunt. Ut Matth. XXIV. 11. & 24. Ἐγερθήσονται ψευδοπροφῆται. *Surgent*, i. e. *existent, exorientur falsi prophetæ.* Item Act. XX, 30. Ἐξ ὑμῶν αὐτῶν ἀναστήσονται ἄνδρες λαλοῦντες διεστραμμένα. *Ex vobis ipsis surgent*, id est, *exorientur viri loquentes perversa.* Vide & V. 36. 37. itemque VI. 9. Et Scriptorum sacrorum quidem quæ ratio sit, in libro de Hebraismis novi Test. satis & abunde exposuimus. In præsentia vero illud agimus, ut quæ Latine scribenti vitanda fugiendaque sint, ostendamus. Verbum *surgere* quidem ea qua dixi notione Latini non usurpant. Non dicunt *surrexit malus Logicus*; sed *extitit, exortus est malus Logicus.* Quod Sebast. quoque Castalioni visum fuisse apparet ex eo, quod vertit Devt. XIII. *Si quis apud vos vates aut somniator extiterit*, & Matth. XXIV. *Existent multi falsi vates, qui multos decipient.* Sed & Beza maluit, *Multi pseudoprophetæ exorientur*, quam *Multi pseudoprophetæ surgent.*

Porro in Hebraismis habendæ, atque huic, qui Latine scribere velit, fugiendæ sunt phrases *accipere perso-*

personas, *acceptio personarum*. De his Looſæus in Scopis Latinæ linguæ ita: *Phraſis Eccleſiaſticis uſitata. Elegantius dixeris, Diſcrimen, aut reſpectus perſonarum. Salluſtius: Laudamus divitias, proſequimur inertiam, inter bonos & malos nullum eſt diſcrimen. Sic & Valerius Maximus.* Ad Valerium Maximum quod attinet, verba ejus in libri III. capite tertio, ſunt iſta: *Neque virtus hauſtum ſui cum aliquo perſonarum diſcrimine largum malignumque præbet; ſed omnibus æqualiter expoſita, quid cupiditatis potius, quam quid dignitatis attuleris, æſtimat.* Vocabuli *perſona* igitur uſus ſatis Latinus hic eſt. At pro verbo *accipere*, proque nomine *acceptio*, Latine loquenti uſurpandum aliud: cum Valerio quidem vocabulum *diſcrimen* fuerit. Sed ita nondum & verbum appareret. Dixerim igitur dicendum porro eſſe, *diſcrimen perſonarum facere*, *diſcrimen perſonarum habere*. Phraſin *diſcrimen facere* habet Plinius lib. XXXVII. Hiſt. nat. cap. 13. *Et jam peractis omnibus naturæ operibus*, inquit, *diſcrimen quoddam rerum ipſarum atque terrarum facere convenit.* Nec dubium, quin dici ſimiliter poſſit *diſcrimen perſonarum habere*. Sane Sulpicius Severus Dialogo I habet ſic: *Cum legentium fides facile poſſit habere diſcrimen.* Quintilianus dicit, *diſcrimen perſonarum ſervare*. Verba ejus ſunt lib. XII. Inſtit. Orat. cap. 10. *Quod ſi non eveniret, omnes pares eſſent, & idem omnes deceret. At loquuntur, & ſervant perſonarum diſcrimen.* Ulpianus hic vocabulo *contemplationis* utitur, dicitque *perſonarum contemplationem habere*. Verba ejus in lib. VIII. D. de transact. hæc ſunt: *Sed & perſonarum contemplatio habenda eſt: hoc eſt, cujus vitæ ſint hi, quibus alimenta relicta ſunt: utrum frugi vitæ hi ſint, qui alias ſufficere ſibi poſſint; an ſegnioris, qui de alimentis pendeant.* In quibus *contemplatio*

idem

idem est quod *respectus*. Justinus lib. VII. *Quam scelerum suorum suppliciis, liberorum contemplatio vindicaverat.* Sed contemplatio illa personarum, de qua Ulpianus dicebat, habenda est utique: & discrimen item personarum, de quo Quintilianus dicebat, servandum est. Pari modo quod Sallustius dicebat, *inter bonos & malos nullum est discrimen*, vult ille utique, inter bonos & malos debere discrimen esse, vel, quod idem est, bonorum & malorum habendum seu faciendum discrimen esse. At in sacris literis discrimen personarum jubemur non facere, non habere; quemadmodum ipse quoque Deus personarum discrimen non facit, non habet. Cujus quidem locutionis hæc vis est, quod non respicere debeant judices, utrum is, qui cum altero jure experitur, dives sit an pauper. Quod verbis Valerii Maximi, quæ laudavimus, efferri possit sic, ut dicatur, non esse judicandum *cum aliquo personarum discrimine*, id est, ut personarum discrimen facias sive habeas; sed judicandum esse sine personarum discrimine. Scribonii autem Largi verbis dici posit, *non fortuna, neque personis æstimandos homines esse.* Is enim in præfatione libri sui sic habet: *Medicina non fortuna, neque personis homines æstimat, verum æqualiter omnibus implorantibus auxilia sua succursuram se pollicetur.* Livii verbis dici posit, *non hominum, sed causarum oportere judices totos esse.* Hujus enim in lib. III. verba sunt: *Hominum, non causarum, toti erant, ut apud quos gratia vim æqui haberet.* Et denique Salustii verbis dici possit, *non debere judices pretium aut gratiam vero anteferre.* Hujus enim in Bello Jug. verba sunt: *Pars quæ vero pretium aut gratiam anteferebat.* Sed alterarum phrasium, quas a sermone Latino exulare jusimus, *accipere personas* puta, & *acceptio personarum*, quænam est origo? Habent Hebræi phrasin נשא פנים:

qua quidem illi exprimunt id, quod Latini dicunt, *discrimen personarum facere* seu *habere*. Cumque verbo Hebræo נשׂא Græcum λαμβάνειν, & Latinum *accipere* in aliis respondeant, factum est, ut Interpretes, Græci quidem suum λαμβάνειν, Latini vero suum *accipere*, ad prædictam illam phrasin exprimendam usurparent. Ut Deut. I, 17. *Nec accipies cujusquam personam.* Item X, 17. *Qui personam non accipit.* Et XVII, 19. *Non accipies personam.* Rursus 2. Par. XIX, 7. *Apud Dominum vestrum non est acceptio personarum.* Sic & Rom. II, 11. *Non est acceptio personarum.* Item Act. X, 34. *Non est personarum acceptor.* Quoniam igitur vocabulis *accipere*, *acceptio*, *acceptor*, nova hic significatio, & quidem respectu vocabulorum Hebræorum, tributa est: merito ipsa quoque illa in Hebraismis habenda, & huic, qui bene Latine scribere velit, vitanda fugiendaque erunt.

Vocabula *sæculum* & *sæculare*, si pro *mundo*, proque eo, *quod mundi est*, usurpentur, & ipsa in Hebraismis habenda sunt. Ciceroni, ejusque æqualibus *sæculum* nihil aliud est, quam *tempus*, aut *certum temporis spatium*, aut *homines qui in tempore vivunt.* Cicero in Paradoxis: *Etenim ipse fortasse in hujus sæculi errore versor.* Virgilius Ecl. IV. *Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.* Item: *Aspice venture lætentur ut omnia sæclo.* Quod autem idem Virgilius ibidem ait, *Toto surget gens aurea mundo*, pro eo nomine idem dixisset, *Toto surget gens aurea sæclo:* ut ita *sæculum* pro *mundo* posuisset. At Scriptores ecclesiastici, qui trecentis aut amplius annis post vixerunt, non raro *sæculum* pro ipso *mundo*, & *sæculare* pro *mundano* ponunt. Hilarius lib. VIII. de Trin. *Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum.* Eo antiquior Tertullianus libr. I. ad

uxor.

uxor. cap. V. dicit *sæculo eximi & ad Dominum recipi.* Item lib. de spectac. c. XXVIII. *exire de sæculo, & recipi ad Dominum.* Sulpicius quoque Severus isto vocabuli usu non abstinuit. Ut lib. I. Hist. sacræ: *Vacuo tum sæculo ex filiis Noë Sem fuit.* Idem & vocem *sæculare* usurpat pro eo, quod & *mundiale* dicit. *Mundiales historicos* vocat ille, qui res ad mundum pertinentes tractant. Quos eosdem & *sæculares* dicere idem non dubitet. Nam in libro II. Hist. sacr. scribit: *Ut in sæcularibus quibusdam scriptis legi.* Item: *Quod Scriptores sæcularium literarum nihil ex his, quæ sacris voluminibus scripta sunt, attigerunt.* Sed & Cypriano, Hieronymo, Augustino, iste vocabulorum usus, frequentissimus est. Cyprianus epist. LXIII. *Ebrietas Dominici calicis & sanguinis non est talis, qualis ebrietas vini sæcularis.* Hieronymus ep. LVII. *Tota sæcularium literarum schola nihil aliud ὑπόστασιν quam οὐσίαν novit.* Augustinus lib. VI. de Civ. D. c. 11. *In omni eruditione, quam nos sæcularem, illi liberalem vocant, studiorum.* Sed quæ est causa, quod, cum vox *sæculum* Ciceroni ejusque æqualibus significet *tempus*, Scriptiores Ecclesiastici ea voce *mundum*, magnum illud rerum creatarum systema, appellant? Non alia sane quam hæc, quod Interpretes Latini novi Testamenti, cum vocem αἰῶν vertendam haberent, voce *sæculum* eam verterant, atque ita novam huic significationem *mundi* tribuerant; quam quidem & ipsius Græcæ vocis esse videbant. Exempli gratia 1 Tim. I, 17. scriptum est, Βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ; & verti posset, *Regi mundi immortali.* Quod autem Interpres Latino vocabulo *sæculum* eandem significationem, quam Græcum habet, tribuit, ejus occasio hæc fuit, quod Latinum vocabulum Græco jam alia significatione responderet, & quidem significatione *temporis*; qua

de re & in cap. II. Commentarii de Hebraismis N.T. egimus. Ibidem autem & hoc docuimus, qui factum fuerit, ut ipsa Græca vox αἰών, quæ vulgo non *mundum*, sed *tempus* significat, *mundum* quoque, magnum illud rerum creatarum systema, significare cœperit. Nimirum quia Hebræa vox עולם, cui Græca vox αἰών significatione *temporis* respondet, & *mundum* significat, ipsi quoque Græcæ voci a Scriptoribus sacris istiusmodi significatio tributa est. Estque ita in Græca voce genuinus Hebraismus. Nec minus Hebraismus in Latina voce *sæculum* est, si quidem hæc pro mundo accipiatur. Etsi enim Interpres novi Test. fortasse non nisi ad vocem Græcam αἰών allusit, & Scriptores item ecclesiastici, quoties *sæculum* pro *mundo* posuerunt, de voce Hebræa vix cogitarunt: tamen quia ipsi Scriptores novi Test. Græcæ voci αἰών propter Hebræam עולם novam significationem *mundi* imposuerunt, atque ita factum est, ut eadem significatio *mundi* porro & Latinæ voci *sæculum* imponeretur: æque in Latina atque in Græca voce statuendus Hebraismus erit.

CAPUT XXI.

De Græcismis quibusdam, Latine scribenti vitandis.

DEbet sane lingua Latina magnam sui partem Græcæ, adeo ut non tantum plurima vocabula Latina a Græcis orta sint, sed & multæ vocabulorum constructiones exemplo Græcarum sint factæ: ac multæ præterea significationes respectu vocabulorum Græcorum tributæ Latinis sint. Tale illud est, quod supra in cap. VII. diximus, non uti Latinos vocabulis *incertitudo & profunditas*, quæ sane formare secundum analogiam possent: sed eorum loco ipsis

ipsis nominibus adjectivis *incertum* & *profundum*, sed ut substantivis usurpatis, ipsos uti. Ac de ea Græcorum imitatione, quæ a Latinis facta est, ex professo & dedita opera scripsit Daniel Vechnerus. Sed videndum hic, quæ Græcorum imitatio a Scriptoribus Latinis quibuscunque; quæ a Poëtis; quæ a Scriptoribus ecclesiasticis; & quo denique ævo quæque facta sit. Quod vocabula *incertum* & *profundum* ut nomina substantiva sunt usurpata, id a Scriptoribus quibuscunque factum est: idque adeo imitandum nobis est, ut ab alteris illis *incertitudo* & *profunditas* prorsus sit abstinendum. Sic & quod *est* ponitur pro *licet*, diciturque *videre est* pro *videre licet*, atque ita exemplo Græcæ vocis ἔστι Latine *est* nova significatio tribuitur id vulgare est, totamq; linguam pervasit, ideoque cuivis id imitari licet. Pari modo quod *habeo* idem est quod *possum*; idque exemplo Græci verbi ἔχω, quod non modo idem quod *habeo*, sed & idem quod *possum* significat, id apud quosvis auctores observare licet; idemque cujusvis Latine scribentis usibus inservire potest: qua de re & supra in cap. VI. egimus. At vero quod soli Poetæ fecere, id non cuivis Latine scribenti imitandum est. Exempli gratia quod Horatius lib. III. Od. 27. imitatione Græcorum dicit, *Uxor invicti Jovis esse nescis*, pro *Uxorem invicti Jovis te esse nescis*; & Catullus, *Phaselus ille, quem videtis hospites, ait fuisse navium celerrimus*, pro *ait se fuisse navium celerrimum*, id non soluta, sed tantummodo ligata oratione scribenti imitandum fuerit. Deinde quod Interpretes demum Sacrarum literarum, & Scriptores ecclesiastici Latini, Græcos imitati, facere cœperunt, id bene Latine scribere volenti imitandum itidem non fuerit. Quo an Græcismum quoque vocabuli *proximus* referemus, cum pro *quovis alio* usurpatur? In epistola

octava Phalaridis versum est: *Proximorum felices successus, tuos dolores calamitatesque putas.* Verti potuisset, *Aliorum felices successus:* quod autem versum est, *Proximorum fel. successus*, id pro Græcismo habendum. Habent hoc Græci, ut quemvis alium τὸν πλησίον, id est, *eum qui prope est, propinquum* vocent. Exempli gratia in prædicta epistola Phalaridis verba quædam sic habent: Τὰς τῶν πλησίον εὐτυχίας ἰδίας ἀλγηδόνας καὶ σομφορὰς ἡγῇ. Quod vertendum, ut jam significavimus, *Aliorum felices successus, tuos dolores calamitatesque putas.* Pro ὁ πλησίον dicunt etiam ὁ πέλας. Thucydides lib. I. νομίζειν τὰς διανοίας τῶν πέλας παραπλησίους εἶναι, *putare sententias aliorum similes esse nostris.* Antoninus lib. XII. τοὺς πέλας μᾶλλον ἀιδούμεθα, τί ποτε περὶ ἡμῶν φρονήσουσιν, ἢ ἑαυτούς. *Alios magis veremur, quid de nobis existimaturi sint, quam nos ipsos.* Interpres quod vertit, *Magis veremur, quid proximus de nobis sit existimaturus, quam quid ipsi nos.* Græcismo usus est, & *proximus* posuit pro *alius.* In antiqua versione sacrarum literarum Græcismus iste frequentissimns est. Ut Exod. XX. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui.* Item Exod. XXII, 11. *Non extendes manum ad rem proximi.* Et Devt. XXIII, 24. *Ingressus vineam proximi tui.* Et Rom. XIII, 8. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Et v. 9. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et Jac. IV, 13. *Quis es qui judicas proximum?* Offendit Interpres tum in Græca versione veteris, tum in textu authentico novi Test. ῥῆσιν Græcam ὁ πλησίον, eamque Latina *proximus* vertit. Tantum Rom. XIII, 8. non ἀγαπῶν τὸν πλησίον sed ἀγαπῶν τὸν ἕτερον offendit; & tamen vocabulo *proximus* & ibi usus est. Potuisset autem vertere, *Qui alium* seu *alterum diligit, legem implevit:* ad quod ipsa quoque vox ἕτερον eum invitabat. Quod interdum & pronomen

nomen addit, vertitque exempli gratia, *Ingressus vineam proximi tui*, præter Græcismum usus est & Hebraismo. Quem eundem Hebraismum ante ipsi quoque Interpretes Græci expressérant. Cum enim vertere potuissent, Ἐὰν εἰσέλθῃς εἰς τὸν ἀμπελῶνα τοῦ πλησίον, verterunt, Ἐὰν εἰσέλθῃς εἰς τὸν ἀμπ. τοῦ πλησίον σου: nimirum ut ad pronomen Hebræum, nomini רע affixum, alluderent. Ita passim & alibi fecerunt; ut idiotismum suæ linguæ ὁ πλησίον usurparent, eique Hebraismum, qui, ut ostendimus, in adjectione pronominis consistit, adjungerent. Tale & illud est, Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, ὡς ἑαυτόν. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Græci interpretes pronomen omittere potuissent, ac vertere, Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον; atque ita plane convenienter suæ linguæ vertissent, neque idiotismum usurpassent linguæ alterius. Latinus interpres & ipse pronomen omittere potuisset, atque ita Hebraismum vitare. Deinde pro *proximum* dicere potuisset *alium* seu *alterum*; atque ita & Græcismum declinare. Ipse Apostolus, cum Græce scriberet, idiotismum Græcæ linguæ ὁ πλησίον non semper usurpavit, scripsitque Rom. XIII. ὁ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, νόμον πεπλήρωκε. *Qui diligit alterum, legem implevit.* Pro quo & scribere potuisset, ὁ ἀγαπῶν τὸν πλησίον, atque ita idiotismo linguæ Græcæ uti. Potuisset & pronomen adjicere, ac scribere, ὁ ἀγαπῶν τὸν πλησίον αὐτοῦ. Quod si fecisset, præter Græcismum & Hebraismo usus fuisset. Videsis hac super re & caput XXVII. Commentarii de Hebraismis N. T. extremum. Sed quid de Græcismo vocis *proximus*, quem dixi, est sentiendum? Et licetne Latine scribenti promiscue eo uti? Fuit sane cum crederem exempla ejus apud antiquiores non reperiri: ideoque usum ejus quem dixi rejeci. At nunc abscise adeo agendum non putem. Video enim Valerium Max. initio

tio cap. IX. libri VI. scripsisse, *Sive nostros status, sive proximorum ingenia contemplemur.* Ubi manifeste *proximorum* est pro *aliorum.*

De verbo *benedicere* autem hic monendum, quatenus id cum casu quarto construitur, diciturque *benedicere aliquem*; ac porro participium inde passivum *benedictus* formatur. Gerh. Joh. Vossius de hoc verbo ita: *Benedicere Deo, pro laudare in Theologis ferendum; uti & benedictus. Quippe est Hebraismus. Sed classicos qui sequi Scriptores volet, eos hac parte neque at imitari.* Agit ille, ubi hæc scribit, de verbis in falsa significatione positis; atque ita significationem vocabuli modo illam notare voluit, qua *benedicere* idem est quod *laudare* & *benedictus* idem quod *laudatus.* At nos primum de ipsa illa constructione cum casu quarto videamus; per quam & factum est, ut participium porro passivum *benedictus* formaretur. Analogia sane requirit, ut casus huic verbo tertius jungatur. Qua ratione & Cicero in Or. pro Sext. dicit, *Cui benedixit unquam bono?* At antiquus Interpres sacrarum literarum, & hunc sequentes Scriptores ecclesiastici, dicunt *benedicere aliquem.* Et quia verbo activo casum quartum jungunt, formant porro verbum passivum *benedicor*, & participium *benedictus.* Nec aliter passim & hodie fieri videas. Ex versione veteris Interpretis notentur modo ista: *Loquebatur benedicens Deum*, Luc. I, 4. *Benedixit Deum & dixit*, Luc. II, 28. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali*, Eph. I, 3. *In ipsa benedicimus Deum*, Jac. III, 9. Verbum passivum item *benedicor*, & participium *benedictus*, in versione illa Interpretis passim visitur. Quod igitur ad constructionem verbi cum casu quarto attinet, recte judicavit Valla, exemplo Græcorum eam ita factam esse. Verba ejus sunt lib. I. cap. 10. *Græcorum*

corum autoritate dedimus huic verbo accusativum præter naturam suam, cum postulet dativum. Græcum verbum, cujus constructionem constructio Latini verbi secundum quosdam sequitur, est εὐλογεῖν: quod quidem cum casu quarto construitur, dicitur-que εὐλογεῖν τινα. Quod ad vocabuli significationem attinet, quodque *benedicere* pro *laudare*, & *benedictus* pro *laudatus*, dicunt, id itidem, non ut Vossius volebat, in Hebraismis, sed potius in Græcismis habendum putem. Tributa quippe verbo *benedicere* significatio est *laudationis*, non tam respectu verbi cujusdam Hebræi, quam Græci εὐλογεῖν, cum quo ipsarum quoque partium compositionis significatione congruit. Græcum verbum εὐλογεῖν significat utique *laudare*; neque exemplo verbi cujusdam Hebraici significationem eam recepit; sed apud ipsos Græcos in sermone vulgari significationem eam habuit; ut ex Thucydide, Aristophane & aliis sciri potest.

Porro & de vocibus *humilis*, *humilitas*, *humiliter*, *humiliare* videamus. Vulgo notionem subjici his videas virtutis, quam Latini modestiam appellant. Verum antiquitus eam vocabulo notionem subjectam fuisse, non apparet. Proprie quidem *humile* dixerunt, quod totum humo proximum esset, nec multum ab eadem assurgeret. Ita Virgilius Ecl. II. casas rusticas *humiles* vocat. Et Curtius lib. VII. cap. 2. scribit, *Scytharum neminem tam humilem fuisse, ut humeri ejus non possent Macedonis militis verticem æquare.* Cicero & *humiliatum* vocat. Ut lib. II. de Nat. D. *Animalia humiliata ut cibum terrestrem facile rostris contingant.* Deinde transfertur vocabulum ad statum & conditionem hominis; & *humilis* dicitur, qui abjectus, sordidus, vilis, obscurus est. Cicero II. Philipp. *Quis unquam apparitor tam humilis, tam abjectus.* Idem de amic. *Qui parentibus*

nati sunt humilibus. Porro & ad illa transfertur, quæ sunt circa hominem : ut *humilis locus*, *humilis res*, *humilis oratio*, *humilis animus*; & ita quidem, ut itidem vile, abjectum, sordidum, imbecille significet. Cicero II. de fin. *humilem & imbecillum animum* dicit: & alibi *orationem humilem & abjectam* vocat. Quod autem *humilis* & virtute præditum, & quidem ea, quæ Latine modestia vocatur, significet, ejus exempla, quod quidem ego sciam, apud antiquiores non sunt observata. Pari modo nec abstractum *humilitas* pro modestia usurpatum invenias; sed refertur id primo ad locum, & opponitur altitudini: deinde vero ignobilitatem & statum abjectum significat. Nam quod in Apparatu Latinæ locutionis Alex. Schotti notatum video, *humilitatem* in lib. I. de Invent. *& ratione modestiæ usurpari*, de eo non liquet. Verba Ciceronis sunt: *Sæpe virtus & magnificentia, in qua gravitas & auctoritas est, plus proficit ad misericordiam commovendam, quam humilitas & obsecratio*. Ubi *humilitas* opponitur magnificentiæ, gravitati, & auctoritati: & apparet *humilitatem* vocari, si quis verbis non magnificis & jactabundis, sed humilibus ac supplicibus utatur. In quam sententiam paulo quoque ante *humilem & supplicem orationem* dixerat. Verum ex his talibus non apparet, quod ipsam quoque affectionem animi laudabilem & virtutem, *humilitatem* appellarint. Potest aliquis humili & supplici oratione, vel quod idem est, humilitate & obsecratione, uti, si tempus & occasio ita exigat: & tamen homo minime modestus, sed superbus, arrogans & jactabundus esse. Sed quæ ejus est occasio, quod vocabula *humilis* & *humilitas* vulgo notione cujusdam virtutis usurpantur? Sine dubio illa, quod in antiqua versione sacrarum literarum ea notione vocabula

bula toties usurpantur. Porro vero quæ causa est, quod auctor antiquæ versionis vocabula ista usurpavit? Hæc nimirum, quod in Græco textu sunt vocabula ταπεινὸς & ταπεινοφροσύνη, cum quibus Latina vocabula significatione quadam alia conveniunt, & nunc virtutis cujusdam significatione convenire jussa sunt. Quem Latini *humilem*, abjectum & obscurum dicunt, eum Græci ταπεινὸν & ταπεινόφρονα appellant: & quam Latini *humilitatem*, animumque humilem ac imbecillum, vocant, eam Græci ταπεινοφροσύνην dicunt. Plutarchus de fort. Alex. lib. II. Μικρὸς ἡ τύχη καὶ περιδεὴς ποιεῖ καὶ ταπεινόφρονας. Xenophon lib. VII. παιδιάς: Βυλόμενος αὐτοὺς ὡς ἀμηχανωτάτους εἶναι, ὅπως ὅτι ταπεινότατοι καὶ ἐυκαθεκτότατοι εἶεν. Sed & significatione maxime propria vocabula conveniunt. Quod enim Latini *humile* & non multum ab humo assurgens vocant, id Græci similiter ταπεινὸν dicunt. Theophrastus de generibus fraxini: Τὴν δὲ ταπεινοτέραν καὶ σκληροτέραν καὶ ξανθοτέραν. Quæ verba Plinius, ut observavit Stephanus, sic interpretatus est: *Fraxinum alteram fecere brevem, duriorem fusciioremque.* Ubi quam arborem Plinius *brevem* vocat, & *humilem* vocare potuisset; quemadmodum quem hominem Latini *brevem*, eum, ut supra vidimus, & *humilem* dicunt. Quoniam igitur Latinum & Græcum vocabula iis quas dixi significationibus inter se congruunt: factum est, ut vocabula ταπεινὸς & ταπεινοφροσύνη Interpres Latinus *humilis* & *humilitas* etiam tunc expresserit, cum affectionem quandam animi laudabilem ac virtutem eadem significant aut connotant. Fuerint ergo vocabula Latina, cum nova his quam dixi significatio, & quidem respectu vocabulorum Græcorum assignatur, in Græcismis numeranda; dummodo constare possit, ipsorum Græcorum vocabulorum eam quam dixi significationem

tionem plane veterem, nec respectu Hebræorum quorundam iisdem tributam esse. Quod si vero ipsa vocabula Græca eam quam dixi significationem antiquitus non habuerint, sed respectu demum Hebraicorum susceperint: tum ipsa Græca, tum quoque Latina in Hebraismis numeranda erunt. Sane ex scriptis Græcis antiquioribus nondum exempla satis idonea producta videntur, quibus demonstretur, vocabulis ταπεινὸς & ταπεινοφροσύνη notionem virtutis, quam Latini modestiam vocant, subjectam fuisse. Et fortassis quod Scriptores sacri vocabulis istis hujusmodi significationem assignarunt, alluserunt ad ῥῆσιν Hebræam שפל לב; quæ quidem notione virtutis usurpatur. Quicquid vero sit, sive Græca vocabula ταπεινὸς & ταπεινοφροσύνη significationem quam dixi apud antiquiores jam habuerint, sive respectu demum ῥήσεως Hebrææ quam dixi eam receperint, atque ita in Hebraismis numeranda sint: manifestum est Interpretem Latinum Scriptores sacros N. T. imitatum esse, & vocabulis Latinis *humilis* & *humilitas* novam significationem tribuisse; ideoque aut in Græcismis, aut in Hebraismis numeranda illa ipsa esse: in Græcismis quidem, si Græca vocabula significationem quam dixi jam antiquitus habuerint: in Hebraismis autem, si Græca vocabula eandem significationem nova ratione & respectu ῥήσεως Hebraicæ receperint. Porro autem, sive in Græcismis, sive in Hebraismis vocabula Latina quæ dixi numeranda sint, fugienda eadem his fuerint, qui bene Latine scribere volent, vocesque aut phrases pro iis aliæ usurpandæ.

Quid denique de voculis *ut quid* sentiendum, ut quidem illæ pro *quare* usurpantur? Lipsius Cent. II. ep. 3. *In Gallis nondum* γαλήνη: *& sane doleo Wilzium nostrum involvi nonnulla sua culpa. Ut quid enim*

enim desidet & cunctatur præter nostram & parentis mentem? Buchnerus in lib. de commutata ratione dicendi, pag. 172. *Ubi vetera & meliora suppetunt, ut quid novitiis barbarisque uti velim?* Scripserunt hi manifeste *ut quid* pro *quare*. Et fuit cum crederemus, veterem sacrarum literarum Interpretem, scriptoresque ecclesiasticos, Augustinum & alios, qui subinde voculas eas usurpant, ipsos imitatos esse, præterque morem antiquiorum ita scripsisse. Jam verum sane est, veterem illum Interpretem, ubi in textu Græco ἵνα τί offendit, voculas *ut quid* usurpasse, & quemadmodum ἵνα τί scriptum est pro διὰ τὶ, ita *ut quid* ab eodem scriptum esse pro *propter quid*: sed non primus tamen hoc fecit; sed ante eum jam alii, & antiquiores, fecerant, uti Vir Cl. Christianus Daumius Notis in Columbanum ostendit: pro quo illi & μεγάλη χάρις. Ipse Cicero lib. VII. ep. 7. ad Att. *Depugna, inquis, potius quam servias. Ut quid? Si victus eris, proscribare? Si viceris, tamen servias?* Plura id genus in prædictis Notis Daumii sunt congesta. Et est sane Græcismus ille, quod *ut quid* pro *quare* ponitur: sed non talis tamen, a quo Latine scribenti plane abstinendum sit. Videmus enim ipsos quoque antiquiores, Ciceronem ejusque ævi alios, ut variis aliis, ita ipso quoque hoc Græcismo usos fuisse.

CAPUT XXII.

De quibusdam non Augustei, sed Constantiniani, aut huic proximi ævi vocabulis.

SUpra in capite XVII. vocabula quædam recensuimus, quæ jam ævo Augusteo fuissent quidem; verum non ea significatione usurpata essent, qua ducentis ant tricentis annis post usurpari cœperunt; ut sunt

ut sunt *seducere*, *deputare*, *præsumere*. Nunc vocabula quædam recensebimus, quæ ævo Augusteo ne quidem extiterunt; sed aliquot sæculis post demum formari atque usurpari cœperunt. A quorum vocabulorum proinde non significatione tantum, sed & ab ipsis totis cavendum erit ei, qui Ciceronem & ejus ævi ceteros imitari velit. Talis est vox *juramentum*; quam hodie passim, a clarissimis etiam & summis viris, usurpari videas. Sed Caspar tamen Scioppius vocabulum plane barbarum pronunciare non dubitavit; Scaligerumque ac Lipsium, quod vocabulo eo usi essent, reprehendit. Vide Judicium ejus de stylo historico. Rursus Loosæus in Scopis Latinæ linguæ non anxie contendendum hic putat; quoniam Ulpianus cum plerisque aliis, inter quos Seneca & Hieronymus sint, vocabulo illo usus sit. Jam de Ulpiano atque Hieronymo ego quidem non dubitarim: sed de Seneca tamen parum adhuc liquet. Locus Senecæ, ad quem Loosæus alludit, citatur & a Stephano in Lexico. verum non sic habet, ut illi putant, *In cujus verba principes regesque juramentum faciant*; sed *In cujus verba principes regesque jurent*. In antiqua versione sacrarum literarum satis frequens vocabulum illud est. Ut Gen. XXIV, 8. *Non teneberis juramento*. Et XXVI, 28. *Sit juramentum inter nos*. Alibi visuntur phrases *juramento se obstringere*, *sub juramento polliceri*, *juramentum custodire*. Vide modo Indicem, qui in versionem sacrarum literarum antiquam est factus. Utuntur & Sulpicius Severus, ejusque ævi alii, eo vocabulo. Quem vetus Interpres Geneseos *puteum juramenti* appellat, eum Sulpicius in libr. I. Hist. sacr. pari modo vocat. Sed antiquiores tamen, ut dixi, vocabulum istud plane nesciverunt. Scilicet quemadmodum, cum a nomine adjectivo *gratus* secun-

secundum analogiam substantivum *gratitudo* formare possent, non tamen hoc formarunt aut usurparunt: ita cum a verbo *jurare* secundum analogiam formare possent *juramentum*, non tamen hoc fecerunt, sed potius dixerunt *jusjurandum*, aut voce simplici *jurandum*. Plautus Rud. Act. V. Sc. 3. *Jurisjurandi volo gratiam facias*. Et Cistell. Act. II. Sc. 1. *Abi, querere, ubi jurando tuo satis sit subsidii*. Terentius Adelph. Act. III. sc. 2. *Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordiam represit, neque reflexit*. Cicero libr. III. de Off. *Nullum vinculum ad stringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt*. Idem ibidem: *Jusjurandum est affirmatio religiosa*. Rursus lib. V. ep. 1. *Magna voce juravi verissimum pulcherrimumque jusjurandum*. Et in Orat. pro Cœl. *Luccejus socius vestræ religionis jurisque jurandi*. Pari modo & in aliis locis, quibuscunque de jurejurando agit, ipsum vocabulum *jusjurandum*; nunquam vero *juramentum*, usurpat. Vide modo Indicem in Ciceronem Marii Nizolii, in quo notata sunt quamplurima. Tanti scilicet interest Latinæ linguæ diversas quas habuit ætates observasse.

Porro ad hunc censum pertinet vox *complices*: quæ *socios mali cujusdam facti* significat. Eam ab ipso Cicerone Orat. I. in Catil. usurpatam nonnulli crediderunt. Verum animadversum jampridem est, pro *complicium*, quod lectum ab aliquibus fuit, legendum esse *comitum*. Et recte fecit Marius Nizolius, quod in Lexico suo Ciceroniano vocem *complices* inter ceteras non recensuit. In Lexico Stephani tamen, Fabri, & id genus aliis comparere, neque prorsus omitti, vox debebat. Etsi enim ævo Ciceronis usurpata non videtur, reperitur tamen in scriptis Prudentii, Salviani, &, qui longa serie post vixerunt,

vixerunt, aliorum. Videsis Vosium lib. III. cap. VI. de vitiis Latini sermonis. Lexica linguæ universæ informari sic debebant, ut non modo Scriptores ævi Ciceroniani, sed & qui post scripserunt, illorum beneficio intelligi possent. Quo consilio multa vocabula, multasque vocabulorum significationes, quæ in scriptis non antiquissimorum observantur, Lexico Fabri ab Augusto Buchnero adjectas video; & multa id genus alia adhuc adjici possent. Ex quo tamen non conficitur, vocabulis istis promiscue & utendum esse. Aliud enim est Lexica scribere, per quæ cujusvis ævi non deterrimi Scriptores intelligi possint, & aliud elegantem orationem Latinam scribere. Lexica Latina admittunt multa, quæ elegans Latina oratio non admittit. Suntque in iis singula distincte ponenda; ut sciri possit, quæ vocabula, quæque vocabulorum significationes, quo ævo exortæ atque usurpatæ fuerint.

Vox *computus* ejusdem ævi esse videtur, cujus sunt superiores illæ. Etenim primus, uti Vossius censet, usus illa est Julius Firmicus, qui tempore Constantini M. vixit. Antiquiores pro ea dixerunt *computatio*. Vide Vossium lib. I. cap. 18. de vitiis Lat. serm.

Vocabula *compati* & *compassio* non quidem prorsus nova, & ad nostrum demum vocabulum *mitleiden* formata; sed tamen nec ævi Augustei, aut huic proximi, sunt. Clarissimus Vossius ex Evagrio, qui de vita S. Antonii; ex Cæsario, qui de miraculis scripsit, & ex aliis quibusdam citat. Potuisset autem & ex paulo antiquioribus, Ambrosio, Sulpicio Severo & aliis citare. Sulpicius Sev. Dial. III. *Dies autem illi non aspere, non acerbe, compatientis alloquio, non exprobrantis elogio.* Antiquus etiam sacrarum literarum Interpres non semel usus est.

est. Ut Hebr. IV, 15. *Qui non potest compati infirmitatibus nostris*, Et Hebr. X, 34. *Et vinctis compassi estis.* Item 1. Petr. III, 8. *Compatientes, fraternitatis amatores, misericordes.* In Græcis hic est συμπαθῆς. Et in alteris illis συμπαθήσαι τοῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε. Nec dubium est, Latinum *compati* ad Græcum συμπαθεῖν formatum, hujusque exemplo significationem ei tributam esse; ut videlicet *compati* idem sit, quod *vicem alicujus dolere.* Utitur autem Interpres eodem verbo & alia notione; & ita quidem, ut idem sit, quod *una pati.* Ut 1. Cor. XII, 26. *Compatiuntur omnia membra.* Sic & Rom. IIX, 17.

Quid porro sentiendum de verbo *condolere*? Antonius Schorus in libro de phrasibus Lat. ling. ita; *Observandum hic est, non significari hoc verbo Commoveri dolore, aut affici alicujus casu. Vulgus tamen sic loquitur, Condoleo tibi, condolere miseris: quod Germanicum potius est. Dicimus enim, mitleiden haben mit einem. Latini vero commoveri dolore, misericordia, tristitia. Condoleo enim nihil aliud significat quam doleo.* Vult igitur ille, compositum verbum *condolere* satis quidem Latinum, & antiquum, esse: verum videndum esse, ut justa significatione usurpetur; & ita quidem, ut nihil sit aliud quam simplex *dolere.* Et ita sane est. Ipse Cicero non semel eo vocabulo usus est. Ut in III. de Orat. *Namque latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus.* Et II. Tusc. *Nos, si pes condoluit, si dens, sed fac totum dolere corpus, ferre non possumus.* Atque ita de dolore corporis est usurpatum. Deinde, quomodo simplex *dolere*, de dolore quoque animi usurpatur. Ut I. Tusc. *Dicæarchus ne condoluisse quidem unquam videtur, qui animum se habere non sentiat.* Dicitur & *condolescere* pro *dolere*; ut *contupiscere* pro *capere.* Ut I. Acad. *Cum perturbationem*

bationem animi illi ex homine non tollerent, naturaque condolescere, & concupiscere, & extimescere, & efferri lætitia dicerent. Ceterum si dicatur *condolere alicui*, significeturque illud, quod Græci dicunt, συμπάσχειν τινί, & Latini *dolere vicem alicujus*, & Germani mei *mitleiden mit einem haben:* non justa ea significatio fuerit; ipsumque vocabulum vel in Germanismis, vel in Græcismis, habendum erit. Si nostri homines ita usurpent, alludunt illi ad suum vocabulum *mitleiden;* putantque *condolere* ita esse compositum, ut composita est vox Germanica; ut videlicet præpositio inseparabilis *con* comitatum notet, quomodo in vocabulo Germanico præpositio *mit*. Ceterum quod in scriptoribus etiam antiquis *condolere alicui* reperitur pro *vicem alicujus dolere*, id in Græcismis habendum est. Neque enim antiqui illi ad linguam Germanicam, utpote cujus nec periti fuere, alludere potuerunt; sed alluserunt illi ad Græcum συμπάσχειν. Antiquus Interpres sacrarum literarum ipsam illam phrasin *condolere alicui* bis aut ter usurpavit. Ut Eccles. XXXVII, 8. *Sodalis amico condolet.* Et v. 16. *Qui, cum titubaveris in tenebris, condolebit tibi.* Item Hebr. V, 2. *Qui condolere possit iis, qui ignorant & errant.* In Græcis Siracidæ sunt verba συμπονεῖν & συναλγεῖν. At in ep. ad Hebr. est verbum μετριοπαθεῖν. Sulpicius Severus pro *condolere alicui* dicit & *dolere alicui.* Ut in Vita Mart. *Se magis illi dolere, qui Christi misericordia, utpote latrocinia exercens, esset indignus.* Sed Codex tamen MS. Bibliothecæ Electoralis Brandeburgicæ habet, *se magis illi condolere*; ut in Notis quoque ad eum locum ostendimus. Ubi porro & hoc monuimus, Sulpicium pari ratione dicere *lætari alicui* pro *lætari alicujus causa;* idque itidem vocabulo non composito, sed simplici.

CAP.

CAP. XXIII.

De quibusdam omnino non Latinis, ac plane ineptis vocabulis.

SUnt vocabula quædam, quæ cum apud nullum paulo antiquiorem Scriptorem reperiantur, planeque inepta sint, tamen passim hodie usurpantur. Tale est verbum *concernere*. Hoc usurpant pro *pertinere ad aliquid*. Ut Joh. Musæus pag. 2. libri sui de S. Cœna. *Quæ* (necessitas) *sicut alias ubique, ita cumprimis in iis, quæ res supernaturales concernunt, solicite observanda est*. Et pag 13. *Syllogismus utique in tertia figura, & quod figuram concernit, bonus est*. Ipse quoque Loosæus, qui Scopas Latinæ linguæ scripsit, cavere sibi hic non potuit. Ad phrasin *Qualis est liber*, ille sic notat: *Nam formam libri, ornatum, aut aliam qualitatem ejus ista concernunt*. Et mirum profecto, vocabulum ea, qua dixi, significatione adeo secure a viris quoque doctissimis usurpari, cum nullum ejus significationis exemplum in toto Cicerone, totque aliis antiquis Scriptoribus reperire possint. Quin omnino nec Latina est vox ista. Citant quidem Stephanus ac Nizolius verba Q. Ciceronis de petit. Cons. ad Marcum fratrem: *Quod si satis grati homines essent, hæc omnia parata esse debebant, sicut parata esse concerno*; iisque verbis docere volunt, compositum *concerno* idem esse, quod simplex *cerno*: verum nonnulli codices, & quidem qui ad fidem codicum MSS. sunt emendati, pro *concerno* habent *confido*; id quod & Nizolius agnoscit. Si vero maxime probum verbum istud esset, tamen nihil amplius esset quam simplex *cerno*; & minimum ea quam dixi significatio repudianda esset.

Ineptum quoque verbum est *collimare*; quanquam & ipsum hodie passim visitur. Nic. Hunnius De-

dicatione διασκ. *Quo & Neoſtadienſis Admonitio haud obſcure collimavit.* Gerh. Titius Repetitione doctr. Proteſt. de S. C. pag. 50. *Etſi videor mihi nonnihil videre, quorſum collimet & dirigat arcum.* Ipſe elegantiſſimus Muretus lib. XVII. var. lect. cap. 10. *Sed ne optimi quidem jaculatores ſemper collimant.* Stephanus item in Lexico: *Collimare a limis oculis deductum eſt, & ſignificat id, quod nunc figere album dicunt.* Subdit quoque locum ex lib. II. Ciceronis de Div. *Quis eſt enim, qui totum diem jaculans non aliquando collimet?* Verum teſtantur viri docti, in optimis MSS. non *collimet*, ſed *collineet*, eſſe. Vide Voſſium lib. IV. de vitiis Lat. ſerm. cap. 4. & Scioppium in Judicio de ſtylo hiſt. p. 166. Et Muretum Scioppius non tantum eò falſum fuiſſe cenſet, quod *collimare* pro *collineare* dixit, verum etiam quod non juſta ſignificatione verbum uſurparit. *Deinde novitas ſignificationis*, inquit, *multos offendet; cum collineare nequaquam ſignificet deſtinatum ſerire ſeu ſcopum tangere, ſed dirigere & moderari manu telum, velut Seneca loquitur.* Subdit deinde locum Ciceronis ex lib. III. de fin. *Si cui propoſitum eſt collineare haſtam aliquo, aut ſagittam.* Item illud ex lib. II. de Div. quod modo ex mente Stephani perperam deſcripſimus, *Quis eſt, qui totum diem jaculans non aliquando collineet?* Quod quidem Scioppius exponit ita: *Qui ſemper temere & incertum jaculetur, neque jaculum ad certum aliquem locum dirigat.* Profert quoque illud Gellii ex libri hujus IX. cap. 1. *Si in editiora telum mittas, & ad percutiendum ſuperne aliquid manum & oculos collinees.* Et denique illud Apuleji ex lib. IX. de Aſ. *Collineatis oculis ad umbram meam*, id eſt, intentis, directis.

Vocabulo item *correſpondere* & *correſpondentia*

barbara

barbara & inepta esse nemo negaverit. Et sunt tamen, qui secure illis utuntur. Nic. Hunnius Διάκοσμ. sect. 668. *Id omne, quod conceptui intrinseco divinæ voluntatis correspondet, est proprie voluntas Dei.* Et Dedicat. sect. 29. *Nunc igitur qualiter ea comparata & requisitis correspondent, expendendum erit.* Apparet *correspondere* posuisse illum pro *convenire, congruere.* Verum non decompositum *correspondere*, sed tantum compositum *respondere* eo significatu ab antiquis usurpatum reperitur. Virgilius lib. I. Georg. *Illa seges demum votis respondet avari Agricolæ.* Idem lib. I. Æneid. *Dictis respondent cetera matris.* Cicero I. de Nat. D. *Ut omnia omnibus, paria paribus respondeant.* Et V. de fin. *Respondent extrema primis.*

Ineptum item ac barbarum est *recompensare*, quod passim hodie usurpari videas pro *compensare*, ac dici exempli gratia, *Beneficia in me collata recompensare studebo.* Verum sufficit compositum *compensare*; neque decomposito *recompensare* hic est opus. Cicero pro Mur. *Neque ullare alia, quæ a nobis consequuntur, nisi opera sua compensari posse.* Et pro Cluent. *Atque hæc omnia honoris commodis compensantur.* Alterum illud *recompensare* ex hodierna lingua Gallica adscitum est, in qua quippe *recompenser* dicunt.

Neque alia origo est alterius decomposiți *recommendare*, quo vulgo pro composito *commendare* utuntur. Galli enim hodie *recommender* dicunt. Quocirca nec de verbo *recommendare* aliter quam de superiore *recompensare* est sentiendum; videlicet barbarum atque ineptum in sermone Latino illud esse.

CAP. XXIV.

De verbi inquam, inquis, inquit, *tum positu, tum significatu quodam minus Latino.*

SÆpe miratus sum, nonnullos, si vel totum Ciceronem, totque alios Scriptores veteres legant ac pervolutent, non tamen observare, quem locum verbo *inquam, inquis, inquit*, veteres Scriptores tribuant; aut, si observent, non tamen eundem eidem verbo locum assignare pensi habere. Collocant quidam verbum istud ante totam aliquam, quam referre instituunt, orationem. Exempli gratia Gerhardus Titius in Responso suo: *Refers hic recte sententiam meam, quando sic inquis: Vis igitur, si nativa proprietas in verbis Domini servetur.* Pari modo verbum tertiæ personæ *inquit* frequentissime ab hominibus nostræ ætatis collocari videas. At veteres verbum *inquam, inquis, inquit*, perpetuo post primam, aut post priores voces orationis, quam referre instituunt, collocant. Persius Satyra I. *Hoc juvat. hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.* Nepos Epaminonda: *At ille Diomedonte coram, nihil, inquit, pecunia opus est. Nam si ea rex vult &c.* Et paulo post: *Hunc Diomedon cum rogaret, ut tuto exire, suaque quæ attulisset, liceret efferre: Istud, inquit, faciam: neque tua causa, sed mea &c.* Rursus: *Huic ille, Fallis, inquit, verbo cives tuos, quod hos a bello avocas.* Idem Nepos in Alcib. *Ab hoc discedent Alcibiades, Quoniam, inquit, victoriæ patriæ repugnas &c.* Et in Hannib. *Tum ille Faciam, inquit, si fidem mihi, quam postulo, dederis.* Cicero in lib. de claris Orat. *Quid vos, inquam, Brute & Attice nunc, quid tandem novi? Nihil sane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis, aut ego pro certo dicere audeam. Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo venimus,*

mus, ut de rep. esset silentium, & aliquid audiremus potius ex te, quam te afficeremus ulla molestia. Vos vero, inquam, Attice, & præsentem me cura levatis, & absenti magna solatia dedistis. Nam vestris primum literis recreatus me ad pristina studia revocavi. Tum ille, Legi, inquit, perlubenter epistolam, quam ad te Brutus misit ex Asia: qua mihi visus est & monere te prudenter & consolari amicissime. Recte, inquam, est visa. Ex quibus Ciceronis apparet, ipsum, cum dialogum quendam exponere atque in literas referre studeret, verbum primæ personæ *inquam*, & tertia *inquit* usurpasse, idque post primam, aut post priores voces orationis, quam referre instituit, collocasse. Et sane ipsum illum verbi *inquam, inquit*, in sermonibus ac dialogis exponendis usum Antonius quoque Schorus in libro de phrasibus Latinæ linguæ ob oculos posuit, & cavendum docuit, ne in orationibus ac dialogis exponendis usurpentur verba *Dixi, Dixit, Respondi, Respondit.* Verba ejus sunt: *Inquam, inquis, inquit, sermonum & colloquiorum verbum est: pro quo nostri potius utuntur Dixi, Dixit, Respondi, Respondit. Cicero vero in Dialogis Inquam dixit, non Dixi aut Respondi.* Verum de prædicto verbi *inquam, inquis, inquit*, positu observando Antonius Schorus nihil monuit. Sed est tamen alius Vir doctus, qui jamdiu ante nos ea de re scripsit. Nimirum Paulus Manutius ad verba Ciceronis *Te, inquit, ipsum cupio*, quæ in epistola IX. libri I. leguntur, sic scriptum reliquit: *Lector admonendus, quod pertinet ad usum Latinæ linguæ, nec Ciceronem, nec Terentium, nec omnino quemquam reip. temporibus Inquit usurpare, nisi præposito aliquo verbo: quod non attigissem, nisi peccare in hoc sæpe non obscuri nominis homines animadverterem.* Et ita sane est, ut Vir clarissimus ait; neminem vete-

rum verbum *inquam*, *inquis*, *inquit*, nisi præpositō verbo aliquo orationis, quæ referenda est, usurpasse. Nec tantum verbo temporis præsentis, & modi indicativi, sed & aliorum tum modorum tum temporum, sic utuntur. Plautus Pseud. Act. I. Sc. 5.

PS. Dabin mihi argumentum, quod dem lenoni illico Tua voluntate? CA. Jus bonum orat Pseudolus: Dabo, inque. SI. At enim scin quid mihi in mentem venit?

Calliphonem inducens adhortantem Simonem, ut argentum Pseudolo se daturum recipiat, non dicit *Inque, dabo;* sed *Dabo, inque.* Cicero II. de Orat. *Tu vero, inquisti, molestus non eris.* Idem in Verr. *Ergo, inquiet aliquis, donavit populo Syracusano illam hereditatem.* Auctor ad Herenn. lib. IV. *Quid enim tibi vis, aliquis inquiat.* Nec tantum in oratione, quæ ore profertur, sed & in oratione scripta referenda, verbum *inquit* eo quo dixi positu usurpant. Gellius lib. VI. cap. 9. *Cneus, inquit, Flavius patre libertino natus, scriptum faciebat.* Citat ille locum ex annali tertio L. Pisonis. Proximo sequente capite verba Tauri philosophi, quibus ille ad capessendam philosophiam hortatus fuerit, recenset; neque ex alio quodam libro ea citat, sed ut a seipsa audita proponit. Utitur autem rursus vocabulo *inquit;* ipsoque illo, quem dixi, positu. Verba sunt: *Decreto, inquit, suo Athenienses caverant, ut, qui Megaris civis esset, intulisse Athenas pedem prehensus esset, ea res ei homini capitalis esset.*

Clarissimus Vossius in suo de vitiis Latini sermonis libro de pravo quodam verbi *inquam* usu monet; quod videlicet illo utuntur ii, qui quod perperam ipsis excidit, corrigere volunt. Profert item ex Plauto, quod commode pro eo dici possit; videlicet *Illud volui dicere.* Vide cap. XXXIV. libri Vossiani.

siani. Loca Plauti, quæ demonstrat, sunt Mil. glor. Act. III. Sc. 2. & Mostell. Sc. 3. *Melius amo.*

CAPUT XXV.

Quædam vocabula vulgo non recte scribi.

SUnt vocabula, quæ & satis Latina sunt, & justa quoque significatione usurpantur; sed perperam subinde scribuntur; litera quædam illis vel adjicitur, vel demitur; vel denique alia pro alia ponitur. Tale vocabulum est *auctor*, quod plerique perperam scribunt *autor* vel adhuc pejus *author*. Quod scribendum sit *auctor*, per C puta & sine H, id ex antiquis lapidibus & nummis optime sciri potest. Lapidum unus Romæ ante ædes Cæsias sic habuit:

COLLEGIU
AUGURUM. AUCTOR
IMP. CÆSARE. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEPOTE
TRAIANO. HADRIANO
AUG. PONT. MAX. TRIB
POT v COS. III. PROCOS.
TERMINOS. POMERII
RESTITUENDOS. CURAVIT.

Nec aliter habent alii lapides. Quorum plures videsis apud Aldum Manutium in Ratione Orthographiæ. Accedit quod Dio Cassius in lib. LV. ubi vocem *auctoritas* refert, Græce non ἀυτωριτας, sed addito κ ἀυκτωριτας scribit. Sed dicat quispiam, si *auctor* scribatur, oportere vocabulum ortum putari a verbo *augeo*: atqui hoc non posse; quia *auctor* non dicatur is, qui rem augeat ac majorem reddat, sed qui rem primum instituat & procreet. Sciendum igitur, ipsum quoque *augere*, unde *auctor* ortum est,

non tantum idem esse quod *majus reddere*, sed & idem quod *creare, procreare, efficere.* Lucretius lib. V. v. 323.

Nam quodcunque alias ex se res auget, alitque.

Pro quo paulo ante dixerat, *Quod procreat ex se omnia.* Rursus lib. II. v. 984. *Et ridere potest non ex ridentibus auctus.* Ubi *auctus* idem quod *procreatus.* Sic & paulo ante:

Quid? genus humanum propritim de quibus auctum est
Scilicet & risu tremulo concussa cachinnant.

Livius lib. XXVII. *In agrum bello captum missos colonos stirpis augendæ causa.* Ubi *stirpis augendæ* est pro *stirpis procreandæ.* Prudentius libr. I. contra Symm. *Quis te semideam jactant auctoribus auctam:* Ubi commode *auctor* & *aucta* ut ejusdem originis voces conjunguntur. Atque eam vocis originem manifeste Sosipater quoque Charisius tradidit in lib. I. Instit. Gramm. *Auctor*, inquit, *propterea dicitur, quod augeret & generaret, & auctricem dicimus, quod pariter augere* (& generare) *possit.* Quia *generare* ponit post *augere*, & hoc per illud explicat, satis intelligitur, *augere* idem hic esse quod *generare.* Et sane ipsius vocabuli *auctor* significatio præcipua hæc est, quod significat eum, qui aliquid instituit, efficit, aut procreat. Virgilius lib. VI. Æn. *Ilusque Assaracusque & Trojæ Dardanus auctor*; Item lib. IIX. *Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor.* Svetonius Claud. c. XXIV. Appium Cœcum *generis* Claudii *proauctorem* vocat. Sic & Rutilius lib. I. Itinerarii: *Auctorem generis Venerem Martemque fatemur.* Atque ea causa est, quod librum scriptores & *auctores* vocantur. Juvenalis Sat. VII.

Ut præceptori verborum regula constet,
Ut legat historias, auctores noverit omnes
Tanquam ungues digitosque suos. Vide

Vide & Buchnerum in Additionibus ad Fabrum & Scioppium in Infamia Famiani, pag. 17.

Porro & *seorsim* perperam scribitur pro *seorsum*. Gerh. Titius p. 150. Responsi: *Etsi id non ausus sis seorsim exprimere.* Atqui monuerunt viri docti, non modo codices manu scriptos, veteresque Grammaticos, habere *seorsum*, sed & ipsam analogiam id requirere. Dicitur enim *seorsum* pro *sevorsum*, quomodo *deorsum* pro *devorsum*, & *quorsum* pro *quovorsum*, & *prorsum* pro *provorsum*, & *rursum* pro *revorsum*; extrita scilicet litera Vau. Deinde *vorsum* in his talibus more antiquo est pro *versum*. Ac ut magis credatur, *seorsum* eodem modo formatum esse, quo formata sunt *deorsum*, *prorsum*, *rursum*, notetur etiam, quod veteres dixerint quoque *seorsus*, quomodo & dixerunt *quorsus*, *prorsus*, *rursus*. Plautus Rud. Act. V. Sc. 2. *Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt, & præterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsus.* Ex quibus Plauti genuina quoque vocabuli vis & significatio apparet; quod videlicet *seorsus* & *seorsum* esse dicatur illud, quod ab alio separatum & secluſum est. Quam vocabuli vim non observavit Strada, quod scripsit: *Provinciæ Belgii suos habere seorsim dominos.* Ad quæ verba Scioppius ita: *Seorsum eos habuissent, si eos alicubi in penetrali concluſos tenuissent, quomodo manum habet seorsum, apud Catullum, qui eam continet, ne quid in horto carpat.*

Porro nec *tyro* vulgo recte scribitur. Ita quidem ipse Vossius lib. I. de vit. L. S. cap. 16. *Lactucinium*, inquit, *a lacte formarunt, quo pacto a patronus patrocinium; a tyro tyrocinium.* Item Scioppius pag. 280. Scal. hypobol. *Quod negat hoc genus in Latino scriptore ferri posse, etiam a tyronibus Latinæ linguæ refelli queat.* Et in Infamia Fam. p. 317. *Fœdum ac nec*

in

in linguæ tyrone ferendum anacoluthon. Scripserat quoque ita Erasmus Schmidius: quem eo nomine Joh. Rhenius in pag. 76. Hist. belli Gramm. notat. Ipse Vossius, qui, ut dixi, in libro de vitiis serm. Lat. scripsit *tyro* & *tyrocinium*, in Etymologico tamen linguæ Latinæ scribit, *Tiro non per Y, sed per I scribendum esse, ita esse in Pandectis Florentinis & in antiquis Inscriptionibus.*

A multis perperam quoque scribi video *Musæum* pro *Museum.* Sane Græcum est Μουσεῖον. Et notum est, vocabula Græca, quæ diphthongum EI habent, si scribantur Latine, vel per simplex E, vel per I scribi. Ita ex βραβεῖον fit *brabeum*; & ex Βασιλεὺς fit *Basilius*; & ex Ἀλεξανδρεία *Alexandria* & *Alexandrea.* Quod autem diphthongus EI Latine & per Æ exprimi possit, & exempli gratia scribi *Musæum*, nullo exemplo doceri potest. Dicebantur jam olim *Musæa* ædificia & loca, in quibus literas colendi causa degebatur aut conveniebatur. Ita *Museum Alexandriæ* nominat ac describit Strabo in libro ultimo; & Suetonius item cap. XLII. Claudii mentionem ejus facit.

In libellis medicis subinde *Catharrus* scribi videas. Verum nemo, qui linguæ Græcæ non plane expers sit, nescit, aspirationem non literæ T, sed literæ R posteriori adjiciendam esse, scribendumque *catarrhus.* Græce quidem scribitur κατάῤῥους: idque contracte ex κατάῤῥοος, a verbo καταῤῥέω.

Passim quoque scribi videas *laj i licina* pro *lapicidina.* Et mirum sane, ipsum quoque Taubmannum in Captivorum Plauti Act. V. Sc. 1. scripsisse: *In lapidicinas compeditum condidi.* Sed prætendat ille non paucos codices MSS. ita habere. Quod ego quidem minime nego: veruntamen quia alii codices habent *lapicidina*, & hanc scriptionem ipsa vocabuli origo comprobat, hanc potius quam illam sequendam esse existimo.

existimo. Dicitur *lapicidina* a *lapidibus cædendis*, ut ipse Varro lib. VII. de lingv. Lat. docet. Quare utriusque partis compositionis & vestigia apparere oportet. Atqui si, ut vulgo, scribatur *lapidicina*, tantum prioris compositionis partis vestigium apparet. Neque enim terminatio *cina* ad verbum *cædo* quicquam attinet. Quod autem ad priorem compositionis partem attinet, una ejus syllaba, & quidem DI, extruditur, diciturque *lapicidina*, pro *lapidicidina*, quomodo & *lapicida* dicitur pro *lapidicida*, & *homicida* pro *hominicida*.

Scribitur quoque vulgo *soboles* pro *suboles*: sed rursus perperam. Festus: *Suboles aboleſcendo, id est, creſcendo, ut adoleſcentes quoque, & adulti, & indoles dicitur.* Ubi ipse ordo literarum, quem Festus servat, ostendit, quod ipse non *soboles*, sed *suboles* scriptum voluerit. Præterea vero ipsa quoque origo, quam tradit, hoc demonstrat. si enim *suboles* est ab *oleſcendo*, necesse est, priorem partem compositionis præpositionem *sub* esse. Glossæ item Philoxeni habent: *Suboles* ἐπιγονὴ, γονὴ, γενεά. Item: *Subolis* γονῆς. Dein Lexicon Græco-Latinum, quod in calce aliquot scriptorum Cyrilli inventum: γονὴ *fetus*, *progenies*, *suboles*. Neque aliter in codicibus MSS. atque in lapidibus legi, Viri docti testantur. Vide Aldi Manutii Rationem Orthographiæ, & Gerh. Joh. Vossii Etymologicum Lat. lingv. Et putat Vossius, *subolem* proprie vocari τὰς παραφυάδας, hoc est, stolones seu pullos arborum stipitibus accrescentes; quemadmodum vocabulo usus sit Columella lib. V. c. V. μεταφορικῶς autem dici de liberis, qui parentibus suis itidem succrescant & quasi subolescant. Vide & Additiones Buchneri ad Fabrum. Scripserat & Strada *soboleſcens* pro *suboleſcens*: sed notatus eo nomine est a Scioppio in libello, qui notus est, pag. 61.

CAP.

CAP. XXVI.

De variis, quæ non satis Latina videri possunt.

CONsiliarium Principis vocant & *a consiliis*; &, si consilia, quæ dat, ad sacras atque ecclesiasticas res pertineant, a *consiliis sacris*. Et sane ad analogiam aliorum id ita dici non nego. Veteres varia id genus habuerunt: nec modo *a pedibus*, *a manu*, quæ quidem officia viliora notant; sed & *a studiis*, *a cura amicorum*, *ab epistolis*, *a bibliotheca*, & id genus alia usurparunt. Et ad locutiones hujusmodi vel nomen substantivum diserte adjecerunt, vel subaudiendum reliquerunt. Cicero lib. VIII. ad Att. ep. V. *Nec ullam ob aliam causam Pollicem Servium a pedibus meum Romam misi.* Svetonius Cæs. cap. LXXIV. *Philemonem a manu servum simplici morte puniit.* Vetus inscriptio, quam Buchnerus in lib. de commutata rat. dicendi, producit:

NESTOR
C. CÆSARIS SERVUS
GERMANICIANUS
A SUPELLECTILE VIX. AN. XL.

In his vox *servus* diserte addita apparet. Subinde vox *libertus* addita reperitur. Ut in alia inscriptione, quam idem Buchnerus eodem loco habet:

TI. CLAUDIUS
LEMNUS
DIVI. CLAUDII
AUG. LIB.
A. STUDIIS.

Item:

M. ULPIUS
AUG. LIBERTUS
A. CURA. AMICORUM.

Subinde

Subinde nomen substantivum *servus*, aut *libertus*, subaudiendum relinquitur. Vetus inscriptio, quam citat Vossius cap. XVII. lib. I. de vit. L. S. ANTIOCHUS. TI. CLAUDI. CÆSARIS. A. BIBLIOTHECA. APOLLINIS. Aliud: C. JULIUS. FELIX. A. BIBLIOTHECA. GRÆCA. PALATINA. Et notandum, quod casus hic secundus ponitur, diciturque *Cæsaris a Bibliotheca*; non, ut vulgo, *Cæsari a Bibliotheca*. Quod idem & in superioribus, ubi nomen *servus*, aut *libertus* diserte addebatur, apparet: ut *C. Cæsaris servus a supellectile. Claudii Aug. libertus a studiis.* Sic & Cicero Pollicem Servium *a pedibus suum*, id est, Ciceronis appellabat. Quoniam nomina substantiva, quæ dixi, vel diserte adduntur, vel subaudienda sunt: non tertii, sed secundi casus nomen ei jungi oportet. Quæ cum ita se habeant, quid, quæso, videri debet phrasis *Principis consiliarius a sacris?* Scripsit ad eum modum Gerh. Titius pag. 9. Responsi prioris: *Celsissimi Ostfrisiæ Principis hodie ecclesiastes aulicus & consiliarius a sacris.* Postremis illis *a sacris* apparet ipsum imitari voluisse veterum illa, *a manu*, *a pedibus*, *ab epistolis*, *a rationibus*. At veterum illa mera habent nomina substantiva; cum Titii illud habeat adjectivum. Sed dicet ille *a sacris* idem esse quod *a rebus sacris*; ut ipsa quoque vox *sacris* hic pro nomine substantivo sit habenda. Ut maxime igitur tolerari istud possit, vix tamen videtur dici posse *consiliarius a sacris*. Sane antiquiores in hujusmodi locutionibus vocabulum generale *servus*, aut *libertus* vel diserte adjiciebant, vel subaudiendum relinquebant; quodque munus cujusque esset, id vocabulo demum casus sexti exprimebant. Exempli gratia *Ciceronis servus a manu*, *Cæsaris servus a supellectile*, *Claudii libertus a studiis*,

Augusti

Augusti libertus a cura amicorum. Item: *Cæsaris a Bibliotheca.* A quibus veterum illud Titii, quod dicebam, *Principis consiliarius a sacris*, non parum discrepat. Quod consiliarius ille Principis esset, id, si antiquiores imitari, atque illud *a sacris* usurpare vellet, non recti, sed obliqui casus vocabulo exprimendum fuisset, dicendumque *Principis a consiliis sacris*; ac deinde vocabulum quoddam generale, ut dixi, ad idem subaudiendum esset. Rursus, etsi ipsum *consiliarius* in talibus usurpatum non reperiam, tamen non multum dissimilia esse fateor. Dixerunt enim *Præpositus a crystallinis*, *Magister a bibliotheca*, *Medicus ab oculis*, *Architectus a villa Sextiana*, *Nomenclator a censibus*, *Procurator a patrimonio*, *Quæstor a frumento*, *Ornatrix a tutulo*; & id genus alia.

Supra de vocabulo *abhinc* egimus, ac de quodam ejus usu, quem apud Dionysium Petavium observaveramus, dubitavimus. Quid autem habendum de eo, quod Joh. Musæus in sectione XV. Dissertationis de S. Cœna scripsit: *Elapsis abhinc octodecim annis edito Tractatu?* Annon sufficeret *Octodecim abhinc annis edito Tractatu?* Ita sane putem. Illud *elapsis* prorsus supervacuum, nec a veteribus in tali locutione additum videtur. Alius vir doctus nomine Tilingius in lib. de tub. ut. scribit: *Quam ante decem annos præterlapsos divulgavit.* Sufficeret, credo, & hic, *decem abhinc annis*, vel *decem abhinc annos.* Quod decem anni non futuri, sed jam præteriti & præterlapsi intelligantur, id ex verbo temporis præt. *divulgavit* intelligi poterat.

Ipsum librum quem dixi Musæus orditur sic: *Si quæ ulla, hæc certe, quæ de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cœna est quæstio, inter Theologos Protestantes & Reformatos acriter disceptata est.*

Sed

Sed annon sufficeret *Si ulla?* Illud *quæ ulla*, videtur aliquid supervacuum ac ταυτόλογον habere. Etenim *quæ* hoc loco est pro *aliqua*. Ergo *si quæ ulla* esset pro *si aliqua ulla*. Ceterum post voculam *si* nec *quæ*, sed *qua* poni solet; & quidem pro *aliqua*, ut dixi.

Quid porro videtur phrasis, *Ubi manet hoc vel illud?* Ad eum modum Gerh. Titius pag. 150. Respondi scripsit: *Ubi nunc manet tua illa muliebris de injuria a me tibi facta querela?* Item Lutherus in lib. de serv. arb. *Ubi nunc manet opinio probabilis, quæ statuit liberum arbitrium nihil boni velle posse.* Item: *Ubi tunc illud Apostoli manebit, Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum.* Vult ille, si id, quod adversarius velit, sit verum, tolli opinionem illam probabilem, qua statuitur, liberum arbitrium nihil boni velle posse: tolli etiam istud Apostoli, *Omnis scriptura* &c. Quis autem veterum ad hunc modum locutus sit, nos quidem adhuc latet. Formata illa fortasse sunt ad ῥήσεις vernaculas, *Wo bleibet nun deine klage? Wo bleiben des Apostels worte?*

Verbum *sonare* non satis Latine usurpari videtur, si dicatur, *ita verba alicujus sonare*. Ad hunc modum Gerh. Titius pag. 216. Resp. *Ut tua singularis humanitatis emblemata sonant.* Sic & alibi: *Ut sonant verba.* Vult ille, verba ita se habere, verba illa esse: idque verbo *sonare* effert. Recte tamen dicetur, si quis dixerit, *verba sonare* pro *verba significare*. Et additur tunc nomen quarti casus. Cicero lib. III. Off. *Honestate dirigenda utilitas est, & quidem sic, ut hæc duo verba inter se discrepare, re unum sonare videantur.* Et lib. II. de fin. *Non intelligere interdum, quid sonet hæc vox voluptatis, id est, quæ vis huic voci subjiciatur.*

Possitne porro dici *contradicere sibi in os?* Ita quidem rursus Gerh. Titius pag. 149. Responsi: *Nec potuisti injuriam a me tibi factam aliter probare, quam ut tibi ipsi in os contradiceres.* Scio Latinos dicere, *laudare aliquem in os.* Neque dubitem eos dicere quoque, *contradicere alicui in os, resistere alicui in os,* & id genus alia. Phrasi *resistere in os* usum video Castalionem ad exprimendam Græcam phrasin Apostoli ἀνθίστημι κατὰ πρόσωπον; & pari ratione Bezam phrasi *obsistere in os.* Quod autem nunc dubitamus, illud est; an recte dicatur *laudare se in os, contradicere sibi in os.* Potest utique homo seipsum laudare; & potest sibi ipsi contradicere. Potest item in os laudare alterum, & in os contradicere alteri. Verum seipsum in os laudare & sibi ipsi in os contradicere non videtur posse. Illud *in os* sine dubio nihil aliud est, quam *in faciem, adversus faciem.* Si igitur dicas *laudare se in os,* & *contradicere sibi in os,* quia os seu faciem non alterius, sed ipsius illius, qui laudat & contradicit, intelligi oportet, perinde illud erit, ac si dicas, *laudare se in suum ipsius os seu faciem, contradicere sibi in suum ipsius os seu faciem.* Atqui fieri hoc per rerum naturam non potest, ut in suum ipsius os se quispiam laudet, & in suum ipsius os sibi contradicat: neque enim suum ipsius os & faciem homo adversam habet, quomodo os & faciem alterius habere potest. Quare omnino ita nec loquendum videtur, ut seipsum in os laudare, & sibi ipsi in os contradicere aliquis dicatur. In scribendo, ut Cicero in Bruto monet, rationem tanquam obrussam adhibere oportet: nec quæ per ipsam rerum naturam fieri non possunt, tamen bene Latine dici posse putandum est. Est Phrasis *contradicere sibi in os* fere istiusmodi, qualia sunt, quæ supra in capite primo extremo ex scriptis Stradæ produximus;

ximus ; videlicet *integumento corporis se evolvere, Tumultuum causas plectere, Sclopo appeti, oportunitatem capessendæ pugnæ suadere, multos hostium amittere.* Quemadmodum enim non modo contra morem veterum, sed & contra rationem scripta sunt ista: ita prorsus & illud.

Ejusdem fere generis est etiam illud, quod Strada scripsit *summopere capi studio venandi* pro *summopere capi venationibus:* quo nomine & notatus est a Scioppio in libello, qui notus est. Dicunt sane Latini tum *Res capit me* pro *Res delectat me;* tum *Ego capior re* pro *Ego delector re.* Horatius in lib. de Arte poet.

Ut pictura, poesis erit: quæ si propius stes,
Te capiet magis; & quædam si longius abstes.

Idem lib. I. Sat. 4. *Hunc capit argenti splendor.* Cicero Orat. pro Cluent. *Ea animum adolescentis pellexit his omnibus rebus, quibus illa ætas capi ac deliniri potest.* Ad hunc modum igitur dici potest, *venationibus capi.* Verum *studio venationis capi,* & *studio venandi capi* dici non potest; si quidem studium venandi ipsius illius, qui venationibus capitur, ut in verbis Stradæ utique intelligi oportet, intelligatur. Nam *studio venandi alterius capi* non male dici quis possit; si quidem in alium scienter venationi operam dantem inspiciat, exque illa inspectione voluptatem capiat.

Quid porro de eo sentiendum, si quis dicat, *Incumbit tibi hoc faciendum?* Ad hunc modum Gerh. Titius pag. 154. Responsi: *Evincendum tibi tum, & sole quidem clarius, incumbet.* Item pag. 171. *Hoc vero e verbis Domini auditis ita necessario colligi nego ego, & tibi sole clarius probandum incumbit.* Jam notum est, verbum *incumbere* notione officii ac debiti usurpatum reperiri: verum quod nunc dubita-

mus, illud est, an & gerundium adjiciant, atque ita ratione duplici officium ac debitum denotent. Ipsum enim gerundium quoque tale est, ut officium ac debitum alicujus significare possit. Ut si dicas, *probandum illi est*, intelligitur inde, quod cujuspiam hoc munus sit, ut aliquid probet: quodque id facere illum oporteat. Sane inter veteres Ulpianus non dicit *probandum alicui incumbit*, *defendendum alicui incumbit*; sed *probatio alicui incumbit*, *defensio alicui incumbit*. Verba ejus l. 1. D. De Magn. conven. hæc sunt: *Probatio non pupillo incumbit, ut doceat fidejussores solvendo non fuisse, cum acciperentur, sed magistratibus, ut doceant, eos solvendo fuisse.* Item l. 5. D. de Senatusc. Silaniano: *Ubi quis incuria necatus est, vel medici insidiis, adiri quidem hereditas potest, sed heredi defensio mortis incumbit.* Possit & fortasse dici, *Hoc tibi incumbit probare*; ut *probare hoc* subjectum, *incumbit tibi* prædicatum sit enunciationis. Nam *probare hoc* & *probatio hujus* admodum parum differunt. In Codice Justiniani etiam legere memini, *necessitatem probationis alicui incumbere.* At verbo *probandum alicui incumbere*, ut dixi, legere non memini.

CAPUT XXVII.

Iterum de variis, quæ non satis Latina videntur.

VOcabulum *subditus* vulgo ut nomen substantivum usurpant, & aliud substantivum casu secundo ei jungunt, dicuntque exempli gratia *subditi Principis*, & loco nominis substantivi posito pronomine possessivo, *subditi tui.* Quod cum Caspar quoque Scioppius in scriptis Casauboni, aliorumque magnorum virorum, observasset, in Judicio de stylo hist. ita scripsit: *Novum est subditos alicujus pro subditos alicui*, & (subditos) *tuos pro* (subditos) *tibi dicere*,

dicere, quos boni auctores subjectos aut parentes, prima syllaba producta, aut alicui subditos appellant. Ubi hoc tantum requirere videtur, ut pro *subditus alicujus & subditus tuus*, dicatur *subditus alicui*, & *subditus tibi.* Verum in libello, quem Infamiam Famiani inscripsit, eo amplius ita scripsit: *Subditus Latine non usurpatur pro eo qui est sub alicujus ditione & imperio, alicui subjectus. Nam subdere est dare in alterius locum. Inde puer vel partus subditus aut subditivus: tergum suum alienæ stultitiæ subdere succedaneum, pro alienæ culpæ* (alienam culpam) *tergo luere.* Quibus proximis prorsus negare videtur, *subditum* idem quod *subjectum* significare posse. Sed & Antonius Schorus in Phrasibus Latinæ linguæ de vocabulo *subditus* ita: *Latinæ linguæ imperiti, iique præsertim, qui optimorum auctorum non sunt studiosi, hoc nomine significant eos, qui subjecti sunt dominis aut principibus: sed quam inscite, illi sciunt, qui intelligunt, non notari* (illos) *eo nomine, sed aliis, quæ omnino vulgus ignorat. Vocarunt enim eos Latini non uno nomine, sed pluribus, Qui alicui subjecti sunt, Qui in potestate aut imperio alterius sunt, Qui sub regno sunt, Qui in ditione alicujus sunt, Quibus aliquis præest, Vectigales, Stipendiarii, Clientes.* Atqui negandum non est, ut Scioppius velle videbatur, *subdere* idem quoque esse quod *subjicere.* Ipse Cicero II. de Nat. D. *Aquæ effervescunt subditis ignibus.* Ex quo apparet, Latinos dicere *subdere ignes aquis.* Sic & Plinius dicit, *subdere boves jugo;* & Ovidius *subdere calcar equo;* & Virgilius *Flamma subdita medullis.* Deinde & hoc sciri potest, quod vox *subditum* usurpetur de eo, quod in potestate & ditione alicujus est. Et citavit ipse Scioppius illud Tibulli, *Vidit ut inferno Plutoni subdita regna;* itemque illud Persii, *Liber ego. unde datum hoc sumis tot subdite rebus?* ubi *tot rebus subditus* idem est quod *tot*

vitiorum imperio parens, ac tot vitiorum servus. Et, si Augustini ævum huc aliquid conferre possit, scripsit ille lib. de Civ. D. cap. 13. *Nec omnino habeat subditam carnem, sicut semper habere debebat, si Deo subdita ipsa manssisset.* Item lib. III. de Trin. cap. 3. *Si penes sapientes, sanctèque & perfectè Deo subditos, sit principatus & regimen rerum humanarum.* In quibus *Deo subditus* est pro *Deo subjectus, Deo parens & obtemperans.* Hugo Grotius in cap. XXVI. lib. II. de Jure belli & pacis ex Tacito citat: *Principi summum rerum judicium Dii dederunt: subditis obsequii gloria relicta est.* Quæ si in Taciti scriptis omnino sic legerentur, illud quidem satis appareret, quod hi, qui in potestate ac ditione alicujus sunt, a Tacito *subditi* vocarentur; verum de constructione vocabuli ambigua adhuc res esset. Neque enim sciri posset, utrum ut nomen substantivum, an ut adjectivum vocem usurpatam voluerit. Certe casus secundus adjectus non esset, neque dictum *subditis illius*, Principis puta. Verum enim vero verba, quæ Grotius citabat, apud Tacitum non sic, sed paulo aliter se habent: ipsaque vox *subditis* in iisdem non apparet. Sunt autem hæc omnino: *Tibi summum rerum judicium Dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est.* Et reperies in Annali sexto. Etsi vero non ex hisce proximis, tamen ex alteris illis apparet, Latinos dicere *subditus alicui* pro *subjectus alicui.* An vero dicant quoque *subditus alicujus*, ut τὸ *subditus* ut nomen substantivum usurpetur, id adhuc dubium est. Quod nostri homines dicunt *subditi Principis*, atque ita vocem *subditi* ut nomen substantivum usurpant, id videntur facere ad genium linguæ vernaculæ, in qua vocem *unterthan*, quæ & ipsa proprie participium, & nomen adjectivum est, ut substantivum usurpamus, & casum ei secundum jungimus, dicimusque *Des Fürsten unterthanen.* Porro

Porro & de constructione vocis *idem* videamus. Eam vulgo construunt cum casu sexto, interjecta præpositione *cum*, dicuntque *idem cum illo*. Erasmus in Annotationibus ad cap. 8. Matth. *Eundem esse centurionem cum eo, de quo meminit Lucas*. Et paulo post: *Gerasam quidam existimabant eandem esse cum Gadara*. Scaliger Castig. in Sphæram Manil. pag. 81. *Minor ursa eadem est cum Cynosura*. Quæ quidem Cl. Vossius in libro VII. Aristarchi sui notavit. Plura quoque id genus Caspar Scioppius in Scaligero hypob. ex scriptis Scaligeri congesit. Vide pag. ejus libri 234. & 235. At veteres non dicunt *Idem cum illo*; sed *Idem quod illud*. Nepos Alcibiade: *Erat enim eodem, quo Alcibiades, sensu*. Cicero lib. II. Off. *Peripatetici quondam iidem erant, qui Academici*. Et in Orat. *Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros, eosdemque esse Oratorios, qui sunt Poetici*. Et lib. X. ep. 6. ad Att. *Nec tuam rationem eandem esse duco quam meam*. Item lib. IV. ep. 7. ad fam. *Qui non idem consilium, quod tu secuti sunt*. Plautus in Sticho: *Idem animus est in paupertate, qui olim in divitiis fuit*. Subinde & voculam *&* in talibus usurpant. Cicero II. de Nat. D. *Dianam & Lucianam eandem esse putant*. Item. pro Domo: *Ut eadem sit utilitas uniuscujusque & universorum*. Ovidius VI. Fast. *Vesta eadem est & terra: subest vigil ignis utrique*. Denique & Græcorum more, & quidem Poëtæ, cum casu tertio construunt. Lucretius lib. III.

Adde Heliconiadum comites: quorum unus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis sopitus quiete est.

Horatius ep. ad Pis. *Invitum qui servat, idem facit occidenti*. Quintilianus quoque Græcismum hunc usurpavit. Nam in lib. IIX. cap. 4. habet sic: *Nec*

putet quisquam hoc (quanquam est simile) illi ex argumentis loco, quo majora ex minoribus colliguntur, idem esse. Item Justinus lib. II. cap. 4. *Virgines in eundem ipsis morem venationibus exercebantur.* Alterum illud *Idem cum illo* Scioppius non tantum sine ulla proborum scriptorum auctoritate, sed & contra rationem dici censet; quippe quæ intelligi posse neget, quomodo alterum cum altero idem esse possit: cum *idem* & *alterum* inter se adversentur. Vide prædictum illum locum Scaligeri hypobolimæi.

Tritissima porro βάσις est *Hoc contradictionem implicat.* Inter alios ita Gerh. Titius pag. 115. Responsi: *Evince tu contradictionem aperte implicari, si corpus unum statuatur in pluribus simul locis sisti præsens.* Idem dicit quoque, *Hoc importat contradictionem.* Ut pag. 114. Responsi: *Quod nullam contradictionem importet,* videlicet unum esse in essentia, & trinum in personis. Estque hoc adhuc paulo horridius, quam alterum illud. Sed & alibi verbum *importare* multum usurpat pro *significare.* Ut pag. 42. *Lutherus vim illam particulæ demonstrativæ, quando poscente prædicato, quod supra eam cadit, plus importat, vocat synecdochen.* Item pag. 104. *Ut generalem & confusum saltem rei, de qua sermo est, conceptum importet.* Et p. 183. *Constat, voces quasdam ex peculiari omnibusque non natura sua plura simul importare.* Quis igitur veterum dixerit, *Hoc implicat contradictionem, Hoc importat contradictionem,* ego quidem adhuc ignoro. Hoc scio, Ciceronem, aliosque, cum tale quid exprimere volunt, uti verbo *repugnare,* aut simplici *pugnare.* Ut lib. IV. Acad. Quæst. *Quomodo autem, quid cuique rei consentaneum esset, quid repugnaret, videremus?* Item lib. III. Tusc. Qq. *Hæc inter se repugnant.*

gnant. Nimirum quomodo dicunt *Amant inter se* pro *amant se invicem:* ita Cicero dicit *repugnant inter se*, pro *repugnant sibi invicem*. In Topicis item dicit, *Repugnat enim recte accipere, & invitum reddere*. Et in libris de Finib. *Illud vehementer repugnat esse beatum & multis oppressum doloribus*. Sciunt quoque JCtorum filii, quid sit *pugnantia inter se in testamento poni:* eamque ῥῆσιν in Digestis legere memini. Ad verbum *importare* quod attinet, quod Titius toties pro *significare* usurpavit, nescio itidem, an quisquam antiquiorum ea notione vocabulo usus sit. Præter verbum *significare* veteres alias voces ac ῥήσεις, quas hic usurparent, habuerunt. Dicunt, *verba sonare aliquid*. Item *vim, notionem, sententiam voci subjectam esse*. Cicero lib. II. de fin. *Non intelligere interdum, quid sonet hæc vox voluptatis, id est, quæ vis huic voci sit subjecta*. Item I. de Orat. *Verborum sonitus inanis, nulla subjecta* (verbis scilicet) *sententia*. Et V. Tusc. Quæst. *Huic verbo cum beatum dicimus, subjecta notio est secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio*.

Thuanum Scioppius in Judicio de stylo hist. notat, qvod scripserit in lib. XXVI. *Pulcherrimam deinde rei bene gerendæ occasionem elabi passus est: quod magnorum deinde tumultuum causa extitit*, pro *Quæ magnorum tum. causa extitit*. Item in Scaligero hypobolimæo notat Scaligerum, quod scripsisset, *Cum hoc non sit negligentia, est ergo succus loliginis*, pro *Cum hæc non sit negligentia*; & *Hoc si vocatur secta, omnes igitur, qui vino carebant, erant sectarii*, pro *Hæc si vocatur secta*; item, *Hoc enim solius Nehemiæ labor est*, pro *Hic solius Neh. labor est:* & denique, *Qui totum librum perlegerit, facile judicabit, hoc hallucinationem, non insciti am esse*, pro *Judicabit hanc hallucinationem, non insciti am esse*. Quod Sci-

oppii judicium satis quoque recte habere videtur: quippe Auctores veteres omnino sic ut Scioppius vult, scribere observo. Justinus lib. VII. *Olympiadem Neoptolemi regis Molossorum filiam uxorem ducit: quæ causa illi exitii, malorumque omnium initium fuit.* Non ille dicit, *Quod causa illi exitii fuit*, sed *Quæ causa.* Virgilius lib. V. Æn. *At revocare gradum, superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est.* Non dicit *Hoc labor est*, sed *Hic labor est.* Item lib. XI. Æn. *Hic amor, hoc studium, dum sacra secundus aruspex nunciet:* Præcedit, *Expectare dapes, & plenæ pocula mensæ.* Auctor de Operibus Christi cardinalibus, qui inter opera Cypriani reperitur, non adeo antiquus ille, ubi de S. Eucharistia agit, cum non ipsa verba *Hoc est corpus meum* usurpare, sed pro vocabulo *corpus* vocabulum *caro* substituere vellet, vidit non scribendum sibi esse, *Hoc est caro mea*, sed *Hæc est caro mea.* Sed & pronomen demonstrativum *illi* nomini substantivo, quod proxime antecedit, genere respondens poni video. Cicero lib. IV. Acad. Quæst. *Talia sequuntur ea, quæ non sensibus ipsis percipi dicuntur, sed quodammodo sensibus, ut hæc, Illud est album, hoc dulce: canorum illud, hoc bene olens, hoc asperum. Animo jam hæc tenemus comprehensa, non sensibus. Ille deinceps equus est, ille canis. Cetera series deinde sequitur.* Non dicit: *Illud equus est, illud canis*, ut ante dixerat, *Illud est album, canorum illud*; sed *Ille equus est, ille canis.* Quæ & causa est, quod Robertum Titium Ioh. Petrus Titius in Manuductione ad excerpendum notat, qvod Loc. Controv. VII, 16. scripsisset, *Esset id labor vere Herculeus.* Virgilium tamen lib. III. Æn. observo scripsisse: *Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus videbar*, pro *Nec ille sopor erat.* Sed is fortasse propter versum id ita fecit.

CAPUT.

CAPVT XXVIII.

De modis loquendi Nescio annon *& Dubito annon quid habendum; itemque de modo loquendi* Videndum ne non.

IN scriptis virorum quoque summorum observo subinde formulas *Nescio annon, Haud scio annon, Dubito annon.* Ut ecce Is. Casaubonus Notis in Svetonii Augustum scripsit: *Nescio tamen annon sit verius Mithridatem more multarum gentium barbararum braccas gestasse.* Wolffgangus Seberus in Indice Auctorum a Julio Polluce laudatorum: *Quod nescio annon etiam ad alios nonnullos admonendum.* Joh. Henr. Bœclerus Notis in Nepotis Miltiadem: *Nescio tamen annon ita soleat Nepos explicare etiam, quæ non erant difficilia suppletu intellectuque.* Justus Lipsius lib. V. Analect. de Milit. Rom. Dial. 9. *Dubitabat Claudius Dausqueius, annon* (fraxare) *a Græco ductum esset* παρὰ τὸ φράττω: *quia sic muniuntur vigilia.* Matthias Berneggerus in Notis in Justini lib. V. c. I. *Dubites annon pro crudelitate rectius sit legere cupiditate.* Et ad lib. XXXIX. c. 1. *Dubitari queat, annon rectius sit* vis imperii, *quod magis proprie nomini regis opponi videtur.* Rursus Bœclerus in Indice Nepotis in voce *Dubito: Dubito an ponam eleganter pro Dubito annon.* Ait hic, *Dubito an ponam* eleganter a Nepote dictum esse pro *Dubito annon ponam*; & vult ergo posteriore quoque modo loqui utique licere. Nobis tamen aliter videtur. Habent hoc Latini, ut cum affirmare aliquid instituunt, dicant *se nescire*, vel *haud scire*; itemque *dubitare*, an ita res sese habeat. Exempli causa, verba Nepotis, quæ Bœclerus declarare studebat, initio vitæ Timoleontis sunt: *Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito an hunc primum omnium ponam.* Non vult ille,

ille, se dubitare, an, si virtus per se sine fortuna ponderanda sit, Timoleontem primum omnium ponat; sed omnino sic existimat, quod Timoleon merito primus omnium ponendus sit; ac nihilo tamen secius *sese dubitare* scribit. Pari modo Cicero lib. I. ep. 7. ad famil. scribit, *Nonnullos dubitare, an Cæsar per Sardiniam veniat*; cum tamen velit, nonnullos omnino credere, quod Cæsar per Sardiniam venturus esset. Sequitur enim, *Illud enim adhuc prædium suum non inspexit.* Nec tantum dicunt, se dubitare, an res ita se habeat, cum ita se rem habere volunt dicere; verum etiam, ut dixi, *nescire se*, vel *haud scire.* Valerius Max. I. 1. 14. *In his, quæ ad custodiam religionis attinent, nescio an omnes M. Attilius Regulus præcesserit.* Vult ille M. Attilium Reg. in his, quæ ad custodiam religionis attinent, omnes præcessisse; idque ita se existimare? & tamen dicit, se nescire, an M. Attilius omnes præcesserit. Idem ibidem: *Nescio an præcipuis & exquisitis sacrificiis colenda.* Cicero in Bruto: *Et nescio an reliquis in rebus idem eveniat.* Item: *Eloquentia quidem nescio an parem habuisset neminem.* Livius 22, 39. *Nescio an infestior hic* (Varro) *adversarius, quam ille* (Hannibal) *hostis maneat.* Curtius 4, 11. *Nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt.* Seneca Consol. ad Marc. c. 1. *Patrem non minus quam liberos dilexisti; excepto eo, quod non optabas, superstitem. Nec scio an & optaveris: permittit enim sibi quædam & contra bonum morem magna pietas.* In istis omnibus aliquid affirmatur; & in proximis *Nec scio an & optaveris* est pro *Fortasse & optasti*, vel *Puto te optasse.* Nec minus frequens in talibus est *Haud scio an.* Cicero pro Flacc. *Cujus ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Græciæ, sed haud scio an cunctis gentibus*

tibus anteponendam jure dicam. Et in Læl. *Quod quidem ut ire cœpit, haud scio an aliquando futurum sit.* Et l. IX. ep. 14. ad fam. *Contigit tibi quod haud scio an nemini.* Et ep. 15. *Est id quidem magnum, atque haud scio an maximum.* Ad hunc modum igitur recentiores illi doctissimi viri, quorum verba initio produximus, cum affirmare quædam vellent, scribere potuissent, *Nescio an ita soleat Nepos explicare etiam, quæ non erant difficilia suppletu intellectuque. Nescio tamen an verius sit, Mithridatem braccas gestasse. Quod nescio an ad nonnullos quoque alios sit admonendum. Dubites an pro crudelitate rectius sit legere cupiditate.* Sed maluerunt illi, *Nescio annon, Dubites annon.* Quæ quidem, ut dixi, suspecta nobis sunt, nec ante probanda aut imitanda videntur, quam & in scriptoribus antiquis talia observata fuerint.

Sed quid de eo sentiendum, quod Conr. Rittershusius Notis in Phædri lib. V. fab. 87. scribit: *Quod* (proverbium) *haud scio an non satis expositum est ab Erasmo* Κοινὸς Ερμῆς? Primum quidem dubium non est, quin pro *expositum est* scribendum fuerit *expositum sit.* Deinde quoniam proverbium satis expositum ab Erasmo non affirmare, sed negare voluit, videtur scribere potuisse, *Quod haud scio an satis expositum sit ab Erasmo.* Neque enim Latini formula *Nescio an*, vel *Haud scio an* tantum modo utuntur, cum aliquid affirmare instituunt, verum etiam cum negare quippiam volunt. Valerius Max. lib. IX. cap. 3. ex. 1. *Nescio an ejusdem fuerit hoc dicere & sic vincere.* Quorum verborum sine dubio sensus est, non ejusdem fuisse hoc dicere & sic vincere. Idem lib. V. cap. 9. ex. 2. *Nescio an hoc quicquam admirabilius contigerit.* Sensus, ut appareret, rursus est, nihil admirabilius contigisse. Dola-

bella

bella in epistola ad Ciceronem, quæ est ordine nona libri IX. epp. Ciceronis: *Quod nescio an ulli unquam nostro acciderit imperatori.* Nepos Timoleonte: *Huic uni contigit quod nescio an ulli.* Quomodo igitur in his, cum faciendæ negationes essent, vocula negans non est addita, ita & Rittershusius, ut dixi, cum proverbium quoddam satis expositum esse ab Erasmo negare vellet, scribere potuisset, *Quod haud scio an satis expositum sit ab Erasmo.* Sed annon scribere quoque potuit, ut scripsit, *Quod haud scio an non satis expositum sit ab Erasmo;* ut voculam *non* scilicet post *an* adjiceret? Videtur potuisse. Quod magis apparebit, si verba modo paulo aliter collocentur, & ita quidem, *Quod haud scio an ab Erasmo non satis expositum sit.* Ita enim forma verborum gemina est prioribus illis, quibus dicebant se nescire, & tamen se scire volebant intelligi. Valerius Maximus dicebat, nescire se an M. Attilius Regulus omnes præcessisset; & tamen volebat, satis se id scire, atque rem ita se habere existimare. Pari modo, cum Rittershusius scripserit haud scire se an proverbium quoddam ab Erasmo non satis expositum sit, vult tamen ille satis se hoc scire, quod idem proverbium non satis expositum sit ab Erasmo.

Expendamus porro & istam locutionem, qua Iacobum Duportium Anglum in Præfatione Μεταφράσεως τῆς ἐμμέτρου Psalmorum Davidis usum video. Scribit ille sic: *Esto ut occurrant nonnulla in hac versione* (LXX. Interpretum) *quæ scopum non omnino attingunt, sed a genuino textu Hebræo nimium quantum aberrant atque deflectunt, quæ quis propterea non immerito reprehendat: at videndum interim, ne non plura sint, quæ nimio carpendi studio in transversum raptus temere fugillet, aut in sequiorem partem detorqueat.* Deinde: & hæc habet: *Videat ergo Cardinalis, an non ipse sua ipsius vineta cædat, quando eodem*

eodem loco affirmat, Græcam interpretationem LXX. Seniorum adeo corruptam & vitiatam, ut omnino alia esse videatur. In horum prioribus tum alia, tum & illud displicet, quod scribit, *Videndum ne non plura sint:* putemque scribendum fuisse, *Videndum ne plura sint;* omissa vocula *non.* Ad hunc modum enim veteres Latinos scribere video. Corn. Nepos Epaminonda: *Vide ne tu pejus consulas.* Cicero de Orat. *Vide ne hoc totum sit a me.* Item 3. Tusc. *Videamus ne hæc oratio sit hominum assentantium nostræ imbecillitati.* Item lib. IV. ep. 9. *Vide ne superbi sit aspernari ejusdem liberalitatem.* Rursus lib. V. ep. 4. *Vide ne cum velis revocare tempus omnium conservandorum, cum qui servetur non erit, non possis.* Et I. Off. *Videndum est ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum.* Sed in horum quibusdam post *ne* vocula *non* apparet. Dicitur enim, *Vide ne non possis.* Item, *Vide ne non satis sit.* Annon igitur & Duportius scribere potuit ut scripsit, *Videndum ne non plura sint?* Si ille negare voluisset, mensque ejus esset, non plura, sed pauciora esse, quæ in versione Græca LXX. Interpretum temere fugillentur, potuisset utique imo debuisset, τὸ *non* adjicere & sic ut scripsit, scribere. Verum non negatum, sed affirmatum ille aliquid voluit; estque mens ejus, etsi in versione LXX. Interpretum occurrant nonnulla, quæ scopum non omnino attingant, & a textu Hebræo nimium quantum aberrent, tamen plura forsitan esse, quæ temere fugillentur neque fugillari par sit. Hoc igitur, ut dixi, exprimendum sic fuit, *Videndum ne plura sint, quæ temere fugillentur;* non, ut ille expressit, *Videndum ne non plura sint.* Sed quæ locutionis hujus est ratio? & qui fit, quod in affirmationibus vocula tamen *ne* usurpatur? Sciendum *videre* in talibus

idem

idem esse quod *vereri*; & quemadmodum post *vereri* vocula *ne* affirmationi inservit, ita plane & post *videre* fieri observamus. Quod Cicero dicebat, *Vide ne, cum velis revocare tempus omnium conservandorum, cum qui servetur non erit, non possis*, idem est ac si scripsisset, *Verere*, vel *verendum tibi est, ne, cum velis revocare tempus omnium conservandorum, tempus illud revocare non possis, cum nullus qui servetur amplius exiſtet.* Pari modo quod scripsit, *Videamus ne hæc oratio sit hominum assentantium nostræ imbecillitati*, idem est ac si scripsisset, *Vereamur* vel *verendum nobis est, ne hæc or. sit hominum assent. nostræ imbec.* Et quod scripsit, *Videndum est ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum*, id tantundem est ac si scripsisset, *Verendum est ne non satis sit.* Quod quidem adeo manifestum est, ut Lambinus putarit, pro *videndum* legendum esse *verendum*; quod crederet, ipsum τὸ *videndum* locum hic non habere. Verum in verbis illis Ciceronis nihil mutandum monuit jampridem Andreas Schottus. Et sane ipsum τὸ *videndum* satis hic est commodum, ac planissime loco τῦ *verendum* usurpatum. Quod magis adhuc apparebit ex eo, quod, quomodo post τὸ *vereri* vocula *ut* negationi inservit, ita plane & post τὸ *videre* fit. Cicero lib. XIV. ep. 14. *Si non sunt* (Romæ vestri similes feminæ) *videndum est ut honeste vos esse possitis*, Romæ puta. Vult ille verendum esse, ut uxor & filia honeste Romæ esse possint, si non aliæ earum similes feminæ ibi sint. Et hoc exprimit ille verbo *videndum*. Ex quo manifeste apparet, *videndum* idem esse quod *verendum*. Sed ad verba Duportii ut redamus, quomodo pro *Videndum ne non plura sint*, scriptum mallem *Videndum ne plura sint*: ita pro eo, quod in alteris verbis est, *Videat annon ipse sua ipsius vincta cædat*,

scire

scite & eleganter scribere potuisset, *Videat ne sua ipsius vineta cædat*; idque, ut dixi, pro *vereatur* vel *verendum ei est, ne sua ipsius vineta cædat.*

CAPUT XXIX.

Phraseos male feriatus *usus quidam novitius rejectus.* Studio aliquid facere *pro* de industria facere *non satis Latinum videri.*

SAtis Latinum est *male feriatus*: utiturque eo optimus Latinitatis auctor Horatius libri IV. Ode sexta, ubi de Trojanis, dum armis depositis epularentur ac ferias agitarent, captis agit. Verba ejus sunt:

Ille, Achilles puta, *non inclusus equo, Minervæ*
Sacra mentito, male feriatos
Troas & lætam Priami choreis
Falleret urbem.

Troas, sive Trojanos, *male feriatos* ille vocat, quod, cum illis minime securis esse liceret, genio tamen indulserunt, festumque agitarunt. Ac pari modo gentes quoque alias, quæ, dum in lætitiam effusæ festum celebrarunt, captæ sunt, *male feriatas* appellare licet. Babylonii dum festum celebrarunt & choreis genioque indulserunt, a Cyro Persarum rege sese captos vix senserunt; uti Herodotus & Xenophon prodidere. Pari modo Syracusas Marcellus occupavit, cum incolæ in honorem Dianæ festum celebrarent, seque vino largius invitassent; uti Livius, Plutarchus, Frontinus ac alii auctores sunt. Cales item cepit M. Valerius Corvus, dum incolæ diem festum egerunt, vinoque & epulis indulserunt: qua de re Livius lib. VIII. agit. Nec aliter Marsos festam noctem agentes a Cæcina oppressos Tacitus lib. I. Annal. scribit. Omnes igitur illos non secus

quam Trojanos *male feriatos* dicere posſis. Sed ſunt multi, qui ῥήσει ea utuntur non cum de his, qui intempeſtive diem feſtum celebrarunt, ſed de his, qui indocti, inepti, omniumque vituperio digni ſunt, agunt. Henr. Stephanus in lib. de Latinitate Lipſii, p. 489. *Sed vidi tam male feriatum quendam, ut eum non puderet in ſuo exemplari illud* condonabitur *emendare*, & in *condonabuntur* mutare antiquo: *quamvis reclamante & modo non revociferante lege numerorum verſus.* Agit ille de verbis Terentii in Prologo Eunuchi, *Habeo alia multa quæ nunc condonabitur;* dicitque non neminem τὸ *condonabitur* in ſuo codice perperam mutaſſe; eumque propterea *male feriatum* appellat. Pari modo Iſaacus Caſaubonus Præfatione in Polybium, cum ineptum quendam politicum notare voluit, ſcripſit: *Quid injuſtius quam* ἀθεότητι *a male feriato Politico & Theologaſtro omnis humanitatis imperitiſſimo eum virum damnari.* Chriſtophorus quoque Colerus in Notis in Valerium Max. *gloſſatores maleferiatos* appellat, quos ineptos & reprehenſione dignos eſſe vult intelligi. Sc & multi alii clariſimi doctiſſimique viri eam quam dixi phraſin uſurpant. Eſtque illa quam phraſi tribuunt ſignificatio diverſiſſima ab ea, quam in prædictis verbis Horatii vidimus. Cum enim Horatio *male feriati* dicantur, qui intempeſtive diem feſtum egerunt, alteri, recentiores illi, *male feriatum* dicunt, qui ſtolidus, imperitus atque ineptus eſt. Eſtque inter genuinum illum, & hunc novitium phraſeos uſum & illud, quod in illo *feriatus* eſt participium; in hoc autem ut nomen adjectivum uſurpatur. Sed quam phraſeos uſus novitii occaſionem fuiſſe putabimus? Placet id viri atque amici dum viveret ſummi, Thomæ Reineſii, verbis exponere: ſuntque in capite IV. l. I. Variarum lect. iſta: *Ea vocis* maleferiatus *ab Horatio primum ficta vis eſt & natura,*

ut

ut propriam significationem nunquam possit exuere, nunquam adsciscere tropicam. Semper igitur significabit hominem desidem, triconem, cessatorem & qui sua ignavia damnum sibi accersat, ut Troes cum tripudio pereuntes. Non licebat iis, qui barbariem in literis expugnarant in doctorum monachorum, qui semibarbara lingva Latinos annales condidere, exemplo factum tueri: ab his enim reor accepisse ἄκυρον *istud & perridiculum locutionis genus unos, alteros male traditum sine cura transsumpsisse. Didicerant Carolum Imp. Crassum dictum: Ludovici filium, quod ex morbo, qui gravior aliquis capitis affectus fuit, ut colligi potest ex Annal. Fuld. sub a. 887. stupidus amensque & amisso rationis usu rebus gerendis inutilis tandem factus fuisset*, insipientem (*ita Fragm. Just. Aquil. a Pith. editum*) *ab aliis* maleferiatum (*ita Vadian. de colleg. & monast Germ. vet. f. 75.*) *cognominatum esse. Hinc eam vocabuli significationem & trahendam in publicum usum Latine loquentium crediderunt: Sed falso, neque enim Latinum id est, sed ex Italico* malferito, *id est*, vehementer tactus, graviter afflictus, *quod de* βλητῷ, καταλήπλῳ, *apoplectico seu congelato bene dicitur, corruptum & Latina formatione ab hominibus Germanis, regnante barbarie Italicismi & Latinismi juxta ignaris, utrumque incrustatum.*

Porro & de eo videamus, quod eum, qui consulto & de industria aliquid facit, vulgo dicunt *studio facere*. In Thesauro Fabri locupletato illo a Buchnero notatum video: *Dedita opera, consulto, de industria, quod vulgus dicit* studiose. Et sane si qui sint, qui *studiose* pro *dedita opera* dicant, minime illi probandi aut sequendi fuerint. Mihi tamen ipsam illam vocem *studiose* ea ratione a quibusdam usurpatam esse non est observatum. At vocem cognatam *studio* sic usurpatam non semel observavi.

Antonius Schorus, qui Latinitatis, si quisquam, observans fuit, in Phrasibus Latinæ linguæ, ad vocem *Industria* scribit: *Locutio hæc, De industria aliquid facere, est, quod alii suæ linguæ similitudine dicunt ex proposito aut de proposito aliquid facere. Sic enim Græci loquuntur,* ἐκ τῆς προαιρέσεως τὶ ποιῶν. *Latini vero de industria, studio aliquid facere.* Vult igitur ille, quod Latini dicunt *de industria facere*, idem eosdem dicere quoque *studio facere.* Sic & Joh. Rhodius in Lexico Scriboniano scribit: *De industria, id est, studio.* Augustus item Buchnerus in Notis in epist. II. lib. I. Plinii: *Omisit fortasse auctor studio.* Et Matthias Martinius in libello de Decalogo: *Qui ex Decem præceptis unum aut plura studio omittit.* Apparet ergo, quam solemne hodie sit viris doctis, ut, cum efferendum est id, quod vernacula lingua dicimus *mit fleiß thun*, vocem *studio* adhibere, ac dicere *studio aliquid facere.* Me tamen jam pridem suspicio subiit, usum istum vocabuli minime antiquum esse; ac dicendum potius esse *de industria facere, dedita opera facere.* Et mirum sane est, quod cum vernaculo nostro *Fleiß* non modo Latinum *industria*, sed alterum Latinum *studium* respondeat, tamen Latini non perinde *studio*, aut *de studio*, ut *de industria*, dicunt. Sed est tamen, quod non minus suspectum esse posit quam τὸ *studio*; nec tamen perinde repudiandum omnino esse videtur. Est id adverbium *diligenter.* Quis credat, quod Latini dicunt *Facit de industria*, id eosdem dixisse unquam, *Facit diligenter?* Et videntur tamen hujus quoque exempla non inidonea observata esse a Cl. Scheffero, amico nostro. Nimirum in Notis ad Fragmentum Petronianum nuper in Dalmatia repertum affert ille Martialis illud ex lib. VII. ep. XXVI. *O quam Regule, diligenter erras!* id est, ut Farnabius explicat,

Quam

Quam dedita opera erras & dissimulas te nescire sterilitatem agelli mei. Deinde affert ipsius Petronii illud, *Sed nec viam diligenter tenebam.* Ex Fragmento autem nuper reperto huc pertinet, quod itidem in ejus Principio est, *diligenter obliti omnium malorum.*

CAP. XXX.

Phraseos fidem dare *significatio quædam paulo disertius quam supra, rejecta. Item* consulere alicui *certa significatione non recte dici.*

INter vitia Latinæ linguæ, a quibus viri etiam docti vix ac ne vix quidem sibi cavent, est etiam phrasis *fidem dare*; ut hæc ponitur pro *fidem habere, accredere.* Exempli causa Joh. Obsopœnus poeta non spernendus, in Christiade sua sic habet:

---- Hi faciles astutis credere dictis
Incipiunt, fœdæque fidem dare Dæmonis arti.

Satis apparet, quod *fidem dare*, ille dictum voluerit pro fidem habere, credere. Sic & Sthephanus Ritterus, Floribus historiarum pag. 100. verbis *Id cum puer crederet*, ut ἰσοδύναμα subdit, *Ei rei fidem daret.* Item Vir clariss. in ep. ad Reinesium: *Chronologis fidem do.* Jam *dare fidem* satis quidem Latinum est, multumque ab auctoribus antiquis frequentatum; sed non eo significatu tamen. Est enim *fidem dare* Latinis nihil aliud quam promittere, &, ut Virgilius loquitur, promissa dare. Ubi tum *fidei* alia plane notio est quam in phrasi *fidem alicui habere*, & posterioris ævi, *fidem alicui adhibere.* Quam duplicem vocis in diversis phrasibus significationem & Augustinus cap. XXXI. libri de spir. & lit. notavit: *De hac fide*, inquit, *nunc loquimur, quam adhibemus,*

cum aliquid credimus; non quam damus, cum aliquid pollicemur: nam & ipsa dicitur fides. Sed aliter dicitur, Non mihi habuit fidem: aliter autem, Non mihi servavit fidem; Utitur ille promiscue Phrasibus *adhibere fidem* & *habere fidem*, tanquam ἰσοδυνάμοις; quod ejus ævo, ut supra ostendimus, non modo *habere fidem*, sed & *adhibere fidem* dicerent: ostenditque *fidem* quam habemus, seu adhibemus, diversam esse ab ea *fide* quam damus, id est, aliam atque aliam vocabulo vim ac notionem in phrasibus istis subjectam esse. Et quidem in phrasi *fidem dare* vox *fides* nihil aliud quam promissum seu promissionem significat; quomodo & in phrasibus *fidem accipere*, *fidem servare*, *fidem fallere*. & verbum ei additum *dare* idem est quod *facere*; quomodo & in phrasibus *dare sonitum*, *dare gemitum*, *dare planctum*, *dare certamen*, *dare prælium*, *dare turbas*, multisque aliis. Sed quæ est occasio, quod Germani mei phrasi *fidem dare* etiam tunc utuntur, cum utendum esset phrasi *fidem habere*, aut verbo singulo, *credere* vel *accredere?* Hæc nimirum, quod in vernacula lingua habemus phrasin *glauben geben*, putamusque quomodo Latinum *dare* nostro *geben* alias respondet, ita respondere eidem & hic posse, dicique adeo *fidem dare*. Observandum igitur, verba diversarum linguarum, quæ in aliquibus phrasibus significatione congruunt, non continuo & omnibus congruere; sed in nonnullis quidem congruere, in aliis vero discrepare. Et *dare* quidem significatione cum nostro *geben* congruit, cum dicitur, *dare pecuniam*, *dare locum*, *dare libertatem*, *dare licentiam:* at cum dicitur *dare impetum*, *dare impressionem*, minime congruit. neque enim nos dicimus *einen anfall geben*, sed *einen anfall thun*. Pari modo non congruit, sed discrepat, cum nos dicimus *glauben geben*, quamvis enim Latini dicant *fidem dare*, τὸ

dare

dare tamen longe aliud hic est quam nostrum *geben*, & quidem, ut dixi, idem quod *facere*; ut *dare fidem* sit pro *promissionem facere:* id quod nos dicimus *zusage thun.* Atque ea notione τὸ *dare* in phrasibus usurpatur quamplurimis. *Dare certamen, & dare prælium* idem sunt quod *facere certamen, facere prælium*, & verba singula *certare, prœliari.* Virgilius 3 Georg. *Imbelles dant prœlia cervi.* Et in Cul. *Objectoque dabat clypeo certamina.* Nec aliter in phrasibus *jusjurandum dare, operam dare,* multisque aliis τὸ *dare* est accipiendum. Plautus Amphitr. 3, 2. *Arbitratu tuo jusjurandum dabo.* Item, *jusjurandum verum te adversum dedi.* Sed & in phrasibus *vulnus dare, damnum dare, incommoda dare, pauperiem dare,* eadem verbi significatio est. Unde & pro *dare* ipsum τὸ *facere* in talibus subinde usurpatur. Neque enim tantum *pauperiem dare,* sed & *pauperiem facere* dicunt. *Pauperiem* definit Ulpianus, quod sit *damnum sine injuria facientis datum.* Quod tantundem est ac si dixisset *sine injuria facientis factum:* & semel quidem *facere pauperiem,* deinde vero *dare pauperiem* dixit. Paulus item *Si non quadrupes, sed aliud animal pauperiem fecit.* Phædrus lib. 5. fab. 84. dicit *contumeliam dare.* Sed dicunt etiam *contumeliam facere.* Plautus Asin. 2,4. *Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?* Neque vero Cicero, quod in tertia Philippica notavit Antonium, quod is phrasi *contumeliam facere* usus esset, illud voluit, quod ea phrasi plane abstinendum, sed modo, quod non ea phrasi significatio tribuenda fuisset, quam ei Antonius tribuerat. Dixerat quidem Antonius *contumeliam facere* pro *contumelia affici;* ut ex verbis Quintiliani 9, 3. intelligitur. Verba hujus sunt; *Et* contumeliam fecit: *quod a Cicerone reprehendi notum est. Affici enim contume-*

lia dicebant. Vide & libellum de Latinit. f. suſp. pag. 88.

Quemadmodum *fidem dare alicui* satis Latinum est; sed certa significatione perperam a quibusdam usurpatur: ita & *consulere alicui* satis Latine dicitur; sed non ea significatione, qua id vulgo usurpari observamus. Putant plerique, *consulere alicui* idem esse, quod suadere alicui, auctorem alicui esse. Quo factum ut Interpres variæ Historiæ Æliani, cum vertenda essent hæc Græca, Συμβουλεύω σοι προσάγειν σεαυτὸν ἐπὶ τοὺς κατὰ Αντίκυραν τόπους, verterit ita, *Consulo ut ad Anticyram te conferas*; subaudito ad verbum *consulo* pronomine secundæ pers. *tibi*, quod Græco σοὶ respondeat. Ita *consulere alicui* planissime est pro suadere alicui, consilium alicui dare: estque intelligendum de ipsis illis verbis, quibus aliquis utitur, ut alterum ad faciendum aliquid inducat. In quam sententiam & Basilius Faber in Thesauro Latinæ linguæ, aut qui hunc interpolarunt, scribunt: *Consulere cum Dativo junctum Dare consilium significat.* Ergo perinde secundum hos fuerit, sive Serv. Sulpicius in epistola ad Ciceronem, quæ est quinta libri quarti inter Ciceronianas, scripsisset sic ut scripsit, *Noli te oblivisci Ciceronem esse, & eum qui aliis consueveris præcipere & dare consilium*; sive scripsisset, *Qui aliis consueveris præcipere & consulere.* Verum alii viri docti rectius rem reputasse videntur. Inter quos Antonius Schorus in libro de phrasibus Latinæ linguæ præcipue observandis ita disserit: *Admonere hoc loco volui imperitiores, ne consulo tibi pro suadeo tibi, aut author sum tibi, quemadmodum solent, deinceps dicant: nam neque Cicero, neque antiquiores sic sunt loquuti. Significat enim Consulo tibi, aut rebus, saluti, gloriæ & c. tuis, longe aliud ac vulgus putet: nimirum consilio, opera, studio alicui aut rebus alicujus adesse & juvare.*

vare. Nunc vero nihil pene tam tritum est, quam Consulo tibi *ut abeas. Quid mihi consulis? Ego hoc tibi consului; cum Latini dixerint, Ego tibi suadeo, ego tibi auctor sum.* Quibus consentanea Johannes quoque Rhenius in Grammaticis tradidit. Ubi enim verba, quæ pro diversa significatione diversos casus adciscunt, recenset, scribit sic: *Consulo tibi, i. e. provideo vel prospicio tibi. Cicero Catil. Consulite vobis, prospicitote patriæ. Nam Consulo tibi non significat Do tibi consilium.* Atque ita esse sane & nobis videtur. Cicero in lib. de Officiis: *Qui parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt.* Ubi quid sit *parti civium consulere*, ex oppositio *partem civium negligere* apparet; videlicet partis civium rationem habere, partem civium quacunque ratione juvare. Inde est quod etiam dicunt *consulere sibi. Suadere & consilium dare sibi* nemo potest (neque enim ad seipsum orationem habere potest, qua seipsum ad faciendum aliquid inducat) at *consulere sibi* rectissime aliquis dicitur. Nepos Themistocle *supplicem non prodidit, monuitque ut consuleret sibi.* Item Attico: *Quoniam nihil reliqui feci, quod ad sarandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam.* Subinde & verbum *prospicere* adjiciunt. Cicero I. in Verr. *Consulere filiis & prospicere debetis.* Item I. in Catil. *Consulite vobis, prospicite patriæ, conservate nos.* Atque ita manifestum est, *consulere alicui* non significare aliquid, quod in sermone aut oratione consistit, sed aliquid amplius; & quidem opem & auxilium: sive jam sermone, sive alia re hoc præstetur. Antonius Schorus, ut supra ostendimus, ita id exprimit: *Consulo tibi significat longe aliud quam vulgus putet; nimirum consilio, opera, studio, alicui aut rebus alicujus adesse & juvare.* Qui bonum alicui consilium dat, is omnino illi &

consulit; & ipso quidem quod dat consilio id facit: sed non quicunque consulit alicui, & consilium ei dat. Potest enim variis quoque aliis modis alicui consuli; & exempli gratia, si pecuniam, si victum & amictum illi des, aut per alium id faciendum cures. Dicunt autem non tantum *consulere alicui*, sed & *consulere rebus alicujus*, *consulere rationibus alicujus*, *consulere commodis alicujus*, *consulere famæ suæ*, *consulere otio posteritatis*, *consulere temporibus*, *vitæ & incolumitati & fortunis suis*. Imo dicunt quoque *malo alicui consulere*; si videlicet malo obviam eatur, idque propulsetur. Ita Justinus lib. VI. c. 6. dicit *consulere laboribus* i. e. calamitati, *Græciæ*. Et verbis Plinii medicus dici potest *consulere infirmitati*. Pari modo qui victum & alimenta quibusdam prospicit, dici potest *consulere fami*. Pro quo tamen Sulpicius Severus in Historia sacra dicit *consulere adversus famem*. Dicunt item, *bene*, *male*, *alicui*, vel *in aliquem*, *consulere*. Quibus verbis itidem aliqua denotatur opera, qua, ut bene, aut male, alicui sit, efficitur. Ceterum quoties ipsum consilium, ipsamque orationem, qua aliquis ad faciendum quippiam inducatur, significare volunt, dicunt *consilium dare*, *suadere*, *auctorem esse*. Estque phrasis *consilium dare* in Ciceronis & hujus æqualium scriptis multo frequentissima, ut vel ex hoc appareat, nunquam eos pro eadem uti sustinuisse phrasi *consulere alicui*. Oppius & Balbus lib. IX. ep. 10. ad Att. *Quod verissimum nobis videbitur, de eo, quod ad nos scripsisti, tibi consilium dabimus*. Cicero pro Cluent. *minus fidele consilium alicui dare*. Et II. de Or. *Hujus est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia*. Et lib. IIX. ep. 3. ad Att. *Ut de maxima re deliberanti, ita mihi des consilium velim*. Ceterum *consulere* absolute & sine casu tertio, pro *consultare*, *deliberare*, frequenter

quenter usurpatum reperitur. Cæsar lib. VII. de B. Gall. *Repulsi Galli quid agant consulunt.* Justinus lib. II. c. 15. *Respondit legatis ituros Lacedæmonem, qui de ea re pariter cum illis consulant.* Livius lib. II. c. 29. *Cum iræ resedissent, ordine consuli cœpit.* Et sequuntur deinde ipsæ consultantium sententiæ. Deinde & hoc observo, verbum *consulere* adsciscere casum quartum, non personæ, sed rei. Valerius Max. lib. III. c. 8. ex. extr. 2. *Phocion adeo perseverans sententiæ suæ propugnator extitit, ut in concione lætari quidem se successu eorum* (Athenienſium) *sed consilium tamen suum aliquanto melius fuisse diceret. Non enim damnavit, quod recte viderat; quia quod alius male consuluerat, bene cesserat.* Manifeste hic agitur de consilio, quod datum Athenienſibus fuit, tum malo, tum quoque bono. Et usurpata hic est phrasis *male aliquid consulere.* Pari modo Virgilius lib. XI. Æneidos: *Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem Consulis, o bone rex.* Agitur & hic de consilio, quod a rege Latino datum fuit, diciturque, rem nulli obscuram ipsum consulere, id est, de re minime dubia ipsum consilium dare: sed non tamen tertius casus personæ, sed quartus modo rei adjicitur, quemadmodum in verbis Valerii. Denique & illud Livii lib. XXII. c. 29. afferre libet: *Sæpe ego audivi eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit: secundum qui bene monenti obediat, qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi ingenii esse.* Ubi *consulere quid in rem sit* videtur esse pro consilium dare, quod in rem sit. Sed rursus tamen nullus casus tertius personæ apparet. Dicit & Justinus *sapienter in rem consulere*, lib. II. c. ultimo. Et Virgilius lib. XI. aliique, *consulere in medium.*

CAPUT

CAPUT XXXI.

De vocabulis coætaneus, coævus, *& aliis quibusdam ex præpositione inseparabili* CON *compositis.*

NOn pauca hodie vocabula usurpantur ex præpositione inseparabili CON composita, quæ in hunc Latinitatis merito suspectæ censum recte referentur: ut *coætaneus*, *coævus*, *contemporaneus*, *commensalis*, *confœderatus*, *concivis*. Quorum postremo quod Thuanus & Possevinus usi sunt, notat eos Scioppius in Judicio de stylo hist. Laurentius autem Valla lib. IV. Eleg. c. 83. idem illud defendit, eumque qui simplici voce *civis meus* dixerat, notat. *Quidam*, inquit, *librum nuper sic inchoavit, Favonius civis meus, optime Princeps & consul tuus, cum dicere debuisset, concivis meus. Dominus enim civitatis civem suum vocat, quia non potest appellare concivem: quemadmodum miles socium in militia non militem suum vocare potest, sed commilitonem.* Sed mox tamen quod scripserat, quasi corrigit, scribitque *nonnunquam tamen inveniri civem pro concive; ut apud Lucanum: Hic civis meus est, in quem tua classica, Cæsar, Audiero.* Verum multo plura ejus vocis *civis* significationis exempla proferre potuisset. Cicero III. Tusc. Quæst. *Legimus librum Clitomachi, quem ille eversa Carthagine misit consociandi causa ad captivos cives suos.* Idem Orat. pro Mil. *Facinorosum armis meos cives meis consiliis periculisque servatos pro me objici nolui.* Nepos Miltiade: *Ut de eo bene sperare cives possent sui.* Item: *Quo extincto ipsos potestate expulsos civibus suis pœnas daturos.* Lucanus lib. VIII.

---- *Illam quam toto tempore belli*
Ut civem videre suam discedere cernens
Ingemuit populus. ---- Porro

Porro *confœderatus* pro *fœderatus* multi dicunt. Inter quos Justus Lipsius lib. I. de Mil. Rom. Dial. 7. ita: Socii *appellabantur quasi confœderati & consortes armorum.* Deinde & in Lexico Fabri vox apparet: verum quo auctore, non est additum. Scriptores veteres potius vocabulo simplici usi sunt. Nepos Hannibale: *Saguntum fœderatam civitatem vi expugnavit.* Cicero pro Corn. *Populi socii, Latini fœderati fundi.* Et I. de Or. *Si quis apud nos fervisset ex populo fœderato.* Et V. in Verr. *Fœderatæ civitates duæ sunt.* Svetonius Caligula, *Libera & fœderata oppida.*

Commensalis quoque antiquis plane ignotum fuit. Dixerunt autem pro eo *convictor.* Cicero lib. I. ad Quint. fr. ep. 1. *domestici victores.* Et lib. XVI. ep. 21. ad fam. *Utor familiaribus & quotidianis victoribus, quos secum Cratippus adduxit, hominibus & doctis & illi probatissimis.*

Coætaneus itidem ad censum Latinitatis non optimæ referendum. Habet quidem illud scriptor suppositicius, cui Porcii Latronis nomen datum; verum in hoc plurima Latinitatis jam declinantis argumenta viri docti observarunt. Vide de eo Vossium lib. IV. cap. 6. de vitiis Latini sermonis. Cicero, Nepos horumque æquales, *æqualem* vocant. Nepos Aristide, *Æqualis fere fuit Themistocli.* Item Attico, *Soror quam prope æqualem habebat.* Cicero in Bruto: *Memoriæ proditum est, poetas nobiles poëtarum æqualium morte doluisse.* Et 3 de Div. *Apud Philistum æqualem temporum illorum.* Nonnulli veterum pro *æqualis*, vocabulo composito *coæqualis* dicunt; Justinus puta & Petronius; uti supra in cap. II. contra Vossium jam monuimus. Nunc vero addimus, Columellam quoque, auctorem itidem non spernendum, composito illo usum esse. Nimirum

mirum lib. VIII. cap. 14. ille sic habet: *Atque ubi se paululum confirmavit, in gregem coæqualium compellitur & hordeo alitur.* Et consentaneum huic, quod Plinius similiter *coæquus*, & tam ipse Cicero, quam alii, *coæquare*, dicit. Plinius lib. VI. cap. 28. *Mirum dictu ex innumeris populis pars coæqua in commerciis aut latrociniis degit.* Ita enim codices quidam MSS. habent. Cicero V. in Verr. *Sic ad libidines tuas omnia coæquasti.* Livius lib. III. *coæquare leges.*

Voce *coævus* usus est Muretus lib. II. Var. Lect. cap. 14. quod scripsit: *Martialis Silio Italico coævus fuit.* Sed notatus eo nomine est a Scioppio in Judicio de stylo historico. Nec defendere se Muretus possit verbis Ciceronis, quæ sunt in Oratione in Vatinium: *Hunc tu morem ignorabas? nunquam epulum videras? nunquam puer aut adolescens inter coævos fueras?* Meliores enim codices pro *coævos* habent *coquos*. Vide & Vossium lib. II. de vitiis Latini sermonis cap. 6.

Voce *contemporaneus* usus est Scaliger Animadversionibus in Eusebium: eoque nomine a Scioppio in Judicio de stylo historico notatus est. Vossius quoque in libro de Vitiis Latini sermonis, etsi in scriptis Lupi Servati, imo & Tertulliani vocem se observasse scribat, tamen cum antiquioribus *æqualis* aut *ejusdem ætatis* sese dicere malle profitetur.

CAPUT XXXII.

Male voci quoad *nomen quarti casus subjici: quæque erroris ejus occasio & origo fuerit. Item de aliis quibusdam merito suspectis.*

NIhil hodie frequentius est, quam *quoad* usurpari pro *secundum*, dicique exempli causa *quoad corpus*, *quoad animam*, pro *secundum corpus*, *secundum*

dum animam. Et mirum prorsus, quod, cum in nullo eorum auctorum, qui juventuti in Scholis commendantur, hujusmodi locutio reperiatur, sensim tamen eadem eidem obrepit; ut, si quid commentandum ei sit, & ipsa secure & sine ulla hæsitatione φύσει ea utatur. Sed conjicere licet, unde juventus talia hauriat. Nimirum quia non Ciceronis tantum, aliorumque veterum scripta, sed & libellos Logicos, Rhetoricos, Theologicos, aliarumque artium ac scientiarum ab auctoribus nostræ ætatis conscriptos illos, legit, in iisque vocem *quoad* sic ut dixi usurpatam subinde offendit: fit ut paulatim & ipsa ei assuescat, multaque id genus alia ex iisdem libellis trahat. Sed unum atque alterum vocis quam dixi exemplum videamus. Franco Burgersdicius in Institutionibus Logicis, ubi de categoria substantiæ agit, inter notas substantiæ & hanc ponit, quod de aliis dicatur συνωνύμως; idque sic explicat, *quoad nomen & quoad definitionem.* Gerh. Titius Responsi pag. 47. *Ut cum mea expositione ipse quoad sensum prorsus congruerit.* Et pag. 41. *Ostendunt intellectum suum ita super verba Domini cecidisse, ut quoad sensum & rem ipsam (nota quod dico, quoad sensum & rem ipsam) cum mea expositione prorsus consentiant.* Scripserat quoque ad hunc modum Famianus Strada: eumque Casp. Scioppius in Infamia Famiani, quam vocat, eo nomine notat, ac jam in Grammatica Philosophica, ejusque Auctario, ea de re se egisse scribit. Rectus usus vocis *quoad* fere hic est, ut ponatur pro *quamdiu*, *donec*, *quousque*. Qui vocis usus ipsi quoque ejus origini consentaneus est; est enim vox composita ex *quo* & *ad*; quemadmodum *quousque* ex *quo* & *usque*. Et pro *quoad* reperitur etiam *quoadusque*; ut utrumque, tum *ad*, tum *usque* appareat. Svetonius Cæs. c. XIV.

Ac

Ac ne sic quidem impedire rem destitit, quoadusque manus equitum Romanorum, quæ armata præsidii causa circumstabat, immoderatius perseverantı necem comminata est. Sed ipsius quoque vocis *quoad* exempla videamus. Nepos Pelopida: *Epaminondas, quoad cum civibus dimicatum est, domi quietus fuit.* Item Attico: *Tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acciperet.* Et Epaminonda: *Exercebatur luctando ad eum finem, quoad stans complecti posset atque contendere.* Ubi *ad eum finem quoad* est pro *tamdiu donec.* Cicero I. Off. *Tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit.* Item XI. Philipp. *Mihi Antonius pervenisse videtur, quoad progredi potuerit feri hominis amentia.* Deinde *quoad* & pro *quantum* visitur. Cicero lib. VII. ep. 25. ad fam. *Ut me integrum quoad possim servem.* Item II. de Orat. *Omnia cogitando, quoad facere potui, sum prosecutus.* Sed quoniam alter ille vocis usus, pro quo *secundum* ponitur, & casus ei quartus subjicitur, adeo frequens nunc est, videamus quoque, quænam ejus occasio fuerit. Dixerunt Latini, *Quod ad me attinet, Quod ad popularem rationem attinet, Quod ad corpus attinet, Quod ad animam attinet,* & id genus alia. Cicero lib. I. ep. 2. ad fam. *Quod ad popularem rationem attinet, hoc videmur consecuti, ut ne quid agi cum populo aut salvis auspiciis, aut salvis legibus, aut denique sine vi possit.* Deinde verbo *attinet* omisso, ac modo subaudito, *Quod ad corpus, Quod ad animam, Quod ad feras bestias,* & similia. Cajus in lib. II. rerum quotidianarum, ut in lib. XLI. Digest. Tit. de acquir. rer. dominio est notatum, scripserat: *Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur. Nec interest quod ad feras bestias & volucres, utrum in suo fundo quisque capiat, an in alieno:* Hic manifeste *Quod ad feras bestias & volucres,*

cres, est pro *Quod ad feras bestias & volucres attinet*; ut videlicet τὸ *attinet* subaudiatur. Denique ex illo *quod ad*, quod in verbis Caji apparet, fecerunt *quoad*; ut duas voces in unam compegerint, & literam D eliserint: ut speciem vox jam habeat præpositionis, quæ accusativum adsciscat. Ipsa quoque verba Caji Stephanus in Thesauro Lat. linguæ, & secutus hunc Cœlius Curio in Foro Romano, sic citat, ut pro *quod ad* scripserit *quoad*. Verum in Pandectis Florentinis lego genuinum illud atque integrum *quod ad*. Et sine dubio *quoad* pro *quod ad* ineptum est, & a recentioribus demum fabricatum. Sed objiciat quispiam locum Livii lib. XLII. cap. 5. *Apollinius* (Antiochi legatus) *in senatum introductus multis justisque causis regem excusavit, quod stipendium serius quoad diem præstaret:* ubi manifeste *quoad* post se casum quartum habet. Verum enim vero unicus iste locus Livii de bonitate ejus quem dixi vocabuli usus certos nos reddere non potest. Siquidem postremi illi libri Livii, ut clarissimus Gronovius per literas me docuit, manu exarati non sunt visi nisi in unico codice, ex quo Grynæus eos publicavit. Fortassis igitur mendum in eo loco est; & pro *quoad diem*, ut idem Gronovius conjecit, legendum *quam ad diem*. Sane *serius quoad diem* non potest esse pro *serius secundum diem:* foret enim locutio plane inepta. Siquidem quod serum, aut serius est, id non aliter quam secundum diem, vel secundum tempus, serum, aut serius, esse potest: atque ita τὸ *quoad diem*, plane supervacuum esset. Si autem, ut vult Gronovius, *serius quam ad diem* legatur, locutio plane concinna erit. *Ad diem pecuniam solvere* dicebant veteres, si constituta die solveretur. Subaudiebant enim *dictam* vel *constitutam*: quæ vocabula interdum & diserte adjicie-

bant. Cicero IV. in Verr. *Quando illa frumentum quod deberet non ad diem dedit?* Idem lib. XVI. ep. 12. ad fam. *Tu Musis noſtris para, ut operas reddas: noſtra ad dictam diem ſient.* Cæſar II. B. Civ. *Nulla fuit civitas, quin ad diem conveniret.* Ergo *ſerius quam ad diem*, quod apud Livium eſt, erit pro *ſerius quam ad dictam diem, ſerius quam par erat.*

Vocabulorum *nullatenus, ſolummodo, præprimis* frequens quoque hodie uſus eſt; cum tamen in nullo eorum auctorum, qui juventuti commendari ſolent, quod quidem ego ſciam, reperiantur. Eſtque eadem fere eorum ratio, quæ eſt ſuperioris vocabuli. Quemadmodum enim *quoad* pro *ſecundum* non veterum, ſed recentiorum ſcriptis legendis juventuti obrepit: ita plane & proxima illa vocabula, dum recentiorum doctorum ſcripta leguntur, juventus diſcit, moxque & ipſa illis utitur. *Cumprimis* & *imprimis* in veterum ſcriptis obſervantur: at *præprimis* quinam veterum dixerint, ego quidem ignoro. Hodie tamen nihil eo frequentius eſt. Nec minus frequens hodie eſt *nullatenus* pro *nequaquam, neutiquam:* verum apud antiquiores neque Vallæ, neque aliis viris doctis obſervatum eſt. Vide & Voſſium in libri primi de vitiis Latini ſermonis cap. XXV. Quem eundem tamen rurſus non ſequar, quod voces *exacte* & *exactius* quoque in libri quarti cap. XXXII. inter cetera rejicit; ſed hasce voces inter falſo ab ipſo damnata refero: cujus generis pluſcula ſupra in cap. II. recenſui. Obſervo enim vocem *exactius* apud Pomponium Melam, initio operis. *Dicam alias plura*, inquit, *& exactius.* Et quid attinebat de iſto adverbio dubitare, cum ipſum nomen *exactus*, ex participio factum illud, toties reperiatur? Horatius habet, *Pulchra & exactis minimum diſtantia.* Martialis autem, *Nihil exactius eruditius.*

ditiusque. Sed ut ad merito suspecta redeamus, *solummodo* quamvis & ipsum hodie multum usurpetur, non perinde tamen ut *tantummodo*, antiquum, sed plane recens videtur, ab iisque formatum, qui, quod viderent *tantummodo* ex duabus ἰσοδυνάμοις vocibus *tantum* & *modo* formatum atque usurpatum ab antiquis fuisse, pari ratione ex duabus itidem ἰσοδυνάμοις, *solum* & *modo*, compositam vocem *solummodo* formari posse putarunt. Certe doctiores Lexicographi non perinde *solummodo*, ut *tantummodo*, inter Latina vocabula recensere sustinent: idque argumento est, apud veteres eam vocem non observatam ipsis fuisse.

In recentiorum scriptis subinde & vocula *tam* nomini superlativo juncta reperitur. Exempli causa Joh. Sperlingius in cap. II. libri de formatione hominis in utero scribit: *Quæ virtus in tam vilissima atque penitus deformi & sordida materia inest.* Sed rectius videtur dici *in tam vili*, quam *in tam vilissima*. Jungunt quidem ipsi quoque veteres vocalam *tam* superlativis; sed non nisi tunc id faciunt, cum vocalam *quam* itidem superlativo junctam subjiciunt. Terentius Heaut. Act. V. Sc. 2. *Adolescens quam minima in spe situs erit, tam facillime patris pacem in leges conficiet suas.* Item Adelph. Act. III. Sc. 5.

Quam vos facillime agitis, quam estis maxime
Potentes, dites, fortunati, nobiles,
Tam maxime vos æquo animo æqua noscere
Oportet, si vos vultis perhiberi bonos.

Plautus Merc. Act. I. Sc. 2. *Quam maxime resisto,*

tam res in periculo vertitur. Sed hic ad alterum *tam* vox *maxime* subaudienda est. Sallustius Bell. Jugurthino: *Quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est.* Apparet, credo, Latinos quoties vocula *tam* superlativum subjiciunt, toties vocula *quam* itidem superlativo junctam ei subdere; & nisi hoc faciant, nec illud facere. Usurpantur autem *tam* & *quam* in talibus pro *tanto* & *quanto;* & superlativi pro comparativis. Ut quod Terentius dicebat *quam minima, tam facillime,* id dictum pro *quanto minore, tanto facilius;* & quod Plautus *quam maxime, tam maxime,* id dictum pro *quanto magis, tanto magis.*

De vocibus *nemo* & *nullus* monendum est, ne, cum de non pluribus quam duobus agitur, eæ usurpentur: id quod itidem a quibusdam negligi observo. Michaelis Wendeleri distichon legere memini hujusmodi:

Scharffius est præses: Respondens Hechtus Uterque
Robore cum valeat, nullus inermis erit.

Et Freinshemius in Jud. Flor. scripsit: *Æquo Marte contendere, ut nemo sit superior.* Utrobique *neuter* dicendum fuisse nemo negabit. Hac enim voce utuntur Latini, quoties negandum de duobus est. Estque composita sine dubio ex *ne* & *uter*, vel *uterque:* quasi diceretur *uterque non.* In compositione enim *ne* pro *non* usurpant; ut ex vocibus *nequeo, nescio, nefas, nefandus,* & aliis apparet.

CAPUT

Cap XXXIII.

De vocabulis, quæ non nisi joci causa formata ab antiquis sunt, abstinendum, nec promiscue iis utendum esse: quæque nova ratione a poetis sunt formata, in oratione soluta itidem non usurpanda.

PUtant quidam bonum factum esse, si vocibus ac phrasibus, quascunque apud Scriptores veteres inveniunt, & inter ceteras, quæ non nisi joci causa formatæ sunt, promiscue utantur; & exempli causa epistolis, quas ad amicos mittunt, inscribant *Amico meo oculissimo*. Finxit sane Plautus joci causa & ad captandum risum plusculas voces & phrases, & inter ceteras ipsum quoque τὸ *oculissimus*. Cujus rei occasio hæc fuit, quod a nominibus adjectivis positivi gradus, ut Grammatici vocant, nomina adjectiva superlativi gradus in *simus* terminata formantur; quodque Latini eum, quem vehementer diligerent, *oculum* vocarent. Permisit igitur sibi Plautus ab ipso quoque nomine substantivo *oculus* istiusmodi superlativi gradus vocabulum formare, ac dicere *oculissimus*. Ut Curc. Act. I. Sc. 2. *Salve oculissime homo*. Et ejusdem Actus Scena prima quidam legunt *ostium oculissimum*: quod tamen nobis non probatur; Sed legendum potius videtur *occlusissimum*. Ceterum idem Plautus & adverbium *oculitus* formavit, dicitque *oculitus amare*; itidem joci causa & ad risum captandum. Et occasio rursus fuit, quod Latini *oculum* vocarent, quem vehementer diligerent. Plautus Curc. Act. I. Sc. 3. *Bene vale, ocule mi*. Et in Asinaria eodem sensu dicit, *meus ocellus*. Svetonius in de claris Rhetoribus libello prodidit, Sextum quendam gloriatum fuisse,

se *par oculorum* in amicitia M. Antonii extitisse. Consentaneum quoque est, quod Catullus eam quæ charissima esset expressurus scripsit, *Ambobus mihi quæ charior est oculis*. Item quod dicunt, *in oculis alicui esse*, pro charum & acceptum esse; & *in oculis ferre* pro magnificare & charum habere. Cicero lib. VI. ep. 2. ad Att. *Publicanis in oculis sumus*. Item lib. VI. ep. 11. ad Att. *Oderat ante: nunc fert in oculis*. Et lib. XVI. ep. 27. ad fam. *Te, ut dixi, fero in oculis*. Sed ut ad ea, quæ joci causa formata sunt, redeam, dixit quoque Plautus *exædificare* pro ex ædibus ejicere, vel expellere. Ut Trin. Act. V. sc. 2. *Exædificavisset me ex his ædibus, absque te foret*. Ubi non quidem novam vocem finxit, sed novam tamen ei significationem tribuit. *Exædificare* enim est ædificationem absolvere. Qua notione, sed per metaphoram tamen, Cicero in Orat. dicit *opus institutum exædificare*. Et Plautus Trin. Act. I. Sc. 2. *exædificare inchoatam ignaviam*. Quod autem in alia parte ejusdem comœdiæ dixit, *exædificare ex ædibus*, id per magnam ἀκυρολογίαν & per jocum fecit; subjecta enim isti verbo notio ædium exstruendarum erat: idque vi ipsius originis; quippe ex *ædes* & *facere* compositum ipsum est. Talibus igitur, qualia sunt *oculissimus* & *exædificare*, minime promiscue utendum est; sed tum demum, cum istiusmodi data fuerit occasio, qualem Plautus habuit.

Phrases quoque poëticas, quamvis non joci causa formatas, in oratione soluta nimium consectari quidam videntur. Exempli causa, quoties odium gravissimum exprimendum est, utuntur phrasi *cane & angue pejus odisse*, atque ita orationem suam singulari quodam flosculo se exornare putant. Verum reputandum illis erat, quod non Cicero & hujus

æqua-

æquales, quicunque soluta oratione scripserunt, phrasi ista usi sint; sed unicus Horatius, & quidem propter versum. Sed nec dixit *cane pejus & angue odisse*; sed *cane pejus & angue vitare*, in epistola quidem ad Scævam: pro quo in oratione soluta potius dicerent *pejus quam canem & anguem vitare*. Etsi enim comparativis subjiciant ablativos, tritius tamen in nominibus adjectivis hoc est, quam in adverbiis. Exempli gratia dixerint citius, *magis amo te quam fratrem tuum*, quam *magis amo te fratre tuo*. Cicero alicubi in epp. *Odero multo pejus hunc quam ipsum illum Clodium*. Ceterum quod vulgo dicunt *cane pejus & angue odisse*, pro eo dicere possent *male odisse*, *pessime odisse*. Siquidem *male* in talibus idem est quod vehementer. Et pari modo dicitur, *male timere*, *pessime metuere*, pro valde, vehementer timere.

Frequentatur quoque hodie βάσις *odio Vatiniano odisse*, si odium vehemens & gravissimum sit significandum. Verum hæc quoque βάσις ex poeta, & quidem Catullo, hausta est. Scribit hic ad Calvum:

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.

Et credo ego, quod poetica hujusmodi adeo nunc frequentantur, ideo factum esse, quod ista talia Erasmus inter proverbia retulit; quasi vero quæcunque a poetis finguntur, ad proverbia, & ad ipsum adeo genium linguæ pertinerent.

IN LIBROS DE LATINITATE FALSO ET MERITO SUSPECTA INDICES.

* * *

I. VOCUM ET PHRASIUM HEBRAEARUM AUT COGNATARUM LINGUARUM.

אבא איה לן אברהם *Pater est nobis Abraham*, Syr. 8
אהב בל בכו *diligere in corde suo* 218
אחד *unus, primus, quidam* 2
אחר Syr. *putare, existimare* 11
את inservit etiam nominativo significando: nec tantum ante verbum passivum, sed & ante verbum activum, & verbum substantivum 9
איה לי *est mihi*, Syr. 8
בכל ערן *in omni tempore, semper*, Syr. 147
היה מים לעדה *est aqua populo* 8
הם affixi pleonasmus post nomen 89
חשם עליו מלך *ponere super se regem* 119
המש זבנין *septem temporibus*, i. e. septies, Syr. 155
טוב *hilaris*, de corde 24
ידו שלח *manum suam misit*, pleonasmus Hebræis peculiaris 66
ודוא מפרה *exire ex ore* 115
יש לכם אב *est vobis pater* 8
כי, post verba intellect 9 190
ל apud Syros inservit etiam nominativo significando 9
לי איה לכין *ego sum vobis*, i. e. vos me habetis 8
מ affixi pleonasmus post nomen 89
מוצא פרה *exiens ore*, pro דבר *verbum* 115
מצא חן *invenire gratiam* 221
נפל בחרב *cadere gladio* & נפל בפי חרב *cadere ore gladii* 89

נתן כיהן *constituere sacerdotem* 6
פה להם *os illis*, scil. est 8
עיניו נשא *oculos suos sustulit*, pleonasmus pronominis Hebræis peculiaris 66
על voculæ usus in significandis præfecturis: ut על העיר *super urbem*, i.e. præfectus urbi 119
עשר טונים *decem numeris*, i.e. decies 155
עשות חיל *facere, parare divitias* 76
רגליו נשא *pedes suos sustulit*, pleonasmus Hebræis peculiaris 66
שלוש פעמים *tribus ictibus*, id est, ter 155
שום בלב *ponere in corde* 236

II. VOCUM ET PHRASIUM GRÆCARUM.

Ἀγαθὸν θυμὸν ἔχειν 24. 238
Ἄγειν εἰρήνην, ἄγειν πόλεμον 126
Αἰτία pro conditione latinismus 268
Ἅμ, ἡμέρᾳ διαφωσκούσῃ pariter cum luce 180
Ἀνατείνας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν 66
Ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ ἡ λέπρα 48
Ἀπέχειλαν, subaud. τινάς 145
Ἀπὸ καρδίας 218
Ἀπὸ μιᾶς, & ἀπὸ μιᾶς γλώσσης 213
Ἀφ ἑνὸς homonyma 1
Ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετὸς *decessit febris* 48
Γινώσκειν χάριν *habere gratiam* 4
Γραφὴ *pro* τὰ γεγραμμένα 207
Δι' ἀιῶνος & δι' ἀιῶνος τοῦ ἄπαντος 281. 282
Διδόναι ἱερέα qualis phrasis 6
Διδόναι πίστιν *dare fidem* 5
Δίδωμι πιεῖν, φαγεῖν 195
Δὶς τόσος *bis tantus* 202
Δύναμις εἰς καταβολὴν σπέρματος *pro* δύναμις τοῦ καταβαλεῖν σπέρμα 166
Εὑρέναι χάριν *habere gratiam* 4
Εἶναι ἐν φόβῳ, ἐν φροντίδι, ἐν ἐπιθυμίᾳ, & similia 41
Εἶναι ἐν ἀτιμίᾳ 42
Εἶναι ἐν ἑαυτῷ *esse apud se* 43
Εἷς, *aliquis, quidam* 3
Εἰς αἰῶνα 281
Εἰς τέλος, *semper* 147
Ἐκπορευόμενα διὰ τοῦ στόματος 114
Ἐκτείνειν τὴν χεῖρα *non* ἐκτείνειν τὴν χεῖρα αὐτοῦ 66
Ἐλθὼν εἰς ἑαυτὸν 43
Ἐλπὶς *pro* τὸ ἐλπιζόμενον 207
Ἐμμένειν τοῖς νόμοις 69
Ἐν στόμασι πολλῶν κάμενος, *qui omnium in ore est* 201
Ἐξ αἰῶνος & ἐκ τοῦ παντὸς αἰῶνος 281
Ἐξ ἑνὸς στόματος *uno ore* 213
Ἐπάνω τριακοσίων δηναρίων, *plus quam trecentis denariis* 182

Ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς, *plus quam quingentis fratribus* 182
Ἐπάρας τὴν φωνὴν 66
Ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶ, pleonasmus, & Hebraiſ. 66
Ἐπιθυμία εἰς τὸ ἀναλῦσαι *pro* ἐπιθ. τῦ ἀναλῦσαι 166
Ἐπίσκοποι οἱ ὑπὲρ διοίκησιν *qui* 119
Ἐργασίαν δῦναι Latiniſmus 68
Ἔσιμοι ἀργύριον *pro* ἔχω ἀργύριον 8
Εὐχαριστῆν quid viſum Phrynicho 4
Ἔχε τε παρητημένον, Latiniſmus 68
Ἔχειν θυμὸν ἀγαθόν 24. 238
Ἔχειν χάριν 4
Ἔχω λέγειν *habeo dicere* 54
Ἔχω ποιῆν *poſſum facere* 54
Ἦλθεν εἰς ὦτα Θεῶν 107
Ἦλθεν ὁ χρόνος 111
Ἱερεῖς ὑπὲρ Μέμφιν *qui* 119
Ἴσημι χάριν *habeo gratiam* 4
Ἰσχύοντες pro ὑγιαινοὶ Latiniſmus 69
Ἴτω *eat* 113
Κακὰ ἐπὶ κακοῖς 185
Κρατῆν τὰς παραδόσις *pro* φυλάσσειν τὰς π. 69
Λαβῆν συμβούλιον Latiniſmus 68
Λόγος *pro* τὸ λεγόμενον 207
Λύπη ἐπὶ λύπῃ *triſtitia ſuper triſtitiam* 185
Μᾶλλον καὶ μᾶλλον 197
Μιᾷ φωνῇ *una voce* 213
Νικᾶν τὰ Ολύμπια 135
Ολυμπιονίκης 135
Οὐδὲν βλάπτει, *nihil nocet* 146
Οὐδὲν πρός τινα *nihil ad aliquem* 233
Οὐκ ἀδυνατώτατος & id genus alia 199
Οὔτ' ἐλαχίστη οὔτ' ἀσθενεστάτη 199
Πράτειν χρήματα *parare divitias* 76
Πεπλήρωται ὁ χρόνος, pro ἦλθεν ὁ χρόνος, Hebraiſmus 111
Πίστιν διδόναι καὶ δέχεσθαι *fidem dare & accipere* 5
Πλείων καὶ πλείων 197
Ποιῆν χρήματα, δύναμιν, *facere divitias* 76
Ποιῆν ἑαυτὸν ἐλεεινὸν, *facere ſe miſerum* 78
Ποιῆν λόγον *facere ſermonem* 79. 80
Ποιῆν λόγως 80
Ποιῆν κρίσιν, παιᾶσθαι μάχην *pro* κρίνειν, μάχεσθαι, & genus alia 85
Πολλὰ ἐπὶ πολλοῖς ἐπιστέλας *epiſtolis ſuper epiſtolas miſſis* 185
Τετήρηκα τὴν πίστιν S. Paulo quid 63
Τοσῦτων ἑτέρων *altero tanto* 203
Ὑγιαινὸν quam varia ſignificet 1
Ὑπὲρ διοίκησιν ἐπίσκοποι qui 119
Ὑπὲρ Μέμφιν ἱερεῖς qui 119
Ὑπέρ τινος καθέζεσθαι *ſuper aliquem ſedere* 183
Ὑπὸ τὸν ὐρανὸν *pro* ἐπὶ τῆς γῆς 28
Φυλάσσειν τὸς νόμως, phraſis ſatis Græca 69
Φωνῆσαι τὸν ἄνδρα Latiniſmus 68
Χριστὸς *pro* τύπος τῦ Χριστῦ 216

INDEX
III. VOCUM ET PHRASIUM LATINARUM.

A.

A & Ab verbo passivo addita non semper agentem denotant 315 sq.
A Cora Principes 157
A mane ad vesperam 221
A principio, a primo 156
A pueritia, a pueris, a parvis, a parvulo 156
A villa mercenarius 157
Ab adolescentia 156
Ab Amphryso pastor 157
Ab Andria est ancilla hæc 157
Ab Ardea profectus 231
Ab domo abesse 231
Ab Italia navita 157
Ab Roma advenit 231
Ab se cantat, cuja sit 158
Ab se egreditur foras 158
Abesse a sole 16
Abhinc *etiam de tempore futuro usurpatur* 256. 368
Abhinc centum annis *pro* proximis centum annis jam præteritis *non Latine dictum* 369
Abhinc decennium *pro* proximo decennio adhuc futuro, *non Latine dictum* 370
Abi tu tuam vitam 195
Abierunt menses decem 114
Abire hæc sic non possunt 115
Abolita & abrogata *jam olim, non usurpanda* 242
Abs me, abs se, abs nobis, abs re, *non recte dicitur* 294
Absconditum ab oculis alicujus *non Latine dicitur* 314
Absque *pro* præter 300
Absque *pro* sine *quando usurpari cœptum sit* 301. 304
Absque eo esset *qualis locutio* 297. *ea non promiscue utendum* 302. *pro ea quid usurpandum* 303
Absque illo fuisset 37
Abstinere cibo & abstinere se cibo 222
Abstinere mentes, oculos, manus ab alienis 222
Accedit mihi sermo ad aures 107
Accidere ad genua, ad pedes alicujus 143
Accidere aliquem 143
Accidit ad aures, & accidit auribus 107. 143
Accingunt operi, *subaud.* se 122
Accipere aliquem verberibus 97
Accipere aliter, aliorsum, ad contumeliam 99
Accipere excusationem, satisfactionem, causam 99
Accipere injuriam 91
Accipere male, bene, honorifice, magnifice 98
Accipere personas, acceptio personarum *non latine dicitur* 383. sq.
Accipere vulnus in capite 98
Accipere vulnus, *triplici notione acceptum* 98
Accredere alicui 140
Ad Capuam profectus, & *id genus alia* 231

Ad

Ad contrahenda auxilia tempus 165
Ad credendum facilis, difficilis 163
Ad dicendum spatium 165
Ad ducendum ætas 165
Ad eam diem 167
Ad eum finem, quoad *pro* eousque quoad 153
Ad extremum, ad ultimum, ad postremum 162
Ad faciendum facultas 164
Ad hoc *pro* præterea 166. & *pro* ad hunc finem 167
Ad hoc accedit illud 168
Ad id tempus *pro* eo tempore 167
Ad imitandum proponere 226
Ad manducandum dare 226
Ad nocendum voluntas 164
Ad nuptias coquere 168
Ad objurgandum causa 164
Ad quæ tempora *pro* quibus temporibus 167
Ad reprehendendum ansa 165
Ad scribendum argumentum 164
Ad scribendum necessarius *ib.*
Ad se proferendum occas. 165
Ad solitum tempus *pro* solito tempore 167
Ad summum 163
Ad tempus *quadruplici notione usurpatur* 168
Ad venandum cupiditas 165
Ad voluntatem loqui 169
Adhibere fidem *pro* uti fide 356
Adhibere fidem alicui *pro* habere fidem alicui, *non Ciceroniani, sed posterioris ævi* 355
Adhuc semel *certa notione minus Latine dicitur* 368
Adjacent gentes mare 117
Adjurare alicui 140
Adjuvat aliquid, multum, ad aliquam rem 128
Adjuvat ad verum probandum 129
Adoptare *certa notione non Latine dicitur* 351
Aegritudo *proprie affectio animi* 333
Aegritudo animi, ægritudo corporis *qui dixerint* 334
Aequipollentia *vel Grammatica vel Logica est* 280
Affectatus *certo sensu minus Latine dicitur* 341
Affectus *non est vocabulum cum pravitat comprehensum* 336
Afferre *non Latine dicitur* 350
Afferre multam utilitatem, favorem, gaudium 131
Agere prælium, *non Latine dicitur* 351
Alia super alia 255
Alia super alia ausus 184
Aliæ super alias epistolæ 185
Aliquid adjuvat 35
Aliquid judicare qui possunt 34
Aliter est tua sententia 149
Aliter nunc esse credidi 149
Allegare, *certo usu non Latine dicitur* 352
Allegare *librum an Latine dicatur* 352. sq.
Alta voce *male suspectum Vossio* 259
Alterum tantum 203
Ambulare in sole 15

Amittere litem 131
Amittere vitam, lumina, aspectum 131
Amplius centum, *pro* plures quam centum 182
Ante alios unus carissimus 179
Ante cervi in æthere pascentur, quam 149
Ante januam stare 179
Ante oculos amare 179
Ante oculos esse, habere, proponere 179
Ante omnia hoc mihi placet 179
Ante pedes esse 179
Anteponere alicui bonum prandium 140
Antevenire aliquem 137
M. Antonii *dicta notata a Cicerone & quo nomine* 251
Aperire cogitationes suas, sententiam suam 237
Aperire se 237
Apparere in oculis alicujus talem *non Latine dicitur* 313
Appellere *non navis dicitur, sed homo* 353
Apportare damnum, malum, morbos 132
Apud aliquem aliquid valere, nihil valere, plurimum posse, aliquid auctoritatis habere 169
Apud Germanos consuetudo est 208
Apud illum fides mihi est 169
Asconii *de verbo* compilare *sententia* 347
Aspellere *pro* abspellere 344
Aspicere pro felici 102
Aspiciebant magis illum, quam 101
Asportare *pro* absportare *certo usu non latine dicitur* 343
Assumere aliquem socium & assumere in societatem 130
Assumere iatralipten 233
Assumere in consilium 130
Assumere rursus uxorem 130
Auctor *scribendum; non* autor *nec* author 409
Audire *pro* audivisse 227
Audire aliquem *pro* obtemperare alicui 103
Augere *idem quoque quod* creare, procreare 410
Auscultare alicui & auscultare aliquem *pro* obtemperare 106
Aut scire aut nescire hoc volo 146

B.

Benedicere *pro* laudare *non latine dicitur* 392
Bene promittere 209
Bene scire 208
Bis tantus & *id genus alia* 202
Bona pars, bona copia 24
Bona spes, bona pax 25
Bona verba 26
Bonus amicus 25
Bonus animus *pro* curis vacuo 24. *item* pro benevolo 24
Bonus fur 25
Bonus poëta, bonus sutor 25

C.

Cadere in morbum 117
Cadit animus, auctoritas, spes, fides 117
Cæsar *an scripserit* communicare alicui 376

Camera *certo sensu non Latine dicitur* 334
Campum retinere 209
Capi studio venandi *non recte dictum* 419
Carere febri 47
Carere malo, crimine, stultitia 47
Caret febris homine 48
Casus *idem verbis diversos requirentibus subjunctus* 376
Casus, in hoc casu 20
Catharrus *perperam scribitur* 412
Causa *non definienda; sed ipsum vocabulum distinguendum* 326
Causa mea hæc est, *pro* conditio mea hæc est 268
Causæ *notio aliis vocabulis simul comprehensa* 215
Centesimum *pro* centies tanto 204
Certitudo *non latina vox* 290
Circa aliquem esse 186
Circa se aliquem habere 186
Circummittere legationes 141
Civis *pro* Concivis *bene latine dicitur* 444
Civilis *latinis quis dicatur* 340
Coæqualis *male rejectum a Vossio* 260
Coætaneus *minus Latina vox* 445
Coærus *minus Latina vox* 446
Cogit me necessitas 222
Cogitabam Arpinum 100
Cogitare posteros 101
Cogito Brundusium pergere 100
Cogito hinc perendie mane 101
Collimare *inepta vox* 403
Comicorum dictio *a cæterorum dictione nonnunquam discrepat* 299. 302. 303. 305. 307
Commensalis *minus Latina vox* 445
Communicare alicui *pro* cum aliquo *non est ævi Ciceroniani* 376
Comparata ita est ratio alicujus rei 266
Comparata ita est res 266
Comparatum est cum aliquo *non Latine dicitur* 264
Comparatum est male 266
Comparatum est natura, legibus 266
Compati *non ævi Augustei vox* 400
Compilare *certa notione minus Latine dicitur* 345. *quæ ejus vocis origo* 347
Complices *non ævi Augustei vox* 399
Computus *non ævi Augustei vox* 400
Concernere *inepta vox* 403
Concivis *minus Latina vox* 444
Conditio ea est rei 267
Condolere *non ævi Augustei vox* 401
Conducere milites in unum 138
Conficere posse armata militia centum 134
Conficis mihi multas solicitudines 134
Conficit ex iis trecentos equites 134
Confœderatus *minus Latinæ vox* 445

Confundi *pro* perturbari *satis antiquum* 357
Confundi *pro* pudore affici *non est ævi Ciceroniani* 357
Consiliari *male rejectum a Vossio* 255
Consiliarius a sacris *an recte dicatur* 415
Consuetudinem habere, tenere 208
Consulere alicui *certa notione minus Latine dicitur* 440
Contemporaneus *minus Latine vox* 446
Contra naturam suam 186
Contra voluntatem ejus 186
Contradicere sibi in os, *non recte dictum* 418
Contrario *male rejectum a Vossio* 261
Convenientia linguarum *non minus observanda quam earundem discrepantia* 10
Convenire in unum locum 138
Cordatus *pro* forti, *non Latine dicitur* 275
Corde diligere 217
Correspondere *inepta vox* 404
Cubare *pro* ægrotare 224
Cum aliquo ea ratio est, *non Latine dicitur* 270
Cum aliquo ita comparatum est, *non Latine dicitur* 264. 268
Cum aliquo ita res se habet, *non Latine dicitur* 268
Cum aliquo partiri, dividere 180
Cum jam in eo esset 37
Cum lacrymis orare 181
Cum luce, cum ortu solis, cum mane 179. 180
Cum magna cura, cum summa fide 180
Cum tempore *certo sensu Latine dicitur; alia non item* 310
Currunt fluvii in mare 115
Cursum tenere, dirigere, in cursu esse 17
Cursus tribuitur navibus 17
Cursus rerum 16
Cursus solis, stellarum 17
Cursus vitæ, cursus vivendi 16
Custodiæ pro custodibus, & *id genus plura* 235

D.

DAmnare ad mortem *minus latine dicitur* 378
Damnare capitis & Damnare capite *quales phrases* 379 *ad eam subaudiri* crimine *non est opus* 379
Dant se res ita 95
Dare aliquem in fugam 94
Dare damnum 99
Dare fidem 4. 5. *perperam dicitur pro habere fidem* 247. *certa notione minus latine dicitur* 437
Dare finem *pro* facere finem 96
Dare fugam, turbas 97
Dare librum foras 95
Dare pœnas, supplicium 160
Dare se ad scribendum, ad legendos libros 93
Dare se rei familiari 94
Dare se in viam, in fugam 94
Dare sonitum, gemitum, plausum,

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0471
DFG

sum, planctum, cantum, certamen, prælium, ruinam 96
Dare testimonium, consilium, locum, signum, osculum, responsum, ictum 92
Dare vulnus *duplici notione* 99
De aliquo agrum colendum habere 159
De aliquo exemplum capere 160
De aliquo mercari, emere 160
De aliquo pœnas exigere 161
De aliquo supplicium sumere 161
De exercitu non amplius mille hominum cecidit 158
De grege illo est 159
De illo audivi *pro* ex illo 159
De numero ducum unus 159
De principio 161
De procul aspicere 161
De servis quem habuit fidelissimum misit 158
De summo loco eques 159
De tribus una 159
De via mulier 157
Deputare *pro* assignare, destinare, *non est ævi Ciceroniani* 358
Desiderare ab aliquo 101
Dicta *Latinis quid* 325
Dicterium *antiquis quid* 325. *quæ ejus vocis origo ibid. certo sensu non Latine dicitur ibid.*
Dictio *certo sensu non Latine dicitur* 325
Dicto audiens alicui 104
Dicto audiens jussis alicujus 105
Differre aliquem rumoribus, & differre rumores 133
Difficile ad judicandum, ad credendum 164
Difficile factu 163
Difficile judicari 163
Discrepantia *linguarum observanda* 1. seq.
Discretus *certo sensu non Latine dicitur* 336
Discrimen personarum 384
Discrimen personarum facere 384
Discursus *certa notione Latine dicitur* 321
Dissuadere aliquem *non Latine dicitur* 381
Ditio *certa notione non Latine dicitur* 323
Do tibi bibere, do tibi habere 195
Dolet mihi, factum esse hoc 214
Du *in multis mutatum in B.* 327
Dubito annon *minus Latine dicitur* 427
Ducere bellum *pro* gerere 123
Ducere parietem 128
Ducere vitam pessimam 128
Duellum *idem quod bellum* 327 *pro pugna singulari minus Latine dicitur* 326
Durare nequeo in ædibus 134
Durari extra tecta non poterat 134

E.

EAt sic 112
Efferre foras 132
Efferre rem in vulgus 132
Efficit sexcenta millia pass. 134
Elapsis abhinc octodecim annis, *non Latine dicitur* 416

Enunciationum *conditionalium negativarum formæ* 150
Esse ad manum 45
Esse apud se 43
Esse in honore, in usu, *& id genus alia* 42
Esse in itinere, in venationibus, in vita, *& id genus alia* 40. sq.
Esse in manu alicujus 45
Esse in oculis alicujus talem *minus Latine dicitur* 313
Esse in periculo, in magno periculo 43
Est aliquid, sed 34
Est annus, cum id fieret 44
Est in illa epistola *pro* est scriptum in illa epistola 44
Est in manibus victoria, occasio, liber, vindemia 45
Est mihi bene, melius 38
Est παρέλκον: Si est ut velit, *pro* si velit 42
Esto 38
Estote rogati 45
Eunt res bene 113
Evolvi integumentis dissimulationis *quam proba phrasis* 252
Ex Anactorio huc commigravit 232
Exacte & exactius *male rejecta a Vossio* 450
Excepto quod 193
Excurrit fons ex monte 115
Exhausta omnia bello 134
Exhausti Athenienses 134
Exigere pœnas de aliquo 161
Exit nihil gloriosum ex ore ejus 114
Exit sanguis e visceribus 114
Exit tempus, mensis 114
Vorstius de latinit.
Expectare ventum 219
Extra jocum 186
Extra periculum 186
Extrema necessitas 31
Extrinsecus *ut nomen adjectivum non est ævi Ciceroniani* 371

F.

FAcere *pro* pati *non promiscue, sed in paucis phrasibus usurpatur* 88
Facere æs alienum 81
Facere alicui bona 83
Facere aliquem heredem, consulem 75
Facere aliquem tristem, lætum 221
Facere aliquid notum 82
Facere animos, bonum animum, spem magnam 78
Facere cephalalgiam 221
Facere contumeliam *a M. Antonio perperam dictum pro* pati contumeliam 88. 251
Facere contumeliam *satis Latine dicitur* 88
Facere differentias, discrimen 80
Facere eruptionem, irruptionem 84
Facere favorem, auctoritatem 80
Facere initium, principium, finem, pausam 74
Facere librum, poëma, versus 78
Facere longum 82
Facere magnos viros 80
Facere miserationem 221
Facere multum mali 83

Facere nomen, *duplici notione* 81
Facere nomina, *notione duplici* 81
Facere pacem *notione duplici* 75
Facere pecuniam ex frugibus, ex metallis 76
Facere precationes, excursionem, populationem, & *id genus alia* 84
Facere promissum 85
Facere se hilarem, celerem, ferocem, versipellem, magnum, glorioſum 76. sq.
Facere se huc 221
Facere se intra limen 221
Facere se locupletem, fastidii plenum, bardum 77. 78
Facere sibi multa bona 83
Facere testamentum, pontem, fossam, turbas 80
Facere ventum, ignem 80
Facere verba, sermonem 79
Facere viam ferro 221
Facile ad credendum, ad judicandum 163
Facilis capi, corrumpi 163
Febris accedit, decedit 48
Fidem dare, accipere 4. 5.
Fides *pro* promissione 63
Finis, quem ad finem *pro* quousque 18
Foras aliquid efferre 151
Foras dare librum 151
Fractum est illi crus, & fractum est illius crus 202

G.

GErhardus Vossius *plusc̃ula satis Latina rejecit* 255 sq.
Gothi *verba temporis præteriti absque verbo auxiliari formarunt* 56
Græci *vocabulis partium corporis humani subinde non adjiciunt pronomen poss. 66. in plurimis phrasib. congruunt cum Latinis. v.* indicem superiorem.
Græcismi *quidam Latine scribenti vitandi* 288
Gratitudo *vox minus Latina* 288 *pro ea quid Latini usurparint* 289

H.

HAbeo dicere, scribere, polliceri 53 sq.
Habeo dicere *certa notione satis Latine dicitur; alia non item* 283
Habeo dictum & *id genus alia* 55. 57
Habeo hoc faciendum *pro* habeo necesse hoc facere, & *id genus alia* 54
Habere aditum, accessum, receptum ad aliquem 52
Habere aliquem charum 46
Habere aliquem obviam 7
Habere ante oculos 48
Habere bonum animum 23
Habere bonum exitum 52
Habere cibum coctum *pro* cibum coquere, & *id genus alia* 58. 59
Habere cognitum, & *similium quæ vis sit* 59. sq.
Habere consuetudinem, eloquentiam, prudentiam 50
Habere febrim 46

Habere finem, lubidinem, spem, voluntatem, periculum, tempus 49
Habere in manibus *notione duplici* 51
Habere in memoria 226
Habere inter manus opus 50
Habere libenter 225
Habere opus aliquare 51
Habere speciem utilitatis 226
Habere spem in aliquo & habere spem positam in aliquo 120
Habere tres pedes in longum 209
Hactenus *pro* adhuc, ad hoc usque tempus, *non ævi Ciceroniani* 362
Hæc habui dicere & hæc habui quæ dicerem 53
Hæccine erant itiones crebræ 215
Haud sæpe morbus quenquam superat 153
Hebræi *vocabulis partium humani corporis addunt pronomen possessivum* 66. *idiotismos suos sæpe negligunt* 88
Hebraismi *Latine scribenti vitandi* 277. 382
Hebraismi *in novo testamento* 278. 308. 383
Hebraismus *in versione Latina antiqua* 292
Hodie mane 222
Hospes Zacyntho, Epheso 157

I.

I Nunc 114
Jacere graviter *pro* ægrotare 224
Jacet Britannia inter septentrionem & occidentem 117
Jacent urbes in planis campis 117
Jamais *in locutione Gallica, cum nunquam aliquid factum iri significant; non eternellement* 279
Iatraliptes, Iatraliptice 233
Idem cum aliquo *non recte dicitur* 424
Idiotismi *linguarum subinde negliguntur* 89. 90. 190
Immiscere se bello, colloquiis, rei alienæ 136
Impendio flagitare 196
Impendio magis odisse 196
Impendio minus minusque 196
Implicare contradictionem, importare contradictionem, *suspecta* 424
In absentia 170
In adolescentia, in senectute facere 170
In æternum non fiet, in omnem æternitatem non fiet, *minus latine dicitur* 276
In anno ter, in die ter 171
In Ephesum abii 232
In his diebus, in diebus proximis decem, in diebus paucis 171
In hoc tempore 171
In lætitia diem degere 170
In loco fratris diligere 210
In loco uxoris habere 210
In longum tres pedes habere 209
In magna paupertate decedere 170

In manu tua est, & in manu tibi est 45. 202
In oculis alicujus *pro* in conspectu 211
In ora hominum abire 201
In ora hominum venire 201
In ore est omni populo 201
In ore est omnium philosophorum 201
In tam diuturno spatio 171
Incentor *male rejectum a Scioppio*, 262
Incertitudo *non Latina vox* 290
Incertum *ut nomen substantivum* 291
Incertum divitiarum *pro* divitiæ incertæ, *Hebraismus* 292
Incidit aliud ex alio 117
Incidit bellum 118
Incivilis, *certo sensu non Latine dicitur* 340
Incumbit tibi hoc faciendum *non recte dictum* 419
In dies magis, & indies magis magisque 197
Indigitare *pro* nominare *non Latine dicitur* 349
Indiscretus *certo sensu non Latine dicitur* 338
Influxus *certo sensu non Latine dicitur* 325
Infractus *pro* non fracto, forti & imperterrito, non Latine dicitur 270 sq.
Infucatus *non dicunt Lat. pro* non fucato 273
Ingratitudo *non Latina vox* 289
Inquam, inquit, *ubi in oratione collocanda* 406. *malus quidam vocis* inquam *usus* 408
Inter *pro* in *positum* 172. 173
Inter cœnam 173
Inter diem *pro* interdiu 173
Inter manus abripere, auferre 174
Inter manus habere aliquid 174
Inter se amare *pro* amare se inter se 170
Inter vias cogitavi de eo 172
Inter vos duos 204
Intra paucos dies 175
Intrinsecus *ut nomen adjectivum, non est ævi Ciceroniani* 371
Intro *pro* intus, *non Latine dicitur* 371
Intutæ viæ 30
Intuta neglectaque castra 30
Invicem amplexæ, & invicem se amplexæ 175
Joci *causa formata ab antiquis vocabula non promiscue adhibenda* 453
Jovis *antiquus nominativus* 28
Jovis *pro* aëre, æthere 28
Ire res eodem cursu quo fluxere 113
Is tu es qui me sæpe ornasti, *pleonasmus pro* tu me sæpe ornasti, & *id genus alia* 34
It dies, tempus 114
It res melius quam putaram 11
Ita sum *pro* talis sum 233
Iterum *pro* vicissim *non Latine dicitur* 370
Juramentum *non ævi Augustei vox* 398

L.

Lapidicina *perperam scribitur* 412

Latere pone se 212
Latine scribenti *quam multa observanda sint* 240 sq.
Latini *vocabulis partium corporis humani pronomen possessivum certis locis non addunt* 65. *idiotismos suos subinde negligunt* 91. *componendo voces quandoque nonnihil corruperunt* 173
Latinismi *novi testamenti* 68
Lexica *quomodo informanda* 396
Linguarum *non tantum discrepantiæ, sed & convenientiæ observandæ* 10 sq.
Loco parentis alicui esse 210
Lubricitas *non Latina vox* 294
Lubricum *ut nomen substantivum usurpatum* 294
Luci primo 180

M

Magis magisque 196
Magis quadraginta *pro* plures quam quadraginta 182
Magna fortuna 221
Magna mira 27
Magnus amator, adjutor 26
Magnus risus, magna spes 27
Major majorque 196
Mala verba 26
Malefactor *male rejectum a Vossio* 259
Maleferiatus *certa notione minus Latine dicitur* 433
Malum carmen 26
Malus poëta, sutor 26
Mane clarum 221
Mane multo, summo 221
Manere in sententia 212
Manus *pro* scriptura 234
Mensa super mensam 22
Mercator Rhodo 157
Militia *pro* exercitu *male rejectum a Scioppio* 261
Minare *pro* agere 124
Minus minusque 196
Mirum si hoc factum est 214
Mittere ad aliquid requirendum 145
Mittere alicui obviam 145
Modicum *pro* exiguo *male rejectum a Vossio* 257
Monstrare alicui bene 103
Monstrarunt glandem vescentibus arare 103
Munera super munera *male rejectum a Vossio* 255
Musæum *perperam scribitur* 412

N

Nanciscifebrim, malum 48
Necessarius ad scribendum, ad commemorandum 164
Necesse, *verum nomen adjectivum* 287
Necesse habere aliqua re, *non Latine dicitur* 287
Necesse habere aliquid, rectum 287
Necessitas cogit me 222
Necessitate coactus 222
Nequeo satis mirari 146
Nescio annon, *minus Latine dicitur* 427
Nihil ad nostram hanc 232
Nihil boni 23
Nihil dictu facilius 23
Nihil est 23. 232
Nihil nocet 145
Nihil novi 23. 214

Nihilo minus mihi est 23
Nimis mane est 148
Nimis sæpe, nimis crebro 148
Nimius nugator 234
Nisi ille fuisset 37
Non continuo 150
Non dici potest quam 146
Non difficillime, non constantissime 198
Non doctissimus, non beatissimus 198
Non est eruditissimus 198
Non illiteratus 201
Non nimis subtiliter 149. 199
Non nimis verecundus 148
Non sæpe talis res ad scientiam pervenit 153
Non sordidus, non spernendus, *quæ talium vis sit* 201. 202
Non statim 150
Non valde pendeo promissis 152
Notificare 82
Nuda cognitio 29
Nudum nomen 29
Nudus æther 27
Nudus ensis 29
Nullatenus *pro* nequaquam, neutiquam, *perperam dicitur* 450
Nullibi *male suspectum Vossio* 258
Nullus & Nemo *non usurp. de duobus tantum* 452

O

OCulos pascere, oculis epulas dare 220
Offatim *male rejectum a Vossio* 260
Olympia vincere 135
Olympionices 135
Omnes tres, omnes novem 204. 205
Opponere se pignori 120
Opus habere aliqua re, *an satis Latine dicitur* 288
Orator & rhetor *quomodo differant* 75
Ostendere se bene 102
Ostenderem 102
Ostendunt se speculatores 102

P

PAriter cum ortu solis 180
Partis *notio aliis vocabulis simul comprehensa* 215
Pascere oculos, visus 220
Pati damnum, *satis latine dicitur* 87 sq.
Pati jacturam 92
Pati injuriam *notione dupl.* 87
Pati naufragium 92
Pati non poterat 87
Patitur res nullam dilationem 86
Patitur tempus 86
Paucis diebus *pro* in paucis diebus, intra paucos dies 172
Per speciem, per causam 223
Personarum acceptio, *minus Latine dicitur* 384
Personarum discrimen, *satis Latine dicitur* 384
Personarum contemplatio 384
Pertinere *certo sensu minus Latine dicitur* 349
Pervenire ad nummos 107
Pervenire ad suum 106
Pervenire in hunc statum 108
Philosophis licet ὀνομαλοποιεῖν 246. 326

Philo-

Philosophis licet ὀνοματοθετεῖν, & quando 246. 322. 326
Pleno ore 29
Pleno velo 29
Plenus lætitiæ, gaudii, metus, spei 30
Plenus somni 30
Pluries *male rejectum a Vossio* 258
Plus plusque 196
Plus quingenti *pro* plures quam quingenti 182
Plus vice simplici 154
Poëticæ phrases *in oratione soluta non promiscue usurpandæ* 454
Pomum *quam late dicatur* 331. *certa notione minus Latine dicitur* 328
Pone eum esse victum 121
Pone se latere 212
Ponere aliquem ad excubias tenendas 118
Ponere aliquem imperatorem aliquibus 118
Ponere aliquem super armamentarium 118
Ponere aliquid pignori 120
Ponere custodias portis, custodem in frumento publico 118
Ponere fundamenta 120
Ponere metas, modum 121
Ponere ova 121
Ponere præsidium in aliquo loco 121
Ponere spem, fiduciam in aliquo 120
Ponit ventus, flatus 121
Poscit res, tempus 130
Postica domus *pro* postica pars domus 215
Præ iracundia non sum apud me 179
Præ lacrymis loqui non possum 178
Præcipere animo futura 141
Præcipere pecuniam insequentis anni 141
Præcipitat hiems 122
Præfectus maris *an recte dicatur pro* Præf. classis 244
Præfinire 142
Præprimis *minus Latina vox* 450
Præscribere finem rebus 141
Præscribere modum 141
Præscribere quomodo disputari velis 142
Præsumere *duas significationes veteres habet; tertiam recentiorem* 249. 361
Præsumere animo 142
Præsumere farinam 142
Præsumo facere *pro* audeo facere *non valde antiquum* 249. 362
Præsumo facere *pro* instituo, aggredior facere *Germanismus* 362
Præterire silentio 219
Prima acies *pro* prima pars aciei 216
Prius proditurum te vitam quam 149
Pro aliqua re tres minas dare 177
Pro aliqua re tres minas poscere 178
Pro aliquo loqui, rogare, disputare, curam habere 177
Pro aliquo ponere pignori 178
Pro certo habere, putare, dicere, *& sim. alia* 175

Pro dedecore habere 176
Pro felicibus aspicere 176
Pro hoste habere 176
Pro me hoc est 177
Pro nihilo putare, habere, ducere 176
Pro occiso relictus est 178
Pro ridiculo putare 176
Pro suo uti 178
Pro tempore *certo sensu satis latine dicitur: alio non item* 309
Procedit aliquis pulchre 113
Procedit bene 113
Proferre se 237
Professores *olim dicti qui* 76
Profunditas *non Latina vox* 293
Profundum *ut substantivum nomen usurpatum* 293
Promissa facere 85
Promittere ad aliquem 144
Promittere ad convivium, ad cœnam 144
Proponere sibi aliquid facere 235
Propositum 236
Proximus *pro quovis alio Græcismus* 389
Punica lingua *affinis Hebrææ* 65

Q.

QUærere gratiam apud aliquem 220
Quærere occasionem 220
Quam longe est hinc in saltum 153
Quam mox mihi operam das 153
Quam sæpe se victorem obtulisset 152
Quam valde probetis ea 152
Quantocius *male rejectum a Vossio* 260
Qui vocare? 209
Quid avaritia faciat, vide 224
Quid audio? quid novi audio? 227
Quid esses, nisi 33
Quid est? Quid tibi est 38. 233
Quid juvat? 128
Quid non faciebat, ut 224
Quid oberit? 146
Quoad *pro* secundum *cum accusativo perperam dicitur* 446
Quod dicas mihi 194
Quod ego sum, tu non es 33
Quod fueras, esse malebas 33
Quod hac factum, annus est 192
Quod hoc feceris, scio *pro* scio te fecisse 187
Quod me attinet, *minus Latine dicitur* 377
Quod *post verba intellectus, dicendi* 187. sq.
Quod tumultuum causa extitit, *non Latine dicitur* 425
Quotidie in dies singulos minus minusque 197
Quotidie plus 197

R.

RAtio ita se habet cum aliquo, *minus Latine dicitur* 270
Ratio hujus rei ita comparata est, *satis Latine dicitur* 266
Ratio ea est hujus rei 267. 268. 270
Re & veritate 211

Rebellium *male rejectum a Vossio* 259
Recommendare *inepta vox* 405
Recompensare *inepta vox* 405
Reddere foenus cum fruge centesima 204
Redire ad se 43
Rediri cum centesimo 204
Reliqua Gallia *pro* reliqua pars Galliæ 216
Remittere ceram, adipem 237
Renunciare ad cœnam 144
Repere esse vera 133
Reperit auxilia a Svevis missa 133
Reperire verba 133
Repertus regi fidelis 133
Reprehendere manu 139
Res dant sese ita 95
Res it melius quam putaram 113
Res ita se habet cum aliquo, *minus Lat. dicitur* 264. 268
Res poscit, postulat, exigit 130
Restaurare bellum 139
Retinere campum 209
Revalescere 138
Revenire domum 136
Rogare aliquem ad convivium, ad nuptias 144
Rogare pro aliquo 177

S.

Saeculum *pro* mundo *Hebraismus & minus Lat.* 386
Sagittare *male rejectum a Vossio* 259
Saltem *pro* tantum, *non est ævi Ciceroniani* 364
Saltem, tantummodo *qualis locutio* 367
Satis astute, satis diu 148
Satisfacere promisso 85
Saxones *veteres verbum temporis præteriti formarunt sine verbo auxiliari* 55
Scaligeri *de verbo* compilare *sententia* 347
Scit bene 208
Se *subaudiendum ad multa verba* 123
Sedet toga melius 116
Seducere *pro* decipere, in errorem deducere, *non ævi Ciceroniani* 359
Semper candidior candidiorque 197
Semper mihi hujusmodi res comminiscere 147
Seorsim *perperam scribitur pro* seorsum 411
Septimana *pro* septem diebus *minus antiquum* 332
Servare vigilias 64
Si ego sim qui tu es 39
Si est ut velit facere 42
Si ille non esset, *satis Lat. dicitur* 302
Si in isto loco sim 39
Si in tuo loco sim 39
Si istic sim 39
Si non *pro* si minus, sin minus 218
Si quæ ulla *pro* si ulla *non latine dicitur* 416
Sic erit 39
Sic est res *pro* talis est 149
Sicut meus mos est 208
Signi *notio aliis vocibus simul comprehensa* 216
Silentio præterire 219
Sine causa 216

Sine omni, *an satis Latine dicatur* 303
Sine ulla causa, sine ulla religione, *& id genus alia* 216
Singularis pugna, singulare certamen 328
Sinus *pro* gremio *male rejectum a Vossio* 266
Sis oratus 45
Soboles *perperam scribitur* 413
Sol *pro* solis radiis *aut pro* loco ad quem radii solis deferuntur 15
Sol Lucretinus quid 15
Solummodo *minus Lat. vox* 451
Sonant ita verba, *minus Latine dictum* 417
Spectare, *certo sensu minus Latine dicitur* 349
Spontaneus, *male rejectum a Vossio* 260
Stare in eo, quod ostenderis 116
Stare in sententia 116
Stat per me 116
Stat resp. quo stetit statu 21. 22
Status, in aliquo statu esse, manere, in aliquem statum pervenire 21
Studio facere, *minus Lat. dicitur* 435
Suavia super suavia dare 184
Sub Dario 223
Sub oculos venire 223
Sub specie 223
Subditus alicui, *non male dicitur* 421
Subditus alicujus, *& ut nomen substantivum, minus Latine dicitur* 420
Sumere aliquem imperatorem 129
Sumere altare in manus 129
Sumere de aliquo, & sumere ab aliquo, pœnas 160 sq.
Sumere librum in manus *pro* legere 129
Sumere spatium ad cogitandum 129
Sumere tempus ad rem aliquam 129
Sunt octo anni, cum 44
Sunt octo anni, quod 44
Suos oculos tollere, suum animum inducere, *minus Lat. dic.* 306
Super aliquem cubare 183
Super aliquem stare, sedere 183
Super armamentarium positus 185
Super cœnam 182
Super hæc *pro* præterea 183 sq.
Super mensam 183
Super mille erant milites 181
Super pædagogos puerorum *pro* pædagogis puer, præfectus 119
Supergredi 237
Superjumentarius 119
Superpositus medicorum 119
Superstationarius 119
Supervenire 237
Supra coquos *pro* præfectus coquis 119
Supremam manum imponere 250
Surgere *pro* exoriri *minus Lat. dicitur* 383
Suus pater *pro* ejus pater 35

T

TAm *non ubique, sed certo duntaxat casu superlativo jungi potest* 451

Tam mane, tam vespere 148
Tamdiu donec, tamdiu dum 154
Tamdiu, quamdiu 154
Tamdiu quoad 154
Tanta fortuna 221
Tantum ex Arpinati veneram, cum 149
Tantum quod pueritiam egresso 150
Tantum quod exoriente sole 150
Tempus est hoc fieri 22
Tempus nobis est navigandi 22
Tempus monet, poscit 130
Tenent aliquem leges 70
Teneor facere, *an satis Lat. dicatur* 361
Tenere consuetudinem suam 73
Tenere excubias 64
Tenere fidem *pro* stare promissis 62
Tenere fidem *pro* retinere, servare fidem Christianam 63
Tenere gravitatem, silentium 72
Tenere legem 67
Tenere linguam *non* linguam suam 64
Tenere medium, mediocritatem, ordinem 62
Tenere modum 62
Tenere ora *Virgil. quid* 67
Tenere pacem 73
Tenere quod promiseris 62
Tenere se ad aliquem 72
Tenere se domi, oppido, in villa 70. 78
Tenere se intra gravitatem, intra silentium 72
Tenere se legibus 69
Tenere se non potest 71
Tenetur aliquis legibus 70
Terminus *certo sensu minus Latine dicitur* 322
Tueri oppidum, mare 30. 31
Tuta via, tutum mare 30
Tutum aliquem locum relinquere 31
Tutus *quandoque & participium* 30
Tyro *perperam scribitur pro* tiro 411

V

VAlere aliquid, valere nihil apud aliquem 212
Valet hoc eo 212
Vel *perperam usurpatum post* aut 374. *item post* an 375
Veniam istuc; *de sermone* 110
Venire ad finem 110
Venire in consuetudinem 112
Venire in manus, ad manus alicujus 111
Venire in periculum, ne 111
Venire in senatum, ad principatum 108
Venire in sermonem *notione duplici* 109
Venire in suspicionem, in contemptum, in gratiam, & *id genus alia* 109
Venire sub oculos 111. 211
Venit ad aures meas 107
Venit ad ista; *de sermone* 110
Venit commodum ex re 110
Venit fumus in oculos 112
Venit hostis ad manum 108
Venit imperium ad aliquem 108

Venit in buccam 111
Venit res ad certamen, ad manus 108
Venit res ad nasum 112
Venit tempus, dies 111
Ventis contrariis 219
Vento venire 219
Ventum expectare 219
Verba ad rem conferre 206
Verba istæc sunt 205
Verbum *pro quavis voce vel vocabulo* 323
Veritate falsum est 211
Vice quadam, vicibus pluribus 154
Vicesimam partem militum non habebat 204
Victor olympiæ 135
Vide ne, *pro* vide annon 102
Vide quid agas 102
Videndum ne non, *male Latine dicitur* 431
Vigiliæ *pro* vigilibus, & *id genus alia* 235
Vincere in judicio 238
Vincere ludum olympiæ 135
Vincere sponsione 238
Vix me teneo quin 72
Uno ore, una voce 212 sq.
Uno verbo dic 212
Unus *pro* aliquis 3. 31. 32
Unus *pro* quidam *male rejectum a Vossio* 257
Unus & alter 229
Unus & octogesimus *pro* octogesimus primus 227
Vocabula *jam olim abrogata, fugienda* 242. *vocabula peregrina item, & quæ* 244. *vocabula nova item, & quæ* 245. *vocabula diversarum linguarum, quæ una significatione congruunt, non eontinuo & ceteris omnibus congruunt* 247. *vocabula joci causa ab antiquis formata non promiscue usurpanda* 453. *vocabulis antiquis non sunt novæ significationes tribuendæ* 247
Vocatur Harpocras 209
Voces *diversarum lingv. quæ in una significatione congruunt, in aliis sæpe discrepant* 1. sq. *voces diversarum linguarum sæpe non una tantum, sed pluribus significationibus congruunt* 10
Volebamus Arpinum 100
Voluntate, sua voluntate facere 206. 207.
Voluntatem alterius facere 207
Vos duæ 204
Usque eo quoad 153
Ut *pro* ne *perperam usurpatum post* vereor 374
Ut audio 227
Ut hoc fieret, sperabat 151
Ut hoc ita se habeat, verum est 191
Ut non *ubi recte dicatur*; & *minus* 372
Ut quid *pro* quare *Græcismus* 396
Ut res dat 95
Ut se res dant 95
Vulnus *pro* dolore 98
Vulnus accipere in capite 98
Vulnus dare 99
Uxor Lemno 157

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn184462319X/phys_0484
DFG

rtare *pro* absportare *certo non latine dicitur* 343
nere aliquem socium & umere in societatem 130
nere iatralipten 233
nere in consilium 130
nere rursus uxorem 130
tor *scribendum*; *non* autor
c author 409
ire *pro* audivisse 227
ire aliquem *pro* obtempe-
re alicui 103
ere *idem quoque quod* cre-
e, procreare 410
cultare alicui & auscul-
re aliquem *pro* obtempe-
re 106
scire aut nescire hoc volo 146

B.

nedicere *pro* laudare *non latine dicitur* 392
e promittere 209
ie scire 208
tantus & *id genus alia* 202
na pars, bona copia 24
na spes, bona pax 25
na verba 26
nus amicus 25
nus animus *pro* curis vacuo 24. *item* pro benevolo 24
nus fur 25
nus poëta, bonus sutor 25

C.

'Adere in morbum 117
' Cadit animus, auctoritas, spes, fides 117
esar *an scripserit* communi-
care alicui 376